






1
6
56











Nota de sensibus sacre scripture ... cuore ...
... si smarrisce
Historicus. i. literalis.
Mysticus i spiritualis.
Eluciditur sacra scriptura, in vera ipsius expositione et in sancta operatione
Nota quod sensus Mysticus sive spiritualis est triplex in genere.
Allegoricus cum res significate per voces ad ea que ... in nova lege significanda referuntur, et a nobis credenda.

Ioannis Borgiandi in Sanctissimo
coenobio olim Eudidlegiski; modo fl. or.
in Aede laurentiana canonici καὶ τῶν q.

indigena, natio, d'un paese.

Moralis, vel tropologicus, cum referuntur ad ea, que per nos agenda sunt.
Anagogicus cum referuntur ad ea que sunt speranda in beatitudine eterna.

Differunt aeternum et sempiternum. Quod sempiternum dicunt deus esse, qui semper fuit, eritque. Aeternos homines, qui principium quidem habuerunt, et tamen alio sunt immortales itaque ...
Apologia sermo, difesa.
Apocryphus liber ... ... , non approvata.
Συλλαβος codex libri.
cydonium i cotogno pome. n. g.
Cydoniatum i cotognato. n. g.
Pigmentum i belletto liscio φῦκος. quo utuntur puelle venustanda facie, qualis est cerussa. ... ...
Strabus, lusco, et guardon a traverso
ellychnium i stoppino lucerne lumiera

Viri Peccatoris gloria, stercus et vermis.
Hodie extollitur et cras nō invenietur, q͞a conversus est in terram suā, et cogitatio eius periit.

Decreto Naturæ, et instituto oīa posita sunt in vicissitudine.

Vita nobis brevis est, gloriæ vero divinæ cursus sempiternus.

Exiguum nobis curriculum Natura circūscripsit.

Perfecti Homines et excellentibus ingenijs Prædīti excitantur q̄dem spe gloriæ, sed eius, quæ immortalitatē parit, non quæ mortē et interitum.

Vitæ nr̄æ brevitatem ī Patria apud Deum, immortalitatis memoria consolatur.

Fumus et Bulla, Natalis, et Emortualis Dies.

Quid iuvat illustrem ex generoso stemmate nasci?
Mors rapit immiti pallida cuncta manu.

Mixta Senum et Iuvenum densantur funera: nulli,
Iro, vel Crœso, parcit iniqua Dies.

Vita eorum Vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur.

Transeunt .n. tanquā vmbra.

Quæ Maior stultitia quā in ea re summum bonum collocare, quæ cū p̄ū habuerit ortum, statim ad sui ipsius Corruptionē tendat.

Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terrā, quæ nō revertuntur.

Exitus ab ortu non procul.

Hominū genus quale foliorū.

Homines finiuntur brevibus spatijs.

Homo modo umbra, modo somnium.

ANTONII RICCOBONI ORATIONVM

Volumen Primum

SECVNDO EDITVM,

Ad Clarissimum virum

LAVRENTIVM MASSAM

Serenissimæ Reip. Venetæ à Secretis.



PATAVII,

Apud Paullum Meietum. 1592.

Superioribus facultatem impertientibus.



Humana uita, et dolor, affines.

Nullum animal est, quod modo surgat, modo cadat citius, atque crebrius, quam faciat Homo.

Vita nrā temporis punctum.

Homines Anima sublatā, omnibus fortunę telis subiecti.

Bullę Homo comparatur.

Nascitur, sed uno die uiuit.

I nunc regna para, fastusque attolle superbos:
Mors etiam magnos obruit atra viros.

Terra es, et in terrā ibis.

Mors nō timenda quę ex animorum im̄ortalitate affert felicitatē.

Mors ultima linea rerum. fine

ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ. Esiodi dict.

Aul. Gellius uertitur. Ipsa dies quandoq parens, quandoq nouerca.



Clarissimo Viro,

LAVRENTIO MASSAE,

Serenissimæ Reip. VENETAE à Secretis,

Antonius Riccobonus S. D.





Eloquentiam, Laurenti Massa, vir Eloquentissime, præclare veteres definiuerunt copiose loquentem sapientiã: cumq; sapientiam nominarunt, non vnam intellexerunt, quæ in vno rerum genere versetur, disciplinam: sed vniuersum significarunt doctrinarum orbẽ, in quo quidem qui excellunt, non modo sapientes merito, atq; eloquentes nominantur, verum etiam ad diuinam

conditionem propter beneficiorum tum publi ce, tum priuatim ab ipſis proficiſcētium magni tudinem proxime accedere exiſtimantur. In quorum numero te collocauit exquiſitæ littera turæ pertractatio: vniuerſæ Philoſophiæ cogni tio: artis Medicæ, quæ domi tuæ inſigniter flo- ruit, & in qua oēs neruos iuuentutis, atq; indu- ſtriæ contendiſti, ſumma notitia: Theologiæ ex cellens contēplatio: Poeticæ facultatis præſtans exercitatio: veterum, & nouorum hiſtoricorum aſſidua peruolutatio: clariſſimorum oratorum diligens imitatio: deniq; ἐγκυκλοπαιδία illa, quæ te oībus amabilē, mihi vero ēt admirabilem red- dit. Quamobrem, præter maiorum tuorū clari tatem; præter ſplēdorem ordinis, in quo fulges, ad decus natus, ad honorem educatus, ad laudē, & nominis æternitatem accōmodatus; præter ingenium, laborem, fidem, quam tot annos Se reniſs. Reip. Venetæ promptam, expoſitamq; præbuiſti, à ſecretis Sereniſſimi Principis, Sere- niſs. Senatus, & illuſtriſſimorum Gymn. Patauí ni Moderatorū: illud in præcipuis tuis ornamē tis ponitur, quòd in præclaris ſapientiæ, atq; elo quentiæ ſtudiis mirabiliter excellas; & non ſolū

littera-


litteratisſimus, verum ēt litterarum, & litteratorum hominū perpetuus fautor, adiutor, amplificator, patronus exiſtas. Cuius rei cum tā multi alii huius Gymn. Doctores locupletisſimi eſſe, teſtes queūt, tua benignitate apud illuſtrisſimos Moderatores exornati, & amplioribus præmiis, ac dignitate aucti: tū ego, de quo diuinitus meritus es; quem prope iacentē, tua cōmendatione, & prædicatione, ſubleuaſti, in oculis, quotidianoq; aſpectu oīum gentium, ac nationum, & in hoc orbis terræ theatro poſuiſti, in altitudinē huius ſedis, vbi abhinc vnū, & viginti annos veterem eloquentiā tracto, extuliſti; cui vel contēptis maleuolorum, & iniquorū hominum voculis, tantopere, & tā benigne ſemper fauiſti, honorem habuiſti, cōmoda procuraſti; oībus beneficiorum tuorū vinculis deuinctus, & conſtrictus maximo eſſe documento poſſum, quanta, & quàm ſingularis ſit humanitas, & beneficētia tua. Tametſi autem, quæ à te in me collata ſunt, quæq; memoria colo ſempiterna, oēm ſuperare remunerōnis excellentiam videntur, cū ſolus, vel primus, vel in primis mihi homini parū cognito tantam lucē attuleris, & tam ſingulariter

opitu-

opitulatus ſis: tamen, ſi non re, at ſaltē grata ani
mi obſeruantia, & omni, quodcunq; à gratisſi-
mo aīo proficiſci posſit, obſequio tua in me
merita expleuero: & nihilominus, quantū poſ
ſum, & valeo, tantū conferre ad ſatisfaciendum
aliqua ex parte viro in me beneficentisſimo de
beo. Quod in perpetuū, donec viuā, me eſſe fa
cturū, pro certo polliceor, atq; confirmo: ac in-
terim primum volumen orationum mearum,
ante à Ludouico Fulgineo, vtriuſq; noſtrum,
dum viueret, ſtudioſisſimo, tibi, tamquàm ma
gno eloquentiæ patrono, dicatum, hac ſecunda
editione, præclarisſimi nominis tui æternæ me
moriæ iterum conſecro: teq; etiam, atq; etiam
rogo, vt Riccobonum tuum, qui nihil vnquā
antiquius habuit, quàm vt ſe tibi memorem,
gratumq; præberet, tua maxima, vt iampridem
facere inſtituiſti, humanitate, & manſuetudine
complectare. Vale. Patauii. Menſe Maio
M.D.XCII.



Index



INDEX ORATIONVM.

Tavola.



De

contentione
disputa.




Arme de Bongianni da Castel fiorentino e un Popone
cō le foglie e un poco di barba nella pianta di esso.
in campo rosso.



vorrei che tu tornassi alla Poesia.
velle te ad mansuetiores Musas referres.
velle intermissa Poetica studia repeteres.
velle redires cū Musis in gratiam.
Archetypus p. modello, esemplare.



AD ALOYSIVM MOCENICVM VENETIARVM Principem

Antonij Riccoboni Patriæ nomine

ORATIO.



VEMADMODVM omnes Christianę ciuitates, Aloysi Mocenice, Princeps Serenissime, ad nuncium de bello graui, & periculoso huic Reip. à potentissimo Turcarum tyranno indicto cum ingemuerunt, quia constans omnium hominum opinio esset, nullum huic imperio periculum à Turcis imminere, quo non eodem omnes penitus Christiani populi vrgerentur; tum lætatæ sunt, quòd hac oblata occasione hæc præstantissima, atq; opulentissima Resp. nomen christianum stabilitura esse videretur: sic, statim ut auditum est, te naui aduersissimis ventis iactatæ gubernatorem impositum esse, qui bonitate velles, prudentia scires, auctoritate posses in tantis procellis magni gubernaculi pondus sustinere, cum tanta animorum voluptas ab omnibus christianis, præsertim huic subiectis imperio,

percepta eſt, quanta percipi potuit maxima,tum præpotenti Deo immortales gratiæ actæ ſunt, qui talem principem dederit, qualem maximus rerum motus poſtulabat; atq; Illuſtrisſimus Senatus Venetus ſummis laudibus elatus eſt,qui te ſingulari ſapientia, fortitudine admirabili, alijſq; prope innumerabilibus uirtutibus perornatum in altisſimo dignitatis gradu collocarit. Cum autem vna cum ceteris omnibus Rhodigina ciuitas patria noſtra, Veneti imperij ſtudioſisſima, tam excellenti bono gauiſa ſit;& nobis demandarit, vt nomine publico dignitatem tibi tantam gratularemur; atq. perpetuam obedientiam polliceremur,ac deferremus: quid poſſet nobis miſerius, aut laborioſius, aut afflictius fingi,qui onus, quòd humeri ſuſtinere noſtri non poſſunt, imprudentes ſubierimus;niſi exploratum nobis eſſet, ſi humanitas, ſi benignitas,ſi uirtutes aliæ, quæ pertinent ad manſuetudinem morum, ac facilitatem, ullum in terris hoc tempore habeant domicilium, eas nimirum Venetijs,& in hoc Senatu Illuſtrisſimo habitare? Equidem, ſi qua dicendi facultas in me eſſet,eam ibi potisſimum oſtendere deberem, vbi percepiſſem, id eſt, in hac nobilisſima vrbe, in qua multos annos eloquentiæ operam, ſtudiumq; nauaui; ut, ſi ad non nullam hominum famam profluxi, id huic ciuitati, vbi germanæ eloquentiæ ſolida,& expreſſa effigies cernitur, acceptum referam: ſed cum in dicendi exercitatione, & doctrina non inficier mediocriter me eſſe verſatum; tantum tamen abeſt, ut oneri iniuncto me parem eſſe exiſtimem, vt mihi ne ſumma quidem oratorum ingenia, cum quibus nullo modo ſum comparandus,huic muneri reſpondere pro dignitate poſſe uideantur. Etenim ſi Rhodiginæ ciuitatis lætitiam,quæ exprimẽda eſt, reſpicio; eam tam ingentem,atq; immenſam animaduerto,vt eius magnitudo uerbis explicari non posſit: ſi tanti gaudij cauſſas ſingulas,& uirtutes,ac laudes tuas cogito; eas tam multas inuenio,ut,quemadmodum in ijs enarrandis oratio deeſſe nemini poteſt,ſic qui enumerare eas omnes uelit, fruſtra laboraturus ſit: ſi auditorum maieſtatem intueor; mihi eſſe apud quàmplurimos,eoſdemq; grauisſimos reges uideor, cum hæc Senatorum corona pulcherrima regiam præ ſe ferat grauitatem; ut, quantum hominibus imperio regio ſubiectis præſtãt reges, tantum tu,qui inter hos præclarisſimos Senatores aucto-

ritatem

ritatẽ regiã repræſentãtes, obtines principatũ, præſtare regibus uidearis. Quòd ſi ſummus Orator Demoſthenes vnius Senatoris Phocionis præſentia ita conturbatus eſt, ut nihil dicere aliud potuerit, niſi Phocionem ſuorum uerborum nouaculam eſſe; ſi idem unius regis Philippi aſpectu ſic expauit, ut paucis admodum uerbis expresſis obmutuerit; ſi ille, qui à diuinitate loquendi nomen inuenit, Theophraſtus unius regis Alexandri uultu ita commotus eſt, ut nihil effari potuerit; ſi alijs denique ſummis oratoribus alicuius grauisſimi uiri intuitu perturbatis non ſatis ex ſententia euentus dicendi procesſit: quid mihi in dicendo medioeriter exercitato animi eſſe oportet, qui tot Senatorum, tamquàm regum, ora in me uideo eſſe conuerſa? Frangerer certe, atque in orationis ipſius quaſi ueſtibulo conciderem, niſi humanitas ueſtra ſingularis, patres amplisſimi, me recrearet, ac reficeret; qua fretus, quod mihi patria mea mãdauit, non recuſaui; maluiq;, cum ei eſſem obſecutus, deſiderari prudentiam meam, quàm, ſi id non feciſſem, beneuolentiã. Itaque non eloquentia adductus ulla, ſed officio impulſus meo, cum Bernardino Fornagerio, Doctore, & Equite præſtantisſimo, ueni ad hoc munus gratulationis obeundum, ac breuiter oſtendendum, nullum maius bonum dari hoc tempore Reip. Venetæ, & populis imperio Veneto ſuppoſitis, atq; adeo omnibus gentibus, ac nationibus chriſtiano nomine inſignitis à præpotenti Deo potuiſſe, quàm Principem tam generoſum, ac tot, tantiſq; uirtutibus præfulgentem. Etenim cum alia omnia à Deo Opt. Max. originem ducunt: tum uero principatus oĩs ab eo, tamquàm à prima rerũ oĩum cauſſa manare ſine dubio uidetur. Id quod & Cyrus Perſarum rex de regno ſuo apertisſime confeſſus eſt; & Numa, Draco, Solo, Lycurgus, atque alii ueteres legum latores, de legibus, quæ ſunt tamquàm inanimati principes, non ſecus ac principes quaſi animatæ leges, dum eas ſapientiæ diuinæ tribuerunt, ſapientisſime affirmarunt. Quòd ſi à Deo originem trahunt cetera omnia, quæ in hac mundi uniuerſitate reperiuntur, cœlum, terra, maria, & quidquid eſt in ijs ipſis ſine ſenſu, uel ſine ratione; quanto conuenit magis id exiſtimare non modo de cœleſtibus mentibus, ſed etiam de homine, qui Deo quàm ſimillimus factus eſt? Et, ſi alij homines à Deo pendent, quid ſentiendum eſt de principibus, quorum

A 2 poten-

potentia,& virtus ſine Deo eſſe non poteſt? Quid?quòd cum præ ceteris hominibus principes rationem habeant motus,qui & ſuperiora pro uiribus imitantur, & inferiora omni diligentia gubernant,& ob id meritò à doctisſimis uiris non modo architecti, uerum etiam humani generis paſtores, & curatores, atq; humanæ uitæ quaſi cuiuſdam nauis gubernatores dicuntur; cumq; ex ijs omnibus,quæ mouentur,unum ab altero moueatur, uſq; ad primam cauſſam, ad quam peruenire neceſſe eſt,ſi fugere infinitatem uolumus : gubernandæ Reip. motum haberi nullo modo poſſe, niſi per primi mouentis virtutem, confitendum eſt? eò magis quòd cauſſa prior plus influere in effectum ſuum, quàm cauſſa poſterior exiſtimatur. An uero corpora inferiora per ſuperiora mouentur, ita ut omnia reducantur ad motum ſupremi globi: inferiores autem mentes per ſuperiores non mouebuntur? A' mente igitur Dei rapitur mēs huius uniuerſitatis, quem mundum appellamus : ab hac ducuntur cœleſtium globorum mentes: quæ impellunt inferiores,& maxime principum mentes huiuſmodi impulſu penitus indigentes.Id quod ueteres ſub inuolucris, atq; integumentis prodiderunt,dum à Ioue Apollinem,ab Apolline Muſas,à Muſis homines,& eos magis,qui diuinam natnram magis ſaperēt, afflari dixerunt. Verum,ne longius in re notisſima progrediamur,quis ignorat,ut quidque ad præſtantisſimum finem diſpoſitum eſt, ita plurimum diuinæ actionis particeps eſſe?quis autem præſtantior finis uideri poteſt,quàm principum finis,quibus quæcunque hominum generi neceſſaria ſunt ad bene, beateq; uiuendum,prouidenda ſunt,& ad uirtutes homines dirigendi,atque à delictis auocandi,& animi omnium congruenti quadam fortitudinis, temperantiæq; commixtione componendi? Cum autem principatus omnes à Deo proficiſcantur; id maxime credendum eſt fieri in optimis Rep.publicis, qualem eſſe Venetam,quàm plurimis, iiſdemq; firmisſimis argumentis confirmari poteſt.In qua profecto neſcias,quid magis admireris; an uetuſtatem,cum antiquisſima ſit; an ingenuitatem, cum eundem natalem diem & originis ſuæ, & libertatis colat; an religionem,cum in uero cultu diuino & nata,&educata ſit, ut merito gloriatum eſſe in Oecumenica Tridentina Synodo eruditisſimum,atque eloquentisſimum Legatum Venetum,Ni-

colaum

colaum Pontium, huius Senatus tamquàm cœli fulgentissimũ sydus fama est; an imperii gloriam, cum tanta sit maiestate, ut eam omnes populi, ac nationes suspiciant, & uenerentur. Ac Romanæ quidem Reip. Veneta uel cognata, si Troianam ori ginem spectes; uel neptis, si Romanam, appellari non immeri to potest: uerum ut illa hanc magnitudine; ita hæc illam diu- turnitate imperij superauit. Adde, quòd illa modo seruiuit re gibus, modo perpetuis dictatoribus, modo Triumuiris, & impe ratoribus; ac plurimis bellis ciuilibus fuit oppressa: hæc perpe tuo imperauit, & optatissimæ ciuium concordiæ fructus per- cepit uberrimos. Vnde autem putamus hanc imperii, & liber tatis perpetuitatem manare, nisi ab innocentia, integritate, reli gione, pietate, alijsq; maximis, clarissimisq; uirtutibus, quæ in hac Rep. mirabiliter splendent? Equidem, cum ad eam men- te, & cogitatione me cõuerto, ipsam uideo ex iustioribus Reb. publicis temperatam, qualem optimam Remp. esse oportere doctissimi homines censuerunt. Sicut enim Romana, præser tim à Pyrrhi regis bello usque ad tertium punicum, quo tem- pore cuncti tum patricii, tum equites, tum plebeij in amplifi- cando, ac propagando imperio studium uno animo colloca- runt, optimo statu perfrui uisa est, quòd in ea consules regiam, Senatores optimatum, plebs populi auctoritatem, ac potestatẽ haberet: ita hæc ipsa optima dignoscitur, quia in ea Serenissi- mus Princeps regem, Illustrissimus Senatus optimates, Comi- tia, quæ magna uocantur, ciuilis Reip. faciem afferant; in qua tametsi infimus populus eam potestatem non habet, quam Ro mæ habuisse narratur: tamen libertas, qui est finis populi, aspi citur tanta, quanta haberi potest maxima. Quod tantum abest, ut Remp. imperfectiorem reddat, ut etiam ex hoc ipso perfe- ctior meo quidem iudicio uideatur. Nam, ut populi libertas ad optimum Reip. statum pertinet: sic nimia popularis pote- stas ad perniciem traduci totius Reip. solet. Testis est Roma, cuius optimus status, translata iam ad populi dominatũ Rep. funditus labefactatus, atq; euersus est. Duo enim Gracchi, Sa- turninus, Drusus, Tribuni pl. furiosi, atq; amentes, partim agrarias, & iudiciarias leges ferendo, partim ciuitatem socijs dando, partim frumenta largiendo, præstantissimum optimæ Reip. consensum perturbarunt. Quamobrem cuiusq; Reip. in- terest,

tereſt, populum una cõtentum eſſe libertate, ut merito contentus eſt Venetus populus propter Senatorum innocentiam, integritatem, abſtinentiam, æquabilitatem, manſuetudinem, clementiam, moderationem, ſapientiam, aliaſq; innumerabiles uirtutes, quibus hæc Reſp. maximam ſibi gloriam comparauit. Ac profecto, ſi recte conſideremus, non modo Romanorum, ſed etiam Athenienſium, Lacedæmoniorum, Corinthiorum, atq; aliorum omnium Reſp. quæ ſingula in ſingulis plurimum ualuerunt, ea omnia in hac ipſa florere inueniemus. Age enim ſitus opportunitate, & ædificiorum magnificentia, atque ornatu, opibuſq; maximis gloriabatur Corinthus: quid opportunius admirabili Venetiarum ſitu, cœli clementia, terræ halitu, maris afflatu; quid ædificijs tum publicis, tum priuatis magnificentius, atq; ornatius, quid opulentius Venetis patricijs, atq; aliorum ordinum hominibus? Conſuetudinibus, atq; inſtitutis pulcherrimis, ac præclariſſimis gloriabatur Lacedæmon: quid pulchrius, ac præclarius moribus Venetorum, ad religionem, ad magiſtratus, ad ueſtitum, ad delectationem populi, ad alia omnia pertinentibus? Areopagitarum prudentia, ac ſapientia gloriabantur Athenæ, illorum, qui omnes Reip. partes quaſi ex alta quadam ſpecula intuebantur, & de cauſſis grauioribus iudicabant: quid prudentius, & ſapientius Venetis Senatoribus, ac iudicibus, & præſertim Decemuiris, qui Areopagum omnem ſuperant laudis excellentia, & ſeueritatem cum clementia ita coniunctam habent, ut nulla tanta ſint laudum præconia, quæ non eis omnino conuenire uideantur? Fortitudine, & conſtantia in rebus gerendis gloriabatur Roma: quid fortius, & conſtantius animis Venetorum? qui cum alijs bellis grauibus & periculoſis, tum uero cum impetum cõſpirationis à ſummo Pontifice, Imperatore, Regibus Galliæ, ac Hiſpaniæ, alijſq; principibus, atque uniuerſo penitus occaſu in Venetum imperium factæ repulerunt, magnam apud omnes gentes perſeuerantiæ, & roboris laudem ſunt cõſecuti: ut, quemadmodum glorioſum fuit Romanis, plurimas urbes, ac Romam etiam ipſam à Gallis occupatam præter Capitolinam arcem recuperare; ſic Venetis ad lacunas aduerſa fortuna redactis maxime ad laudem fuerit inſigne, Bergomũ, Brixiam, Vicetiam, Veronam, Patauium, Forum Iulii, Peninſu

lam

lam Rhodiginam, aliaq; loca quàmplurima singulari magnitu dine animi, ac fidentia recipere. Neque uero parum gloriæ in de manasse existimatur, quòd ijdem Turcarum furorem sæpissime represserunt. Id quod cum huius imperij præstantiæ; tum uero Deo immortali, qui uobis, amplissimi patres, propter plurimas, maximasq; uirtutes, quibus hæc Resp. semper fulsit, tantam ditionem confecit, attribuendum est: ut, si omnibus alijs temporibus præpotens Deus mirabiliter uobis fauit, id præcipue hoc tempore, cum sæuissimus Turcarum tyrannus, qui regnare solus concupiscit, nulla lacessitus iniuria, sed natiuo odio in nostram religionem inflammatus, christianis omnibus pestem moliens, & cunctæ Italiæ ferrum, flammamq; minitans, iniustum uobis intulit bellum; tum propter innocentiam uestram, tum quia de summa ueræ religionis dimicatur, facturus sine dubio esse uideatur. Fauet igitur uobis Deus, amplissimi Veneti, & ob id principem dedit, cuius uirtus uel è præstanti maiorum hausta nobilitate, uel litteris comparata, & doctrinis tanta est, ut in eo omnes magnam præsidij, ac dignitatis suæ spem collocare merito possint. Et uero, Serenissime Princeps, quicunque non modo genus, & maiores tuos, sed etiam te ipsum, & uirtutes tuas perpendit, quasi signum aliquod te elatum esse ad bene de uniuersa Rep. & Christiana religione sperandum intelligit. Nam, si sapientes ex sapientibus, fortes ex fortibus, præstantes ex præstantibus progignuntur, quid de te iudicandum est, qui à tot præclarissimis uiris originem trahis? Omitto maternam, & uxoriam domum Marcellam, ex qua prodiit Nicolaus Marcellus, optimus Dux, & Petrus Marcellus, maternus auus tuus, procurator Marcius præstantissimus, atque alij quàmplurimi ad perpetuam laudem insignes. Ac taceo permulta Mocenicæ familiæ lumina, quæ plura sunt, quàm ut ea complecti una oratione possim. Tantum Mocenicos Principes commemoro; in quibus Thomas, Petri Procuratoris Marcij filius, & Leonardi item Procuratoris frater admirabili fuit sapientia præditus. Hic cum dicere soleret, non ut Appius Claudius, ad tollendam desidiam, negocium populo melius, quàm ocium committi, sed ad perfruenda pacis commoda, nuptias, cognatos, liberos, amicos, diuitias, sanitatem, annonam, uoluptates omnes, belli negocium nunquam nisi per

uim

uim suscipiendum, & honestissimum ocium semper in Rep.
pro uiribus retinendum: Francisco Foscaro suadenti, ut bel
lum Florentinorum caussa, atque adeo pro augendis Imperij
Veneti finibus contra Philippum Mediolani Principem in con
tinenti ora iniretur, sæpissime est aduersatus; & si dilatandi esset
fines, id maxime tentandū esse in re maritima, qua plurimū hæc
Resp. valeret, ac posset, grauissimis, atq; elegantissimis concioni
bus psuasit. Neq; uero parui ducendū est, ꝙ tametsi consilijs, &
studijs cum Foscaro dissenserat, quemadmodum dissensisse P.
Africanum, & Q. Metellum memoriæ proditum est: tamen ia-
cens, & moribundus, conuocatis intra cubiculum illorum non
nullis, quos creando principi inter Quadraginta viros præfu-
turos putabat, quosq; trahere in opinionem suam auctoritate,
& eloquentia poterat, cum eum, quamuis sibi infensum, præ-
stanti esse animo, atque ingenio cognosceret, non ab eo Sena
torum uoluntates alienauit, sed præclarissimos viros studiosis
sime cohortatus est, ut eum ad tantam extollerent dignitatē;
ut, quemadmodum Ti. Sempronius Gracchus L. Scipioni Asia
tico, alioqui propter dissensiones, quas cum P. Scipione Africa
no eius fratre exercebat, non æquus, in propulsanda iniuria
fuit adiumento, & maximum aduersarium quasi sustinuit ca-
dentem; sic Thomas Mocenicus Franciscum Foscarum à se dif
fidentem in adipiscendo principatus honore adiuuisse, & no-
bilissimo, ingeniosissimo, præstantissimo aduersario quasi por-
rectis manibus faciliorem ascensum ad altissimum Reip. gra
dum reddidisse uideatur. Nec tacendum est, quamuis Thomas
pacis amantissimus esset: tamen eius consilio, iustissimis de
caussis bello gesto, uniuersum Forum Iulii, & Carniam esse
partam, ac Cenetam, Belumnumq; & Feltriam receptam. Quid
dicam de Petro Mocenico, Leonardi Procuratoris Marcij,
quem modo nominaui, filio? qui Nicolao Canali, rei mariti-
mæ imperator suffectus; Eubœam insulam iam amissam, & uni
uersam Græciam Othomanicis copijs oppressam, fortitudine,
ac prudentia sua in pristinam libertatem uindicauit; qui Nau
pactum Turcarum pene armis expugnatum seruauit, insultan
tesq; tota Peloponneso Turcas inhibuit; qui Cyprum insulam
ab imminentis seruitutis iugo eripuit, & Veneto Imperio, Cor
neliæq; familiæ adiunxit; qui Smyrnam expugnauit, & alia loca
in

in Veneti imperij ditionem redegit; qui Epirum, & Scodram oppidum à durissima Turcarum obsidione liberauit; qui, quamdiu rei maritimæ præfuit, Turcas mirabiliter repressit, atque vniuerso mari Aegeo ita exclusit, vt superare Hellespontum non auderent; qui denique tanta cum gloria, & felicitate in patriam reuersus, propter plurima, & clarissima in Remp. merita, Nicolao Marcello Principe vita functo, principatum est consecutus; ac, tametsi eum paucos menses gessit, propter grauissimum morbum, quem in Boliano amne contraxerat: ita tamen gessit, ut maximum sibi, & familiæ Mocenicæ decus compararit. Quamobrem laudent quidem Athenæ Miltiadem, & Themistoclem, fortissimos, ac sapientissimos Imperatores, quorum alter trecenta millia Persarum Marathone deuicit, alter patriam Principem Græciæ reddidit; laudent Epaminondã Thebæ, qui inuictam ad suum tempus Lacedæmonis virtutem secundis prælijs apud Leuctram, & Mantineam contudit; laudet Lacedæmon Leonida, cuius illa præclara vox circunfertur, Prãdete Commilitones tamquàm apud inferos cœnaturi; laudet Decios Roma, quorum alter in bello Latino, alter in eo bello, quod Samnites, Galli, Etrusci, & Vmbri collatis armis intulerant, se gessit fortissime, atque aliæ vrbes alios Imperatores in cœlum laudibus efferant: Venetiæ autem de Pĕtro Mocenico, maximo fortitudinis, ac prudentiæ exemplo, nunquam non prædicabunt; atque eam felicitatem in eo commemorabunt, quam illi non sunt experti. Illi enim partim in carcere, & vinculis, partim in exilio, partim in acie occubuerunt: hic uero cum in pergrauem morbum Reip. caussa incidisset, nec inuidia, nec hostium armis oppressus, patriæ est reseruatus ad altissimum dignitatis gradum perfruendum; quo duce pulcherrimum Mocenicorum numisma excusum dicitur, familiæ de Rep. optime meritæ clarissimum monumentum. Iam vero quis dignis extollet laudibus Serenissimum Principem, Ioannem Mocenicum, Petri Principis fratrem, proauum tuum? cuius opera pax cum Turcarum Rege honestis conditionibus est confecta, bellum pro Florentinis susceptum, Curite accepta, Adria, & Peninsula Rhodigina Veneto Imperio adiecta: vt cum ille dignus sit, qui non solum Venetorum, sed omnium gentium litteris, atq; linguis celebretur; nos præcipue, qui ad tantam Imperij beni

gnitatem,ad tantam Senatorum manſuetudinem, ad tantam fe licitatem ab illo redacti ſumus , quantum uoce, quantum ingenio poſſumus , tantum ad illius prædicationem perpetuam conferre, ut facimus, debeamus: omnia enim commoda,atq; ornamenta, quæ ab hoc Illuſtriſſimo Senatu in nos redundarunt, & quotidie magis redundant, illi accepta referimus. Quēadmodum igitur Sereniſſimi maiores tui , Sereniſſime Princeps, Imperium Venetum mirabiliter auxerunt,ut ob id augustiſſimi appellari merito poſſint: ita ſperamus te hoc tempore Remp. maxime aucturum,& celeberrimæ famæ illorum, clariſſimoq; nomini Leonardi aui,& Thomæ patris tui reſponſurum; quorum alteri cum pro Marcia procuratione,& rei maritimæ generali Imperio rectiſſime adminiſtrato , atque alijs in Remp. meritis, tum uero, quia Nicolaum, Ioannem, & te ipſum ſplendidiſſima huius ciuitatis lumina,procrearit,habendæ ſunt gratiæ: alterum Procuratorem item Marcium omnibus,& ſingularibus in perpetuum laudis ornamentis quàm digniſſimum, duo Leonardi, alter Nicolai , alter Ioannis , præclariſſimorum fratrum tuorum, filij, vt nomine, ita etiam uirtutibus repræſentant. Vt autem hanc de te ſpem habeamus,illud potiſſimum efficit, quòd animaduertimus, te ex Illuſtriſſimis maioribus ortum non generis ſplendore elatum in ocio,atque deſidia tibi langueſcendum putaſſe , ſed, quò clariores tibi faces præluxerunt, eò magis elaboraſſe,ut tanta te claritate omnino dignum oſtenderes. Egregie. Cum enim nobiliſſimi homines in excelſo ætatem agant,ita ut eorum facta cuncti mortales nouerint ; cumq; ab eis res maximæ propter nominis fulgorem expectentur; pro uiribus enitendum eſt, ne quid humile , ne quid abiectum , ne quid ſua indignum nobilitate commiſiſſe uideantur : ut melius quandoque ſit ex minus claris oriri parentibus,ut, ſi nihil eximie egerimus, nihil requiratur , ſi quid eximie, id tamquàm ſponte , non ex debitione præſtitum magnæ laudi ſit, quàm ex maiorum rebus geſtis eam de nobis expectationem excitari , quam uel ſuſtinere nullo modo poſſimus, uel, ſi ſuſtineamus, nihil egiſſe noui exiſtimemur . Niſi forte ea uirtutum præſtantia in nobis reperiatur, ut ſupereminere maiorum ipſorum, quamuis præſtantiſſimorum, gloriam aliquo modo poſſe uideamur. Quod de te certo ſperatur, Se-

reniſ-

renissime Princeps,qui in omnibus, quos administrasti, magi-
stratibus omnium opinionem vicisti: vt si idem in principatu gerendo feceris, quod certe facies, non eos solum,quos modo commemoraui, serenissimos, ac præclarissimos maiores tuos, sed omnes, qui vnquam fuerint,Principes superaturus sis. Quid enim aliud existimari potest de eo,qui ita in litterarum studijs versatus est,ut omnium,liberalium artium peritissimus habeatur; qui tantum studijs ad constantiam,& moderationem animi, tantum ad magnanimitatem , & perseuerantiam , tantum ad æquitatem,& liberalitatem , tantum ad intelligentiam , & prouidentiam, atq; adeo ad sapientiam,& virtutes omnes pro fecit, ut omnibus admirabilis videatur; qui, cum eos nunquam sibi imitandos censuerit, qui in studijs abditi in aciem, atque in solem non prodeunt, nihilq; ad ciuium suorum salutem , & commodum conferunt,quidquid assidua meditatione,& librorum tractatione cognosceret, quidquid ingenio efficere , atq; industria posset,patriæ, qua nihil vnquam charius post Deum immortalem habuit,consecrauit? Adde, quòd ita natura uerax natus es, vt merito profiteri possis, te nihil vnquàm falsi protulisse; ita lenis, ac mansuetus,ut tui propriũ sit,nulla unquam de caussa succensuisse; quarum rerum altera efficis, ut superare Catonem, altera, ut Cæsarem uidearis. Quapropter nemini mirandum est,te ita in tota comitiorum ratione floruisse,ut maximos honores & facillime ceperis,& rectissime administraris. Nam in oĩbus,quibus functus es, magistratibus, ita te gessisti, ut ad maiores quotidie tibi dignitates aditum patefeceris. Vt.n. prætercam in hac temporis angustia expectationẽ,quam Othomanici belli tempore ordinibus præpositus de tua summa uirtute,summoq; ingenio ab adolescentia concitasti; quanta prudentia, æquitate, innocentia, benignitate, Vicetiam,Cremam, Patauium rexisti? quæ urbes gratissimis semper animis clarissimum nomen tuum sunt prosequutæ, teq; tamquàm alterum Aristidem, & alterum Niciam , quorum unum quondam Athenis iustissimum ,alterum popularium commodorum studiosissimum fuisse, prisca monumenta testantur, non desinũt, neque unquam desinent celebrare, ut nulla profecto ætas maximas laudes tuas obscuratura esse uideatur. Cum aũt alia,quæ admirabiliter illis in urbibus gessisti, ne iusto sim longior, ta

ceam, illud tantum, quod potissimum prædicatur, attingo, te Vicetiæ superuacanea officia non pauca, quæ illustrissimo Dominio oneri erãt, sustulisse, & uectigalia, qui appellari nerui Reip. solent, plurimum auxisse; Patauij uero in studiosa inuentute fouenda, singularem humanitatem ostendisse, quam uel ego, cum in illa ciuitate in iuris ciuilis, ac Pontificii studia illo tempore incumberem, cum maxima mea uoluptate præsens sum admiratus. Quid autem dicam de honestissimo, atq; amplissimo legationis munere, quod tibi sæpe propter summum ingenium tuum delatum est? quod quidem munus non nisi hominibus omni uirtute præstantibus mandari solet, propterea quòd non unius partis, sed totius Reip. maiestatem secum habeat; non unius Senatoris, sed totius Senatus grauitatem repræsentet; non unius uirtutis, sed fidei singularis, maximæ eloquentiæ, moderationis summæ, admirabilis sapientiæ, ac totius virtutum orbis indigeat. Equidem quodammodo mihi assentor, qui munere tam præclaro cum egregio Doctore, & præstanti Equite, Bernardino Fornagerio fungor. Nam, dum Rhodiginæ ciuitatis prope faciem præ me fero, clarior, atque excellentior mihi ipse videor, cui præsertim datus ad dicendum est locus in conspectu tot grauium senatorum, in oculis tot sapientium virorum, in luce tanti principis, atque omnino in ipso domicilio dignitatis, & gloriæ. Quòd si mihi honestum, atq; amplum est, vnius ciuitatis huic imperio subditæ mecum deferre auctoritatem; quanto dignius tibi, atque illustrius fuit, Serenissime Princeps, huius vrbis tantam ditionem continentis, tamquàm theatri cuiusdam in omnes terras longe, lateq; resonantis, amplitudinem sustinere, & quidem apud eos principes sustinere, quibus nulli in terris venerabiliores inueniũtur? Nam apud duos Pontifices Max. Paullum iv. & Pium iv. ac duos Imperatores, Carolum v. & eum, qui nunc imperat, legationis munus obiuisti; talemq; te legatum præbuisti, ut nemo in curandis illustrissimi Senatus mandatis aut diligentiã, aut facultatem dicendi, aut splendorem, aut aliud quidquam, quod ad dignitatem, & incolumitatem publicam pertineret, in te vnquam desiderarit. Quantam vero laudem adeptus es, cum terræ firmæ sapiens fuisti? cum continentis oræ prouisor generalis, propugnaculis, ac militibus omnibus perlustratis, diligentis-

gentissime, ac prouidentissime Reip. statum firmasti? cum in hoc illustrissimo senatu Senator ordinarius, Decemuir, Consiliarius, nihil vnquam aliud respiciens, nisi publicum decus, & commodum, grauissimas sententias dixisti? cum in procuratione Marcia sanctissime administranda, piorum maxime uoluntatem, & pauperum egestatem spectasti? in quibus praeclaris dignitatibus quae singula praeclare egeris, si tantum narrare, nedum exornare, in animo habeam, nunquam dicendi finē faciam. Hac tanta celebritate famae, cum Petrus Lauredanus, optimus, atque integerrimus Princeps, mortuus esset, & ad principatum euehendus esset is, qui in maximo rerum motu sustētare Remp. posset; his prudentissimis Senatoribus quàm dignissimus visus es, qui toti Reip. administrandae praeponereris. Itaque maximo bonorum applausu, maximaq; laetitia princeps creatus es; qui non solum Comitia, Collegium, Senatum, praesentia, & maiestate tua cohonestares, & quibusdam diebus forum, iudicia, tribunalia perlustrares: verum etiam vniuersum Venetum imperium tua vigilantia custodires, immanes Turcas tua virtute, tuo consilio, tua prudentia cohiberes; Italiae libertatem ab imminenti periculo protegeres; foedis christianae Reip. vulneribus, quae in Asia, in Africa, in Europa efferae gentes intulerunt, salutarem manum admoueres; & impium genus, quod nihil nisi nefandum, nisi inhumanum, nisi crudele cogitat, exterminares, euerteres, deleres. Quod te facturum esse speramus, à praepotenti Deo adiutum; eò magis quòd res geritur à piis contra impios, à fidelibus contra perfidos, ab hominibus contra belluas, &, sicut christiani milites, diuino auxilio, & sua innocentia freti ita ad praeliandum sunt parati, ut nullum unquam bellum maioribus militum animis esse gestū commemoretur: ita christiani nominis hostes suae perfidiae, ac sceleris conscij, & suis malis cogitationibus tamquàm furiarum taedis ardentibus exagitati à praelijs abhorrent; ac, tametsi perfidus ille tyrannus multas triremes eduxit, multa peditum, atque equitum millia coegit, & putat Fortunam ita cū potentia sua esse coniunctam, vt sibi, tamquàm Timotheo dormienti, castella, vrbesq; plurimas in retia dimissura sit: tamen non esse minor videtur Veneta classis tua diligentia quàmprimum parata; & si non plures, at saltem firmiores, & rei militaris

taris peritiores, tum equites, tum pedites pro hac Rep. pugnare existimantur; ac Fortuna à Turcis maxima clade, & dedecore ad Melitam insulam se auertit, quæ quò diutiurnior in afflando extitit, eò constantior in reflando futura esse sine dubio creditur. Principatu igitur tibi delato in tot, tantisq; motibus Christiana Resp. cuncta Italia, omnes vrbes clemẽtissimo Venetiarum imperio supposítæ, ne dum Venetiæ, quæ tantum continent bonum, gaudent, & gestiunt, quòd te nihil nisi dignum maioribus tuis, dignum christiano Principe, dignum te ipso esse facturum, & veram religionem prudentissime, ac fortissime defensurum, multis, & firmis argumentis sibi persuaserint. Atque cum aliæ regiones, & huius Reip. partes magis sua, quàm tua caussa lætentur, propterea quia eum te esse censeant, qui pro communi salute, pro commnni libertate, pro Christi fide vigilaturus sis; Rhodigina peninsula, & præcipue Rhodigium tui clarissimi nominis studiosissimum, tantam ex honore tuo, quantam ex suo commodo percipit voluptatem, quòd cum meminerit, se à Serenissimo Principe Ioanne Mocenico, proauo tuo, ad tantam imperij lenitatem esse perductum, plus, quàm ceteræ ciuitates, quæ tantum beneficium non acceperunt, nobilissimæ familiæ Mocenicæ debere se confitetur. Itaque, quò maiore, quàm ceteræ, lætitia affecta est ciuitas Rhodigina, eò nos studiosius eius nomine amplitudini tuæ gratulamur; humilem, ac diligentem obedientiam, quæ graui, & legitimo Principi præstari vberrime, amplissimeq; debet, deferimus, non modo fortunas, qualescunq; sint, sed corpora etiam nostra pollicemur; & quantum possimus, quantumq; ualeamus, una mente addicimus, & consecramus. Tuum autem est, beneuolos Rhodiginorum animos non contemnere, & Rhodigium amplissimo nomini tuo deuinctissimũ, quod per familiam tuam partum tuum quodammodo est, tamquàm tuum tueri, atq; exornare. Quod ut facias, te obsecramus, &, ut in perpetuum salua sint omnia, salutem tuam perpetuam à Deo Opt. Max. precamur.

Habita Venetijs pridie Kal. *Septembris. M. D. LXX.*

DE



DE STVDIIS LIBERALIVM ARTIVM.

Antonij Riccoboni Oratio.



VO primum die, Auditores, de me in hanc antiquissimam vrbem, atque in hoc celeberrimum gymnasium ad profitendas eas artes, quæ ad humanitatem ptinent, euocando, illustrissimum Senatum Venetum decreuisse cognoui; partim voluptate, partim molestia affectus sum. Nam, dum animo meo cogitabam, quãtum amplitudinis, atque ornamenti mihi egregia huius delatio muneris attulisset, cum mihi publico esset decreto permissum, vt, cuius sedis subsellia discendi incensus desiderio frequentaram, eam docendi caussa ascenderem; &, quantum corporis laborem, quantamq; animi contentionem ad hæc præclara litterarum studia adhibuissem, in hac Academia, quæ nobilitate reliquis antecedit, ostenderem; atque honesta conditione bonas artes profiterer in hac vrbe, quæ originis vetustate vel ipsam superat gentium Principem Romam, eiusque pulchritudine, magnificentia, elegantia, amœnitate, vbertate, copia, ac omnino felici, & plane diuino genio, quem semper co-

lui,

ſui,cum magno meo honore perfruerer : non poteram non omni gaudio cumulari; quippe qui ita ſtatuerem , me nullam maiorem dignitatem, nullumq; maius decus in iuuentute mea cõſequi potuiſſe,quàm eſſem ex illuſtriſſimi Senatus iudicio, ac teſtimonio,& veſtro omnium applauſu , ac lætitia conſecutus ; vt, ſi adhuc tam honorificum de me decretum ,& tam egregiam veſtram erga me voluntatem reſpiciam,fatendum ſine dubio ſit, pulchriorem mihi diem illuxiſſe nullum hoc ipſo die, quo mihi primum datum eſt huc aſcendere ,& huius loci claritatem experiri . At,cum conſiderabam , earum litterarũ, quas profitendas ſuſceperam,magnitudinem, & varietatem, quæ græcæ , & latinæ linguæ rationem , dicendi doctrinam,poeticam facultatem,antiquitatis obſeruationẽ,dialecticæ notitiam,philoſophiæ moralis cognitionem, atque omnium prope ingenuarum artium contemplationem , doctiſſimorum hominum iudicio complectuntur; mihiq; ante oculos proponebam,clariſſimæ huius ciuitatis amplitudinem,& celebritatem, frequentiſſimi huius, & longe, lateq; in omnes terras reſonantis theatri ſplendorem , & grauitatem, ſtudioſiſſimorum iuuenum de meo ingenio, ac doctrina ſpem, & expectationem, ſapientiſſimorum huius gymnaſij moderatorum , NICOLAI PONTII, & FRIDERICI VALARESSII non obſcuram opinionem, ac totius Illuſtriſſimi Senatus tacitas cogitationes:quàm commouebar,& perturbabar, quàm angebar,& excruciabar,quàm me miſerum,laborioſum, afflictum putabam; qui, tametſi quotidianis laboribus , atque aſſiduis uigilijs meis aliquid efficere uidebar poſſe : ab illa tamen uel ingenij, uel doctrinæ uarietate,atque præſtantia,quæ in hoc munere obeundo requiritur, ſentiebam me longe abeſſe;& ut mihi perſuaſiſſem in re tanta reſpondere me poſſe huius ciuitatis, & gymnaſij dignitati, ac tot lectiſſimorum adoleſcentium , totq; præclariſſimorum uirorum uoluntati ; quod uix optare, ne dum ſperare audebam: multiplicis quidem conſeſſus ueſtri cogitatione non exalbeſcere,& grauium iudiciorũ ueſtrorum metu non intimis etiam ſenſibus exhorreſcere, hominis eſſe exiſtimabam petulantiæ, atque immoderationis pleniſſimi. Itaq; in maxima ingenij mei imbecillitate oneri,quod humeri ſuſtinere mei minime uidebantur poſſe, me ſine dubio

ſub-

ſubtraxiſſem; ni recordatus eſſem, quò magis homines ratione uterentur, eò magis homines eſſe, & quò magis homines eſſent, eò maiori humanitate, & benignitate uti; omnium autem hominum nullos rationi magis ſeruire, nullos apparere magis homines, nullos eſſe humaniores, & benigniores, quàm qui ſe ſtudioſos bonarum artium, quæ ad manſuetudinem morum, & facilitatem reuocant rationem, profiterentur. Quamobrem me cum cogitabam, vos eſſe omnium hominum humaniſſimos, & benigniſſimos, vt hac ipſa recreatus cogitatione, atq; refectus ſperarem vos, ſi omnia veſtra ſtudia meis omnibus occupationibus perpetuo anteferri, atque omnem meam curam, ac diligentiam ad veſtras vtilitates, & commoda referri cognouiſſetis, nihil à me amplius quidquam, quàm quod effici ingenio, atq; induſtria mea poſſet, deſideraturos. Quæ mea ſpes cum prorſus confirmata ſit hodierno die, mihi omnium propter maximam frequentiam, & admirabilem attentionem veſtram iucundiſſimo: omnino ſubleuatus, atque erectus non dubitabo in hac magnificentiſſima vrbe, in hoc honeſtiſſimo gymnaſio, in eiuſmodi munere obeundo, meam uobis operam quantulamcumque nauare; nec recuſabo ueſtrorum commodorum, ueſtræq; laudis auctor eſſe, atque in obſcuriſſimis quaſi tenebris facem uobis quandam mea, quæcunque ſit, induſtria præferre; in hac autem mea proluſione, & in primo huius meæ profeſsionis tamquàm veſtibulo, audebo quàm breuiſſime de retinendis ſtudijs liberalium artium, quibus multi, naturam vnam intuentes, nullum prope locum relinquunt, diſputare. Id.n. viſum eſt haudquaquam à propoſito meo alienum, vt mentes veſtras in frequentiſſimo huius diei, ampliſſimoq; conſeſſu ad ea ipſa ſequenda eiuſmodi diſputatione inflammarem. Equidem cenſeo, Aud. admirabilem eſſe vim naturæ humanæ, qua ipſa non repugnante homines quælibet magna, atq; præclara ſe poſſe aſſequi meo quidem iudicio diffidere non debent. Quid .n. vi naturali non poteſt hominum mens, acerrime multa excurrens, celerrime multa agitans, ſagaciſsime multa inueſtigans? Quid non poteſt animus datus ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſydera, & ſtellæ nuncupantur? Quid non poteſt ingenium diuinitatis particeps, & perpetua cupiditate ardens rerum cognoſcendarum? Intelligit enim homo, ſe nulla alia re magis Dei

C condi-

conditionem attingere, quàm rerum notitia Itaq; natus celsus, & erectus ad cœlestium globorum, & luminum contemplationem, exercet in primis memoriam, & eam infinitam rerum innumerabilium, quam recordationem esse superioris vitæ, doctissimi homines censuerunt; cuius vim (vt taceam Simonidē, Theodectem, Cyneam, Carneadem, Metrodorum, Hortensiū, alios, quos celebrauit antiquitas) etiam communis hominum mens, & eorum maxime, qui aliquod maius studium, & artem tractant, diuinam esse ostendit. Idem mirabili quodam iudicio inuestigat occulta; ex qua inuestigatione omnibus rebus imposita sunt nomina, quod summæ sapientiæ à Pythagora tributū esse, memoriæ proditum est; vagantes in agris homines congregati, & ad societatem vitæ conuocati; infiniti vocis soni paucis litterarum notis terminati; fruges, uestitus, tecta, cultus uitæ, præsidia contra feras inuenta; auribus oblectatio parta ex varietate, & natura sonorum, qua dictus est Orpheus crudeles tigres, & rapidos Leones lenire, Amphion autem saxa mouere, & quò vellet, ducere; astrorum, tum eorum, quæ infixa sunt certis locis, tum illorum, quæ appellantur errantia, conuersiones notatæ; Solis, Lunæ, Saturni, Iouis, Martis, Veneris, Mercurij motus in sphæram illigati, ad imitationem illius, qui hanc vniuersitatem rerum architectatus, & fabricatus est, Dei; aliaq; innumerabilia excogitata, quæ haberi potuisse, sine cœlesti lumine non existimo. Animus igitur hominis contemplatione rerum pulcherrimarum gaudens, Dei, quoad humana patitur natura, se simillimum esse ostendit; & diuino instinctu aut graue, plenumq; carmen fundit; aut eloquentiam parit & sententijs, & verbis abundantem; aut philosophiam tractat donum, & inuentum Dei; aut legem omnem tum diuinā, tum cœlestem, tum mouentem, tum humanam contemplatur; aut aliquid aliud facit, quod patefacere eius diuinitatem uidetur. Quamobrem animum alij diuinum dixerunt; alij deum dicere ausi sunt. Hæc autem uis, quæ tot res efficit, & tantas, nititur quidem potissimum natura: sed ratione quadam indiget, conformationeq; doctrinæ, quæ dicitur ars, ad illud præclarum, & singulare conficiendum, quod maxime exquiritur. Ars.n. naturæ est adiungenda; primum quòd illa ab hac proficiscatur, & vtraque in eodem genere versetur, atq; altera per

alte-

alteram illuſtrior reddatur: deinde vero, quia rude quiddam, & imperfectum apparere neceſſe ſit, niſi altera ad alteram accedat: tum uero quia ab illa hæc impellatur, atque acuatur: præterea quia multis bonis carendum ſit, niſi altera cum altera coniungatur: poſtremo, quia illius uirtute huius vitium emendetur. Age.n.quid aliud eſt ars, niſi obſeruatio, & perfectio naturæ? Quàm rudem ſe præbet natura, ſolertem ars, in paranda domo, re militari, alijſq; innumerabilibus? Quàm mature ars, tarde natura opus ſuum prodit, in valetudine curanda, terra colenda, atq; alijs exequendis? Quàm inutiliter natura maria agitat, equum, & bouem procreat, ouem, aliaq; pecora gignit; niſi ars nauigationis vſum demonſtret, immanes beſtias manſuefaciat, & quos ex multitudine pecorum cultu, atq. curatione noſtra fructus percipiamus, indicet? Quàm præclare, excellenter, magnifice ars vitioſam, & mancam naturam, neceſſarijs rebus adijciendis, ſuperuacaneis abijciendis emendat; vt in agricultura uitibus adminiculando, herbaſq; infeſtiſſimas frugibus amputando: & in ingeniorum exercitatione alijs fræna, aliis calcaria adhibendo, id eſt aliorum præcipitem concitationem, aliorum lentam tarditatem corrigendo; quod in Ephoro, & Theopompo feciſſe Iſocratem, memoriæ relictũ eſt? Naturę igitur egregia bona ab arte obſeruantur, & perficiuntur; rudia, & inchoata incitantur, atq; matura fiunt; interclusa, ſublata, occultata, aperiuntur, reſtituuntur, indicantur; luxuriantia coercentur; manca ſupplentur, aliquo modo deprauata corriguntur. Cum autem natura paruulos tantum in hominibus ſcientiæ igniculos excitaſſet, atq; exiguas quaſdam rerum notitias informaſſet, ars ſine dubio adhibenda fuit, quæ ardentius homines inflammaret ad rerum diuinarum, & humanarum contemplationem; atq; efficeret, ut, cum Deus duabus præſtantiſſimis actionibus præditus ſit, cognitionis una, qua omnia intelligit, prouiſionis altera, qua omnia gubernat: animus humanus, in quo alia ſunt, quæ cognitionis uim habent, ut intelligentia, opinio, ſenſus, phantaſia, mens, alia, quæ prouiſionis, ut uoluntas, conſilium, ira, cupiditas, omnibus ex partibus ornaretur, & ad diuinam conditionem proxime accederet; neq; ſolum res ipſas tum materiæ expertes, tum participes, tum uero ita affectas, ut quandoq; ſeparari, quando

quenon ſeparari à materia poſſent, ſibi cognoſcendas eſſe ſtatueret; uerum etiam indagandam eſſe rationem morum, rei familiaris, & Reip. iudicaret. Quo ſtudio incenſi homines in rerum diuinarum explicatione elaborarunt, in naturæ expoſitione operam ſuam poſuerunt; in ſcientiarum tractatione uerſati ſunt, ut à Phyſicis ad Metaphyſica per Mathematica aſcenderint: præterea mores exornarunt; familiarum commodis ſeruiuerunt; Rerump. ſaluti conſuluerunt; ut, quemadmodũ Deus propter ueri notitiam, & bene merendi uoluntatem, tum ſapientiſſimus, tum optimus, tum maximus appellatus eſt: ita homines ipſi diuinam redolentes naturam, ſi non ſapientes, at certe ſapientiæ ſtudioſi, ut uoluit Pythagoras, & in hac rerũ uniuerſitate boni, & magni exiſtimati ſint. Quæ quoniam potiſſimum diuino auxilio facta ſunt; idcirco artes humano generi à quibuſdam Diis eſſe traditæ finguntur; ut à Pallade, Venere, Apolline, Mercurio, Ioue, Cerere, Vulcano, Marte, Diana, Veſta, Iunone, Neptuno; qui cum præeſſe commemorentur duodecim Zodiaci ſignis, Pallas Arieti, Venus Tauro, Apollo Geminis, Mercurius Cancro, Iupiter Leoni, Ceres Virgini, Vulcanus Libræ, Mars Scorpioni, Diana Sagittario, Veſta Capricorno, Iuno Aquario, Neptunus Piſcibus, in animos humanos uires exercere ſuas, perinde ac ipſa ſigna in corpora, dicuntur. Atque hic diuinus afflatus etiam alio figmento expreſſus eſt, ut Iupiter rapiat Apollinem, Apollo illuminet Muſas, Muſæ afflent hominum animos; quæ Muſæ efficiunt cœleſtem harmoniam; & ſunt nouem ſirenes Deo immortali concinentes; ac globos cœleſtes modulate mouent, Vrania globum ſtelliferum, Polymnia Saturni, Terpſichore Iouis, Clio Martis, Melpomene Solis, Erato Veneris, Euterpe Mercurii, Thalia Lunæ; ex quibus omnibus vnus concentus paritur, qui Calliopæ attribuitur. Hæ Muſæ homines afflaſſe feruntur, cum artes excogitatæ ſunt. Itaque inuenta eſt Theologia, immo potius de cœlo deuocata, tamquã regina ceterarum omnium ſcientiarum; cui pulcherrimo veſtitu, & ſplendidiſsimo ornatu in regali ſolio ſedenti, præſto ſunt omnes ingenuæ artes, vt ancillulæ obſequentes: atq; inuenta eſt ei finitima Metaphyſica, quàm qui profitentur, eos tamquàm deos eſſe colendos, doctiſsimorum hominum opi-

nio

nio fuit; quarum quidem vtraque in Dei contemplatione ver ſatur; ſed hæc, quatenus quædam, quæ ad Deum ſpectant, naturæ lumine inueſtigantur : illa vero quatenus ea cognoſcuntur, quorum magnitudo, & præſtantia neque oculorum , neq; aurium ſenſu percipi, neque animo ipſo comprehendi abſq; diuino afflatu poteſt. Inuenta eſt Phyſica, ſpeculatrix, & indagatrix naturæ ; quæ ſubiectum habet corpus naturale ; nihilq; à materia abſtractū contemplatur, ac principia ſuppeditat Medicinæ, tamquàm ſuæ ipſius cognatæ, & affini. Inuenta eſt Mathematica; quæ numerorum formas intuetur; quæ fidium, & vocum concentus exquirit; quæ lineamenta, figuras, interualla, magnitudines exponit; quæ Solis, Lunæ, ſyderumq; omniū conuerſionem ſpeculatur . Inuentæ ſunt diſciplinæ, quæ mores componunt; Ethica, quæ proprios vnuiſcuiuſque : Oeconomica, quæ domeſticos: Politica, quæ publicos; quæ ſingulæ in legum ferendarum notitiam, & iudicandi facultatem diſtributæ ſunt. Philoſophus enim moralis, prudentiæ, fortitudinis temperantiæ, iuſtitiæ, virtutum omnium leges conſtituit; & iudicat humanorum animorum propenſiones, & affectiones: domeſticus rei familiaris fert leges; & iudicat, quo modo ſerui, ac liberi in familia tractandi ſint: ciuilis leges ſtatuit, ad quarum præſcriptum ciues viuere conueniat; & iudicat alios prœmiis, alios pœnis afficiendos; ut tunc demum uere Politicus, Oeconomicus, Ethicus exiſtimandus ſit, cum aptiſsimus ad leges, & iudicia , ideſt præſtantiſsimus iureconſultus uideatur. Quoniam uero non ſatis eſt, recte de unaquaque re ſentire, niſi quæ ſentimus, apte exprimere dicendo poſsimus ; quarum rerum tanta inter ſe ſocietas, atque cognatio eſt, ut diſiunctæ, ſeparatæq; ſi fuerint nō magna admodum ſuppeditare præſidia, atq; adiumenta poſsint: idcirco uiſa eſt neceſſaria orationis obſeruatio ; qua ipſa oratione tantum feris , et immanibus belluis excellimus, quantum ratione, & mente diuinam ſapere naturā uidemur; ut etiam quales Dii inter homines, & homines inter belluas uidentur, tales homines oratione præſtantes inter eos homines, qui minus dicendo ualent, appareant . Quamobrem inuenta eſt Grammatica, quæ uocum uim, ſignificationem, uſumq; docet, ut congruenter loquamur . Inuenta Dialectica, quæ propoſitionum , & argumentationum demonſtrat ueritatem.

tatem. Inuenta Rhetorica, quæ dicendi ornamenta, & quaſi uerborum pigmenta, ac ſententiarum lumina affert. Itaq; intelligitis, Auditores, harum omnium præſtantiſsimarum artium neceſsitatem, ſine quibus nec ueritas indagari, nec hominum actiones ad uirtutem informari, nec oratio inſtitui ſatis commode poteſt. Quæ omnes ab Humanitate tractantur, & expoliuntur, ut, qui unam Humanitatem ſpernit, is omnem liberalem educationem, omnem ingenuam diſciplinam, omnem dignam homine nobili doctrinam, atque adeo uniuerſum humanum genus ſpernere uideatur. Neque enim Humanitatis ſtudium eſt, ut quidam in uulgus iactant, ſuperuacaneum, leue, humile, nugatorium, plenum garrulitatis, & verborũ, inane ſapientiæ, ac prudentiæ, magis pueris, quàm uiris accommodatum, ſed utile, graue, magnificum, pulchris reb. atque artibus inſtructum, à ſummis quondam philoſophis non præceptis ſolum, & commentariis locupletatum, ſed cum cœtibus etiam iuuenum communicatum; à maximis iuriſconſultis non neglectum, ut qui eſſent iureconſulti, iidem eſſent oratores, & omnes ſtuderent non tam eloquentium iuriſperitiſsimi, quàm iuriſperitorum eloquentiſsimi appellari; ab omnibus deniq; omnium ſeculorum hominibus non omnino imprudentibus, & inſipientibus tamquàm humani generis proprium cuſtoditum, quod tametſi à quibuſdam exiſtimetur continere tantum uerborum inanem ſtrepitum quendam, et tenuiſsimas Grammaticæ rationis quiſquilias, rudibus, & ineptis quibuſdã litteratoribus commendatas: tamen, vt arborum altitudo neceſſario hæret radicibus, et ſtirpibus ſuis, quòd eſſe illa ſine his non poteſt: ſic ipſum ex neceſſariis principiis conſurgens in omnes ingenuas artes diffunditur, eiq; omnibus tamquàm fons uberrimus maximam argumentorum copiam ſubminiſtrat; nec uerſatur ſolum in vocabulis declarandis, in dicendi præceptis tradendis, in poetica facultate illuſtranda, ſed ornat etiam hiſtoricos, ornat dialecticos, ornat mathematicos, ornat iuriſperitos, ornat medicos, ornat, qui alias omnes ſcientias ꝓfitentur; et tam late patet, tamq; varium eſt, vt, cum alii laudẽtur, ſi in vno genere excellant, medici, ſi in unius artis medicæ cognitione; iureconſulti, ſi in vnius iuris ciuilis notitia; philoſophi, ſi in vnius Ariſtotelis, vel vnius Platonis aſſidua lectio-

ne;

ne; alii, si in aliarum quarundam rerum diligenti tractatione: nos vix tolerari possimus, nisi omnes prope liberales doctrinas cognouerimus; cui rei sufficere nulla ingenii facultas, nulla industria, nullum studium, nulla diligentia potest. Hinc apparet, Aud. Humanitatis, quam profitendam suscepi, uarietas, et magnitudo; quæ adeo necessaria est, vt nemo rem publicam, nemo priuatam, nemo forensem, nemo domesticam, nemo vrbanam, nemo rusticam sine harum litterarum præceptis satis commode tractare; nemo belli, nemo pacis studium recte p͡ſe qui sine harum litterarum præsidio; nemo laboris, nemo quietis, nemo negocii, nemo ocii, nemo adolescentiæ, nemo senectutis, sine harum litterarum fructu, bonam habere ratione͂, meo quidem iudicio, posse videatur. Quamobrem retinete, Aud. studium Humanitatis, necessarium philosophis, ut cordis, et linguæ societatem, ac cognationem tueantur; necessarium iureconsultis, ut ciuilis scientiæ magnam, et amplam partem ne deserant; necessarium medicis, dialecticis, senatoribus, imperatoribus, atque adeo omnibus hominibus, ut non Humanitatis expertes, id est, ut mihi interpretari licet, parum homines, sed eius rationis, quæ ad Humanitatem pertinet, compotes, id est, uere homines iudicentur. Neque tamen censeo uobis relinquendam esse eam studiorum viam, ad quam vos tacitus naturæ uestræ sensus fert. Non enim ignoro, ut corporum, sic animorum uarias figuras esse, ut propria ingenii bona aptis, & co͂gruentibus studiis mea quide͂ sententia omnino fouenda sint. Sed illud unum contendo, cum legibus, cum philosophia, cum medicina, cum omni prorsus sapientia eloquentiam coniunge͂dam esse, tamquàm necessariam omnibus disciplinis. Quæ ut percipi commode possent ad commune omnium decus, & fructum, cum omnes optime institutæ ciuitates, omnes liberi populi, omnes præclaræ Resp. summa semper ope habere apud se doctissimos homines studuerunt, qui publice ueteru͂ libros explicarent, & quasi secreta liberalium artium latibula aperirent: tum uero Veneti Senatores admirabili prouide͂tia præditi præter publica Venetiarum gymnasia in hac antiquissima imperii sui urbe clarissimum omnis doctrinæ domicilium statuerunt; atque huc nobilissimos ex omni terrarum parte doctores acciuerunt, qui non aliter regere hoc celeberrimu͂ gym-

nasium

sentimento compr dimento del suo intelletto

si deuino nutrire

potere

naſium tot excellentiſsimis ingeniis ornatum, atque refertum uidentur, ac cœleſtes illæ mentes Dei comites, atq; adminiſtræ, cœlum fulgentiſsimis ſyderibus decoratum regunt; & perſonas Muſarum in terris ſuſtinent, æque ac ſuſtinere eædem mentes in cœlo exiſtimantur. Vbi enim ſunt iſtæ Muſæ in terris? nõ in Thracia, ubi Libethra; non in Phocide, ubi Parnaſſus; non in Bœotia, ubi Helico ab eis incoli, atq; habitari dicebatur: ſed in præclariſsimis Europæ Academiis; & præſertim Patauina, ubi earum ipſarum ſacrarium auguſtiſsimum à Principibus Venetis eſt collocatum. Quare ut Calliope, ut Clio, ut Erato, ut Thalia, ut aliæ Muſæ à poetis inuocantur: ita uobis, Aud. petendum auxilium eſt in iure ciuili, in philoſophia, in medicina, in omnibus diſciplinis à tot grauiſsimis iuriſconſultis, maximis philoſophis, præſtantiſsimis medicis, atque adeo ab omnibus huius celeberrimæ Academiæ egregiis doctoribus, quibus qui operam dant, ij muſis amici, & ex earum præſcripto tractare ſcientias putantur. Quorum è numero cum me eſſe uoluerit illuſtriſsimus Senatus, tenentem unum de principibus locis ueteris tradendæ eloquentiæ; primum lætor me præclarã huius in poſſeſsionem ſedis ingredi; Prætore IACOBO AIMO, Præfecto PETRO FOSCARO, ſummis litterarum patronis; quorum illuſtris, ac peruagata fama omnem mihi benignitatem, atque humanitatem pollicetur. Tua quidem præſtantia omnibus notiſsima eſt, Prætor clariſſime, qui originem trahis à Ioanne Aimo, Equite præſtantiſsimo, & Senatore grauiſsimo, illo, qui domi, foriſq; ampliſsimis magiſtratibus ſummiſq; in Aſia, & Europa, legationibus functus in bello Ferrarienſi honeſtiſsime mortuus eſt; qui præ te fers ingenium optimum Leonardi Aimi, Ioannis filij, cum propter alias multas, & magnas dignitates rectiſsime adminiſtratas celeberrimi, tum vero quòd Patauium ſapientisſime rexerit, à Patauinis perpetuo celebrati; qui tanta prudẽtia, integritate, clementia, grauitate hanc ampliſsimam Præturam geris, vt te ad huius ciuitatis commodum, dignitatemq; tuendam, atque augendam natũ vna voce omnes prædicent. Tuus vero ſplendor, Præfecte præſtantiſsime, animi mei oculos præſtringit, qui excelſa petens, ampla, illuſtria, plena dignitatis, & gloriæ, duos Sereniſsimos Duces, alterum agnatum, alterum af-

finem

finem tuum,id eſt, Franciſcum Foſcarum, eum, qui quinque & triginta annos cum maxima ſua laude,atque incredibili omnium cum admiratione Remp. gubernauit, & Andream Gritum, clariſſimi viri, Marci Foſcari, patris tui, auunculum, illum, quem ſexdecim annos vniuerſus terrarum orbis in Principatu admiratus eſt, tibi imitandos propoſuiſti; de cuius admirabili in Rep. adminiſtranda ſapientia, & ſingulari iuſtitia multa quidem ante audiueram, ſed de tanta humanitate,quanta in me vſus es, dum, vt de me ne de facie quidem noto accerſendo decerneretur, curaſti, nihil prorſus cognoueram; vt cum ea nunc mihi pro tuo in me merito perſpectiſſima ſit, cum ei ſummas laudes tribuendas eſſe cenſeam, tum vero me omnia, quæ gratiſſimus afferre animus poſſit, officia,debere cõfitear. Primum igitur gaudeo,me incipere à tantis viris pendere. Deinde uero omnibus diſcere cupientibus quidquid ſtudio,officio, diligentia, induſtria, animi, ingeniјq; viribus efficere in hoc munere poſſim, id omne polliceor,ac defero,& in hoc frequentiſſimo conſeſſu,atque ampliſſima concione Deum Opt. Max. clara voce conteſtans profiteor, me omnibus,quantum in me erit, tum publice,tum priuatim ſatisfacturum,ac aperte declaraturum, mihi eſſe deliberatius nihil, quàm doctrinarum ſtudioſos, quacunq; ratione poſſim,& interpretationibus,& lucubrationibus,& opibus,& conſilijs,& gratia adiuuare, atque effecturum, ut ad me ſtudiorum cauſſa adeuntibus perpetuo etiam domus mea intima, nedum locus publicus patere intelligatur. Poſtremo uos, ſtudioſiſſimi iuuenes,quorum magnificentiſſimus conſpectus ſpem magnam ſummi honoris, atq; eximiæ cuiuſdam apud homines commendationis mihi affert, oro, atque obſecro, ut quo ſtudio me hodierno die audiuiſtis, id in perpetuum conſeruetis. Affirmo enim uobis, me plane, & dilucide eloquentiæ præcepta in præclaris veterum tum græcis, tum latinis ſcriptis, expoſiturum; atque in his litteris, quibus nullæ ſunt ad oblectandum animum aptiores,ad uitam hominum tuendam commodiores,ad gloriam conſequendam opportuniores, meas vires, quantulæcunque ſint, ad veſtra optata,& commoda collaturum. Quod cum ſponte mea faciam, tum uero, ut clariſſimis huius gymnaſii moderatoribus,qui me fouerunt, & ſenatui commendarunt; vt ipſi Senatui,cuius

ſuffragia, ſententiæq́; de me accerſendo maxime conſenſerunt, vt reliquis omnibus, qui me apud Senatores laudibus extulerunt, gratificari videar; & eò etiam alacriore animo faciam, quò magis ſi uos, clariſſime Prætor, præſtantiſſime Præfecte,& me, & ſtudioſiſſimos hos iuuenes, veſtra humanitate, & manſuetudine, ut uehementer cupimus, exiſtimabitis complectendos.

Habita in Gymnaſio Patauino Pridie Non. Nouembris. M.D.LXXI.



DE



DE STVDIO HVMANITATIS.

Antonij Riccoboni Oratio.



VAE mea de retinendis liberalium artium studijs, sententia esset, Aud. heri, vt uos ad ea ipsa sequenda tuendi officij mei caussa cohortarer, ac propensæ meæ erga vos voluntatis significationẽ aliquam darem, exposui quàm planissime, & quàm breuissime potui. Nunc me commouet, ac perturbat perniciosissima quædam opinio, quam increbuisse animaduerto, eorũ, qui dicunt, nihil esse, cur in uerbis magnam operam ponamus, rerum vnam cognitionem perquirendam; satis esse, si ita loquamur, ut intelligamur, quid sentiamus, tantum curandum; philosophiam, ius ciuile, medicinam, alias grauiores artes, quæ rerum caussas docent, studiose persequendas, Humanitatis studium verborum plenum, prudentiæ inane, tamquàm superuacaneum, ac leue reijciendum. Quæ oratio quamquam satis cõfutata est studijs vestris, Aud. qui ita in rebus cognoscendis elaboratis, ut verborum disciplinam ne despiciatis, ut facile intelligi potest ex admirabili vestro in hunc locum concursu, & singulari attentione, ex qua cum redundare non minus in me laudis, quàm ex maximo meo labore in vos vtilitatis videatur;

ſit, ut multo libentius mihi pro veſtris commodis vigilandum ſit: tamen, quia vereor, ne magna quorundam auctoritas, qui rebus ſtudent, uerba non curant, animos ueſtros à rectiſſima ſtudiorum ratione deducat; mihi, cui publice ex Illuſtriſſimi Senatus decreto Humanitas tuenda eſt, faciendum eſſe exiſtimo, vt eiuſmodi ſententiam tamquàm falſam ab omnibus prorſus hominibus eſſe repudiandam, perbreui diſputatione demonſtrem. Neque tamen ſuſpicari debetis, quod longe à mea ſententia alienum eſt, damnare me nouorum philoſophorum, iuriſconſultorum, medicorum factum in eo, quòd rerum uerita tem obſcuro, & inexplicabili quodam inuolucro implicatam, &, vt Democritus cenſuit, in profundo demerſam, conentur eruere; vel in ea eſſe opinione, ut eloquentiæ ſtudium, quod uel maxime ad Humanitatē pertinet, philoſophiæ, iuris ciuilis, medicinæ ſtudijs anteponendum eſſe cenſeam: ſed uobis perſuaſiſſimū eſſe debet, ut philoſophiam, tamquā rem prorſus diui nā ſumma obſeruantia reuereor, ac colo; ut ius ciuile, ideſt, iuſto rum, iniuſtorumq; diſtinctionem, veneror, ac ſuſpicio; ut medi cinam inuentum, & donum Dei, magnifacio, atq; admiror: ita me illud contendere, nobiliſsimam, puriſsimamq; veterū philoſophorum, iuriſconſultum, medicorum doctrinam deformato, inquinatoq; ſermone non eſſe explicandam; & rerum quidem præcipuam curam habendam, ſed rerum cognitioni elegantiam verborum addendam; ac cum omni prorſus ſapientia eloquentiam coniungendam. Quod factum eſſe perſpicio à ſapientiſsimis illis, & prudentiſsimis viris, quorum pulcherrimo exemplo maxime moueri debemus; qui cum animaduerterent, eandem eſſe rationem ædificiorum, ac diſciplinarum, vt, quemadmodum parietes, & culmen conſiſtere non poteſt, niſi ſubſit firmiſsimum fundamentum; ſic egregia ingenuarū artium præcepta minimum firmitudinis habitura ſint, niſi uer borum ſubſidio ſuſtineantur: non ſolum in intelligendo, ſed etiam in dicendo ſtuduerunt excellere. Itaque, vt taceam veteres illos philoſophos, eoſdemq; legum latores celeberrimos, Solonem, Lycurgum, Zoroaſtrem, Triſmegiſtum, alios quàm plurimos, qui non magis, quas leges ferrent, quàm quibus ver bis ferrent, curarunt; ille, qui diuinus, qui ſapientiſsimus, qui ſanctiſsimus, qui Homerus philoſophorum à Panætio appella

tus

tus eſt; quocum Cicero profeſſus eſt, ſe malle errare, quàm cũ ceteris vera ſentire; ille, inquam princeps litteratorum hominum Plato, cum eloquentiæ laudibus à natura ornatus eſſet, cuius ſuauitatem, vel ipſæ apes in eius labellis, dum dormiret in cunis infans, mel inſerendo, indicarunt: ad maximum ingenium eloquendi ſtudium adiunxit; ut non ſolum in intelligendo, ſed etiam in dicendo excelluerit; eaq; præſtantia orationis eſt vſus, vt eius ipſius longe omnes tum ſcriptores, tum oratores & copia, & grauitate verborum ſuperantis copioſiſſima, & grauiſſima voce, Iupiter ipſe, ſi ei græce loquendum fuiſſet, locuturus fuiſſe viſus ſit; ac non contentus ea gloria, quam ex ornata de philoſophia ſcriptione conſequebatur, etiam doctrinam dicendi commentariis elegantiſſimis editis pertractauit. Quid dicam de Xenophonte, altero Socraticæ diſciplinæ lumine ſplendidiſſimo? cuius ſermo etſi exiſtimatus eſt longe à forenſi ſtrepitu remotisſimus, & lenior, ac vehemens fortaſſe minus, quàm requirere forum uideretur: melle tamen dulcior fuit, atque adeo ſuauis, ut Xenophonteia uoce Muſæ quaſi locutæ ferantur. Iam uero Ariſtoteles, quo nihil doctius, nihil acutius, nihil acrius unquam fuit; aureum orationis flumen fudiſſe dictus eſt; ac motus gloria Iſocratis magni oratoris, ac perfecti magiſtri, dicere adoleſcentes docuit, eiſq; magis Rhetorum copiam, quàm philoſophorum tenuitatem in differendo exercendam propoſuit; cumq; ueteres ſcriptores artis Rhetoricæ uſque à Corace, & Tiſia repetitos unum in locum conduxiſſet, inuentores ipſos ſuauitate, & breuitate loquendi longe ſuperaſſe creditus eſt; atque cum intelligeret, doctrinã quidem per ſe ipſam prodeſſe, ſed ſi ad doctrinam accedat eloquẽtia, præclarum quiddam, ac ſingulare ſolere exiſtere, idcircoq; pluris faceret Theophraſtum, qui diuinitate loquendi nomen inuenerat, & ſuauitatem orationis cum ſapientia coniunxerat, quàm Menedemum, qui doctior, quàm eloquentior erat, illum maluit, quàm hunc ſucceſſorem loci, ac magiſterii ſui deligere. Memoriæ enim traditum eſt, ad Ariſtotelem, philoſophũ ſum mum, annos iam fere natum duos, & ſexaginta, eius ſectatores acceſſiſſe, ac eiuſmodi uerba feciſſe; Tibi quidem plurimum debemus, Doctor præſtantiſſime, quòd in nos cœleſtem amorem exercueris; atque haud ſcimus, an plus etiam, quàm parẽ-

tibus

tibus nostris, cum ab his corpus, quo parui æstimamur, à te eruditionem, qua magni, acceptam referamus: sed, ut magis debeamus, cum sis corpore ægro, & uiribus imbecillis (quod quidem maximam nobis molestiam affert) te oramus, atq; obsecramus, ut eligas, qui tibi in schola succedat, quo post mortẽ tuam, perinde ac te ipso utamur, ad studia doctrinarum complenda, excolendaq;, quibus à te imbuti fuimus, si modo tibi tempestiuum uidetur, & si uis. Quibus ille dicitur respondisse; An est, studiosissimi iuuenes, quod ego malim, quàm uestræ morem gerere uoluntati, cum præsertim omnium quàm gratissimi sitis? Faciam autem id perlibenter, quod cupitis, cum id mihi uidebitur opportunum. Quid quæritis? Breui post tempore Aristoteles aduocauit illos, qui de præceptore designando petierant. Velim, inquit, humanissimi iuuenes, ut cum uinum hoc, quod bibere soleo, non sit ex ualetudine mea, sed minime salubre, & maxime asperum, Rhodium, & Lesbium mihi adferendum curetis, ut, quod magis me iuuerit, utar. Mirati illi, cur magister nominatim petiisset Rhodium, & Lesbiũ, ierunt, curarunt, inuenerunt, attulerunt. Cum ille utrunque degustasset, Vtrunque, inquit, bonum est: sed suauius Lesbiũ. Quod dictum perspicacissimi iuuenes tamquàm in gyrum rationis adducti etiam, atque etiam considerantes, nec ignorantes Theophrastum esse ex insula Lesbo, Menedemum autem Rhodo, quibus ceteri ingenij, ac doctrinæ uarietate, atque præstantia concedebant, adeo ut ad alterutrum pertinere successio uideretur, non dubitarunt, quin lepide simul, & uerecunde Aristoteles sibi successorem, non uinum delegisset; ac non diu post Aristotele vita defuncto ad Theophrastum Lesbium, non ad Menedemum Rhodium concesserunt. Egregie. Huius enim doctrina illius & doctrinæ, & eloquentiæ præferenda nõ erat; cum hic tantum doctus, ille etiam in dicendo suauis uideretur. Dixi de philosophis. Nunc aliquid dicam de iurisconsultis, ut vobis ostendam, qui grauiores tractant sciẽtias, illis non esse uerborum ornamenta respuenda. Ac mihi primus in hac cogitatione occurrit M. Porcius Cato Censorius, is, qui non solum optimus ciuis, optimus senator, optimus imperator, optimus iurisconsultus existimatus est, uerum etiam optimus orator; qui cum plures libros de iure ciuili scripsisset,

infermo.

e ripreghiamo strettamente.

fatto a suo tempo

et volentieri più

desfare

e si vede acutamente et intende sottilmente.

non si devono rifiutare.

ſet,eloquentiam ſic adamauit, vt mira fuerit eius in dicendo grauitas,acerbitas, argutiæ, ſubtilitas; cuius orationes amplius centum quinquaginta commemorantur, & verborum, & rerũ ſplendore illuſtratæ; cuius origines omnem florem, omne lumen eloquentiæ habuiſſe feruntur; qui quater, & quadragies cauſſam dixit,& ſemper eſt abſolutus. Mitto Sex. Aelium non minus ad dicendum,quàm ad ius ciuile paratum; cuius liber, qui inſcriptus erat Tripertita, quòd cum lege xij. tabularum coniuncta eſſet interpretatio, & actio legis, maxime laudatus eſt. Mitto Ser. Fabium Pictorem, & iuri, & antiquitati, & litterarum elegantiæ deditum. Mitto Q. Fabium Labeonem, earundem fere laudum participem. P. autem Craſſum prætermittere non poſſum,eum,qui traditur fuiſſe ditiſsimus, nobiliſsimus,eloquentiſsimus,iureconſultiſsimus,Pontifex Max.qui cum domi ius ciuile didiciſſet à P.Mucio,& P.Scæuola altero filio,altero fratre ſuo,ac in dicendi ſtudium incubuiſſet ita,ut ualde probatus orator putaretur, conſultus eſt plurimum, & plurimum dixit,tamquàm maximus iureconſultus,maximuſq; orator. Atq; ut etiam breuitatis cauſſa omittam L. Cœlium Antipatrum, hiſtoriarum ſcriptorem luculentum, iuris valde peritum,qui etiam narratur plus eloquentiæ, quàm iuris ſciẽtiæ operam dediſſe; mihi certe non eſt ſilentio prætereundus eius auditor L.Craſſus,& cum L.Craſſo Q. Scæuola; quorũ alter eloquentium iuriſperitiſsimus, & diſertorum conſultiſsimus,alter iuriſperitorum eloquentiſsimus,& conſultorum diſertiſsimus dictus eſt; atque hic, cum peracute excogitaret, quid ius,aut æquum veri contineret, aut non contineret, tum verborum ad rem cum ſumma breuitate apta compoſitione mirabiliter vtebatur; ille autem ita æquitatem interpretabatur,definiebat, explicabat, vt nihil eo ipſo eſſet copioſius; & uterque reliquit eas orationes,quibus nihil elegantius, nihil purius,nihil laudabilius, nihil admirabilius viſum eſt. Quid commemorem Ser. Sulpitium, eum, qui cum Q. Mucium de re amici ſui conſuluiſſet, nec eum de iure reſpondentem ſatis intellexiſſet,monitus,turpe eſſe legitimarum, & ciuilium controuerſiarum patrocinia ſuſcipienti leges, & ciuile ius ignorare,eam ipſis legibus operam nauauit,vt longe omnibus qui eſſent, & qui fuiſſent, in eiuſmodi diſciplina antecellere videretur?

tur? Hic Dialecticam didicit; cum Dialectica coniunxit litterarum ſcientiam, & loquendi elegantiam; dicendi cauſſa duobus peritiſsimis operam dedit, L. Lucilio Balbo, C. Aquilio Gallo; ac reliquit prope centum, & octoginta libros, quorum ſimiles nulli eſſe elegantia, & grauitate uerborum ſunt iudicati. Taceo Trebatium peritiorem Caſcellio, Caſcellium Trebatio eloquentiorem, Ofilium vtroque doctiorem, Tuberonem Ofilii auditorem, alioſq; prope innumerabiles, qui non ſolum iuriſperiti, uerum etiam diſerti haberi ſtuduerunt. Quid enim memoriam temporum replicando, & antiquitatis monumenta excutiendo in re tam manifeſta longiore utar oratione? Tātum illud commemorabo, quod me poteſt tueri, atque defendere aduerſus nonnullos, meum factum quaſi reprehendentes, & ſubaccuſantes, propterea quia, cum in numerum iuriſconſultorum ſim aſcriptus, eas artes, quæ ad Humanitatē pertinent, profiteri non recuſauerim; me ad veterum imitationē, tametſi in legibus maximum ſtudium ab ineunte ætate collocauerim, & cum iure ciuili, ac pontificio philoſophiam coniunxerim, nunquam tamen ab eloquentiæ ſtudiis abhorruiſſe; nec defugiſſe munus tradendæ eloquentiæ in hoc celeberrimo gymnaſio ab illuſtriſsimò ſenatu mihi aſsignatū, quòd, quemadmodum Ariſtoteli dedecori non fuit, à Philoſophiæ traditione ad Rhetoricæ artis præceptionem operam ſuam conuertere, ſic mihi non fore turpe exiſtimarem, ſi à legitima ſcientia ad artificioſam eloquentiam, quæ ciuilis rationis magna, & ampla pars merito eſt appellata, me conferrem: eò magis quòd, quemadmodum lucet latina eloquentia in iure à veteribus conſcripto, plus etiam, quàm in philoſophia, quæ græce tradita barbaris conuerſionibus, immo potius euerſionibus fuit perturbata, ſic nunc in nobis iuriſconſultis aliquod eius lumen apparere non indecorum eſt; &, quamadmodum Cicero eloquentiam cum iuriſprudentia iunxit, ſic nos iuris ſtudiū non ſpernere, & in hac vberiore arte verſari, haudquaquam reprehendendum eſt. Adde, quòd illuſtriſsimorum ſenatorum, me ſummo ſtudio accerſentium negligere volūtatem non debui; quibus vt obſequerer, vel maximum reprehenſionis periculum mihi ſubeundum erat, maiorem fortaſſe obedientiæ, quàm loci laudem conſecuturo; cum præſertim intelligerem,

maius

maius decus, & ornamentum esse Humanitatem in Patauino gymnasio profitentium, quàm priuatorum iurisconsultorum; & præter eam dignitatem, quam habet Humanitatis professio, id est non tenuissimarum Grammaticæ rationis quisquiliarum, sed grauissimarum artium pertractatio, quam tanti fecerunt ueteres, ut eius magistri dignissimi uisi sint, quibus nobilissimi philosophi operam darent, siquidem Hermogenem Musonius audiuit; illud dignissimum esse, à tanto, tamq; illustri senatu in oculos gentium, in lucem hominum, in ipsum domicilium dignitatis, & gloriæ honesta cōditione fuisse euocatum. Qua mei facti ratione ita exposita, exemplorum commemorationi finem imponam, si vnum illud addidero; præter Chironem, Machaona, Podalirium, Hippocratem, alios, quos diuinis honoribus fuisse cultos memoriæ relictum est, non tā, quòd medendi artem tenerent, quàm quòd eius præstantiam singulari eloquentia patefacerent, Galenum illum, medicum summum, dicendi genus purissimum, atque elegantissimum non solum secutum, sed etiam assecutum fuisse, & cum sententiarum grauitate, creberrimaq; historiarum copia, & maximo tum diuidendi, tum definiendi, tum demonstrandi artificio cō iunxisse ea verborum ornamenta, vt eius scripta visa sint ornatissima, ac præter opera multa, & uaria non ad artem medicam solum, sed etiam ad Philosophiam, Mathematicam, Geometriā pertinentia (quæ iniuria temporum nobis erepta sunt) vel ipsam Grammaticam exornasse; neque solum de affectibus animorum nostrorum, in quibus afferendis consistere oratoris victoriam ueteres Rhetoricæ artis magistri docuerunt, præcepta pulcherrima reliquisse, verum etiam integrū de arte Rhetorica opus conscripsisse. O pulcherrimam veterum consuetudinem, non rerum tantum, nec verborum, sed rerum simul, & uerborum habendi rationem. Ergo illi non solum philosophiam, ius ciuile, medicinam didicerunt, sed uerborum etiam splendori studuerunt: nos impure, & ineleganter nostra ipsorum studia persequemur, & contēnendos eos esse putabimus, qui puro, & eleganti orationis genere delectantur? Inter illos non defuerunt, qui non modo de doctrinis illis, ad quas præcipue animum appulerunt, ornate disputarunt, sed ornate etiā disputandi rationem editis commentariis tradiderunt; nos im

E polite

polite loquemur,& polite loquẽdi diſciplinam aſpernabimur? Illi non tantum latine, verum etiam eleganter dicendi facultatem obſeruarunt: nos & Rhetorum, & Grammaticorum etiã præcepta negligemus? Illi Humanitatis ſtudium ſingulari grauitate,& magnificentia præditum, & pulcherrimarum rerum, atque artium cognitione inſtructum duxerunt: nos quia præcipue verborum continet obſeruationem, inane,ac nugatorium exiſtimabimus? Quaſi vero nobiliſſimæ artes, quæ partim ad veritatem indagandam, partim ad Remp. capeſſendam,partim ad familiam gubernandam,partim ad mores informandos pertinent; quaſi philoſophia,quæ laudandas omnes doctrinas procreauit, ac peperit; quaſi illius miniſtra, & tamquàm famula Dialectica; quaſi iuſtitia, religio, ius, leges; quaſi medendi facultas, quam quidam Dei manum appellarunt; quaſi denique aliæ diſciplinæ, quæ ſunt partim ad vitæ vſum,partim ad animi oblectationem neceſſariæ, cognoſci vllo pacto poſſint,niſi verba, quibus illæ diuinitus traditæ ſunt,diligentiſſime obſeruentur. Nolite autem putare, Auditores,haberi curam verborum poſſe, niſi etiam rerum habeatur; aut Humanitatis explicatores eſſe magis verborum,quàm rerum inueſtigatores; cum, ſi verum quærimus, non Grammaticos ſolum explicent, ſed etiã poetas, oratores,hiſtoricos,philoſophos morales, quibus admirabilis rerum cognitio continetur. Poetas certe non vanitatis, ſed ſapientiæ auctores eſſe, vel ex eo apparere poteſt,quòd ẽt eorum interpretes magna quadam vi concitari,doctiſſimorum hominum opinio fuit; vt multo id magis de poetis ipſis affirmari poſſe videatur. Quid? quòd omnes præclaras artes poetæ tractant,quas omnes diſcere abſque cœleſti inſtinctu humanũ ingenium non poteſt, cui vel vnam percipere,vel vnius particulam difficillimum ſit? Adde, quòd ſæpe rudes quidam,& inepti ab Apolline,& à Muſis impelluntur, vt intelligatur non humana induſtria,ſed cœleſti impulſione verſus fundi. Verum vt hæc Platonica omittamus,quibus diſputandis dabitur,vt ſperamus, commodior locus,nonne dicunt poetæ naturæ primordia,cœli conuerſionem, effectus Solis,& Lunæ in orbe ſignifero, ſtellarum errantium curſus, progreſſiones, inſtitiones,ſyderum vim,viciſsitudinem dierum,atque noctium, commutationes temporum quadripartitas, perturbationes, quæ fiunt in

aere,

aere,ventos,qui agitant maria,terræ partes tum incultas, tum cultas,animorum naturam, Rerump. familiarum, morum rationem,varias nationes,populos,vrbes,multitudinem pecudũ, aliaq; innumerabilia, de quibus summorum philosophorum libri acutissime sunt conscripti? Nonne dum agunt de religione,de morte,de pietate, de charitate patriæ,de bonis rebus aut malis,de virtutibus aut vitiis,de officio,de dolore, de voluptate,de affectionib. animi; & erroribus nec qualis Aeneas, qualis Achilles,quales aliæ psonæ sint,sed quales esse debeant, considerant, philosophicas ideas videntur exprimere? Hæccine sunt leuia,& nugatoria, an potius grauissima, & præstantissima? Tantam profecto poetarum apud veteres fuisse apparet auctoritatem,ut non solum nobilissima sua decreta Aristoteles, Plato,alijq; philosophi crebris eorum testimoniis cõfirmare non dubitauerint; sed eis etiam tamquàm sanctissimis delubra antiquitas dedicarit. Id quod euenisse Homero apud Smyrnæos narratur; cui vel illud præclari contigit, ut non solum ipsi Smyrnæi,sed etiam Colophonii, Chii, Salaminii,alii permulti eum sibi ciuem uendicarint; quarum ciuitatum simulachra ad eius imaginẽ in templo ei consecrato Ptolemæus Philopater iussit collocari. Nunc uenio ad oratores; quos si quis cogitauerit quæstiones infinitas pertractare, in quibus etiam philosophi elaborant, ut ex præscripto Ciceronis Verine sint sensus,Quibus officiis amicitia colenda sit; ut Ius in natura sit,an in more,Sitne ius id,quod maiori parti sit utile, Iuste uiuere sit, necne utile; ut Quibus rebus adipisci gloriam possis,aut Quomodo inuidia uitetur, Quemadmodũ sit Resp.administranda, aut Quemadmodum in paupertate uiuendum;ut Ecquisnam perfectè sapiens esse possit, Quonam pacto uirtus pariatur,naturane,an ratione,an usu; ut Pertinacia,& perseuerantia aliud, an idem sit, Qualis sit auarus, aut Quid sit superbia; ut Honestum ne sit pro amico periculum, aut inuidiam subire, Sit ne utile in Rep. administranda uersari, Sit ne æquum amicos cognatis anteferre; vt Quemadmodum colendi sint parentes,Quomodo iracundia comprimatur, aut timor tollatur, aut cupiditas minuatur: cum omnino quæritur, aut de cognitione, aut de actione, in priore autem genere, Sit nec ne, Quid sit, Quale sit, in altero genere,Quæ ad

perſequendum aliquid, aut declinandum, Quæ ad aliquod cō modum, vſumq; referantur; in prioris generis prima parte, Poſſit ne aliquid effici, Quemadmodum quidq; fiat; in altera, Aliud, aĥ idem ſit, Quomodo deſcriptio generis alicuius, & quaſi imago exprimatur; in tertia aut de honeſtate, aut de vtilitate, aut de æquitate; in altero genere, Quæ ad rationem officij pertineant, Quæ ad ſedandos animos, & oratione ſanandos: ſi quis, inquam, animaduerterit, oratores in eiuſmodi quæſtionibus verſari, quæ etiam philoſophis propoſitæ ſunt; nonne ſibi ſtatuendum ducet, aut leuisſimos eſſe philoſophos, quod non niſi à leuiſſimis hominibus ſtatui poteſt, aut cum philoſophis oratores grauiſſimos? Quòd ſi oratores ab illa infinita materia ad tria genera cauſſarum, tamquàm in anguſtiſſimum quoddam ergaſtulum reuocentur; quomodo illi hæc ipſa ſatis digne tractauerint, niſi more philoſophorum à ſingularibus ad vniuerſa redegerint diſputationem? Quomodo probauerint à Milone iure Clodium cæſum, niſi prius generatim oſtenderint, licere homini hominem aliqua de cauſſa interficere, & iure optimo inſidiatorem de medio tolli poſſe? Quomodo ſuaſerint, Pompeio bellum Mithridaticum committendum, niſi prius generaliter demonſtrauerint, in ſummo Imperatore ineſſe oportere ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem? Eadem ratio eſt ceterarum rerum, quas propoſitas habent oratores ad perſuadendum, vt definitum ad infinitum referant, cauſſam ad propoſitum, controuerſiam ad conſultationem, hipotheſim ad theſim; quod facere non poſſent, niſi philoſophorum præceptis informati, atque imbuti ad dicendum venirent. Quid? quòd ijdem in gerenda Rep. & humana ſocietate concilianda verſantur; iura, leges, inſtituta, mores ciuitatum declarant; animorum motus pro arbitratu tractant; aliaq; efficiun ,quæ non magis ex Rhetorum, & Grammaticorum ſcholis, quàm ex eruditiſſimis Philoſophorum, & iuriſconſultorum ſpatijs prodire exiſtimantur? Non eſt igitur tamquàm leue oratorium ſtudium contemnendum. Hiſtoria uero, quæ dicitur tempora teſtificari, ueritatem illuſtrare, memoriæ uitam afferre, uitæ præcepta continere, uetuſtatem nunciare; quàm eſt admirabilis, quàm iucunda, quàm fructuoſa? Hæc non ſolum Grammaticos informat, uocum

origi-

originem indicando; poetas adiuuat, excellentium virorum casus fabulis subministrando; oratores adornat, exempla vel ad probandum, vel ad oblectandum præbendo; verum etiam iureconsultos instruit, leges, & instituta ciuitatum recensendo; medicis opitulatur, naturam herbarum, aliarumq; rerum explicando; philosophis succurrit, nobilissima eorum præcepta comprobando. Hæc Nestoris, Vlyssis, Scipionis, Fabij, Luculli, Pompeij; hæc Themistoclis, Miltiadis, Coclitis, Deciorum, Camilli, Marcelli; hæc Socratis, Xenocratis, Curij, Fabricij; hæc Pittaci, Aristidis, Scauri, Crassi; hæc aliorum innumerabilium gloriosa, & illustria facta commemorando: iustitiæ, temperantiæ, fortitudinis, prudentiæ, virtutum omnium speciem, atque imaginem nobis ante oculos ponit. Hæc Rerump. formas describendo, optimum ciuitatis statum ostendit; præclarum ciuem, ac Senatorem instituit; Imperatorem munit; omnibus quid sequendum; quidue fugiendum sit, aperit; ut quantum senes pueris, tantum ij, qui Historiam tenent, & multarū ætatum cognitionem habent, ijs, qui Historiam ignorant, tam quàm prudentissimi imprudētissimis, & longæui pueris anteponendi esse videantur. Iam uero quibus uerbis philosophiæ moralis in Humanitate officiorum rationem tradentis grauitatem declarabo; quæ hominem ad felicem vitam perducere propositum habet; cumq; felicitas hominis sit actio ex virtute, quàmplurima continet præcepta de virtute, ut eam adipiscamur, & ad felicitatem celeri gradu progrediamur? Hanc scilicet rationem primus excogitasse Socrates dicitur, qui à numeris, motibus, magnitudinibus, interuallis, ceterisq; rebus occultis, & natura inuolutis, quæ superiores philosophos occupatos, impeditosq; tenuerant, auocauit philosophiam, & ad vitā communem adduxit. Cum igitur duplex vis sit animorum nostrorum, una cognoscendi, altera appetendi; & prior triplex sit, mens, quæ perpetuo veritatem contemplatur, ratio, quæ veritatem inuestigat, phantasia, quæ veritatis caussa excurrit ea, quæ à sensibus satellitibus, & ministris porriguntur; posterior item triplex, voluntas, vis irascendi, vis concupiscendi, quarum vna appetit, altera aggreditur, tertia adsciscit ea, quæ mens, ratio, phantasia proponunt; quibus omnibus adduntur vis mouendi, & vis nutriendi, à philosophis moralibus illustra

tur

tur ſapientia, quæ perficit mentis contemplationem; illuſtran tur ſcientia, & prudentia, quæ perficiunt rationis indagationẽ, altera in ijs, quæ à natura proficiſcuntur, altera in ijs, quæ à nobis aguntur; illuſtratur ſagacitas, quæ perficit phantaſiæ cõprehẽſionẽ; illuſtratur iuſtitia, quæ perficit voluntatem; illuſtratur fortitudo, quæ perficit uim iraſcendi; illuſtratur denique temperantia, quæ perficit uim concupiſcendi; cum vis mouendi, & vis nutriendi aut nihil, aut parum admodum cum virtute communicent. O materiam grauiſſimam, atque omnium ſtudijs perſequendam. Cum autem tot, tantaſq; res Humanitas complectatur; & ueſtigijs veterum, qui niſi ornate, quæ ſentirent, eloquerentur, ſibi dedecori eſſe ducebant, inſiſtendum ſit: ſiue rerum, ſiue uerborum uos deſiderium tenet, ornatiſſimi Aud. has præclaras litteras retinete; earumq; cognitionem ad ornandas eas nobiles artes, ad quas ueſtra uos natura impellit, adhibete; me uero ueſtrarum utilitatum vehementer incenſum, quem obtinere hanc ſcholam pro ueſtris potiſſimum commodis illuſtriſſimus Senatus voluit, & maximo ueſtro concurſu, maximaq; attentione, quæ maxima beneficia duco, obſtrictum, ita audite, ut perſuaſum habeatis, qui uelit, eum uti me in hoc ſtudij genere uel duce, uel ſocio facile pro arbitrio poſſe.

Habita in Gymnaſio Patauino Nonis Nouembris. M. D. lxxj.

De



DE STVDIO ARTIS RHETORICAE.

Antonij Riccoboni Oratio.



SVnt tria potissimum hominum genera, Aud. qui possunt vestrum ad laudem cursum honestissimum impedire; unum eorum, qui naturæ uiribus freti artem omnem contemnant; alterum eorum, qui rerum studio delectati dicendi elegantiam, & artes omnes, quæ pertinere ad Humanitatem dicuntur, quasi uerborum, non etiam rerum indagatrices despicatui ducant: tertium eorum, qui artem Rhetoricam maxima detrimenta Rebusp. afferre, & ob id tamquàm perniciosissimam ab omnibus prorsus hominibus repudiandam esse contendant. Quorum primi solennis gratia prolusionis nudius tertius à me fracti, atque abiecti sũt: alteri hesterna disputatione mea confutati, atque conuicti: nũc uero contra tertios ratio dicendi defendenda, & uerissimis, atque amplissimis laudibus efferenda est. Quod ut commodius à me fieri possit, peto à uobis, ut mihi aduersariorum argumenta perbreui temporis spatio recensere, eaq; diluere meditanti attentionem uestram ne denegetis. Quam si concesseritis,

perficiam

perſiciam profecto, ut dicendi doctrinam non modo à uobis non ſpernendam, cum neque indigna, neque inutilis ſit, ſed tãquàm dignisſimam, atque utilisſimam exiſtimetis omnibus eſſe amplectendam. Atque ut facilius hanc ipſam rem intelligatis, animaduertite primum Aud. quibus illi argumentis ad ſuã probandam cauſſam uti ſoleant. Adducunt enim primum grauiſſimum teſtimonium Platonis, facultatem oratoriam facultati coquorum comparantis, & utramque eiuſdem ſtudii, id eſt adulationis particulam facientis. Scribit enim Plato eſſe quoddam ſtudium non artificioſum quidem, ſed ſagacis animi, aptiq; natura, atq; accommodati ad humanam conſuetudinem conciliandam, cuius ſummam, & caput appellat adulationem. Atque huiuſmodi ſtudium eas imitari artes affirmat, quæ partim animum, partim corpus hominis curant. Artes enim, quæ curant hominem, apud eum in duas ſunt partes diſtributæ, quarum aliæ animi, aliæ corporis curationem habent. Animũ quidem in habitu quodam naturæ conſentaneo conformat, & conſtituit Legitima ſcientia, Dei, & naturæ ſpeculatrix, communis boni indagatrix, legum inuentrix, morum moderatrix: lapſum uero à naturali habitudine Iudicialis diſciplina erigit, ac reſtituit: ſed corpus exercet, & in bona retinet conſtitutione Gymnica: cum autem à ſuo robore deflexerit, adiuuat, & corroborat Medicina; ut quales in animo Legitima, & Iudicialis ſunt, tales in corpore Gymnica, & Medicina, eſſe exiſtimentur. Quemadmodum autem uitia uidentur uirtutes imitari, ut malitia prudentiam, immanitas in uoluptatibus aſpernandis temperantiam, audacia fortitudinem, acerbitas iuſtitiam, alia alias: ita adulationes illas bonas artes repræſentant, Sophiſtica Legitimam, Rhetorica Iudicialem, Fucata Gymnicam, Coquendi facultas Medicinã; ut qualis in animo Sophiſtica, talis in corpore Fucoſa, qualis in illo Rhetorica, talis in hoc Coquendi facultas uideatur. Atque ut illæ animum, & corpus conſeruant: ita hæ corrumpunt; ut cum Rhetorica ex ſententia ſapientiſſimi Platonis non ſit inter artes hominis conſeruatrices, ſed inter adulationes animi, & corporis corruptrices, & idem efficiat in animo, quod efficit Coquendi diſciplina in corpore, tamquàm res ſeruilis, & fallax reijcienda eſſe uideatur. Clamant deinde aduerſarii publicis rebus per homines eloquentisſimos

plura

plura detrimenta, quàm adiumenta ſolita importari. Quid enim, aiunt, præclaras antiquas ciuitates euertit, ac labefactauit aliud, niſi diſertorum hominum improbitas, & audacia? Qui alij perculerunt Athenas, clariſsimum quondam Græciæ lumen, qui Romam, totius fere orbis terrarum dominam, niſi ij, qui dicendo valuerunt? Quid aliud inuexit in Remp. Atheniensem tyrannidis incommoda, niſi diſerta oratio Piſiſtrati, alioqui de omni genere Humanitatis optime meriti, cum primus verſus Homeri confuſos antea per Ariſtarchum Grammaticum ſic diſpoſuerit, vt nunc habemus, & primus libros diſciplinarum liberalium Athenis publice legendos propoſuerit? Hic in ſermonibus, collocutionibuſq; videbatur eſſe maxime affabilis, & humanus, tenuiorumq; cauſſæ valde fauere, atque ad inimicitias maximam clementiam, moderationemq; adhibere, vt natura fallax, & adulator, omnes ſuperare virtute, ac probitate putaretur. Cum autem Olymp. L. bello Megarenſi ſecundo Remp. bene geſsiſſet, & iuuenibus matronarum cultu ornatis hoſtes decepiſſet, ac Salaminem, quæ ad Megarenſes defecerat, & Athenienſibus cauſſam dederat, bellum primum Megarenſibus inferendi, atque Niſæeam, quæ eodem bello amiſſa fuerat, recepiſſet; Olymp. LIII. tyrannidem affectans, ijs omnibus populo blande expoſitis, & inimicorum inſidiis aduerſus ſe ſimulatis, cum, vt multitudinis animos concitaret, ſibi ipſe vulnera intuliſſet, quæ ab inimicis per inſidias illata diceret, cuſtodes corporis ſui trecentos poſtulauit; & fruſtra dicente Solone, Homericum Vlyſſem à malo ciue aſsimulari, ut, quemadmodum ille ſe ipſum cædens hoſtes deceperat, ita hic vulneribus ad ciues decipiendos abuteretur; ac monente, cauendum eſſe à lingua, & verbis ſerentibus blandi viri, uulpinis paſsibus ambientis, eos impetrauit; arceq; occupata tyrannidem exercuit; ut diſertæ Piſiſtrati conciones ſalubres Solonis orationes ſuperarint, atque effecerint, ut lepore uerborum capta alioqui prudentisſima ciuitas regium imperium ſibi imponi pateretur, & libertati ſeruitutem anteponeret. Commemorant præterea Cleonem, Critiam, Alcibiadem, eloquentes quidem: ſed ciuitatibus ſuis non bonos. Commemorant Hegeſiā Cyrenaicum Philoſophum, qui adeo copioſe uitam hominum lugebat, humanas miſerias deplorabat, mortalium mala repræ

F ſen-

ſentabat,ut multi eius uerbis auditis mortem ſibi ipſi cõſciſce rent,animumq; iniuſſu Dei corporis cuſtodiis liberarẽt. Quod cum Prolemæus Rex intellexiſſet,ueritus, ne numerus mortalium propter pernicioſam Hegeſiæ eloquentiam nimio plus diminueretur,uetuit eum amplius iis de rebus diſputare. Iam uero, addunt illi, quid aliud optimum Reip. Rom. ſtatum con turbauit, niſi ab hominibus eloquentibus concitatæ ſeditiones? In quibus præcipui connumerantur Ti. & C. Sempronij, qui orti quidem ſunt ex Ti. Sempronio Graccho haudquaquã eloquente: ſed ipſi fuerunt valde diſerti; atq; alter Diophanis Mitylenæi auditor, maximus orator habitus eſt: alter ſi diutius uixiſſet, eloquentia habiturus fuiſſe parẽ neminẽ viſus eſt. Ille tamẽ indiſertus & ſæpe alias, & maxime Cenſor cũ C. Claudio Pulchro, cũ libertinos in vrbanas Trib⁹ trãſtuliſſet, ſaluti Reip. fuit: hi uero, quibus non deerant nec naturæ, nec doctrinæ ad dicendũ præſidia, optimã illam Remp. quæ à Pyrrhi Regis bello uſq; ad tertium Punicum floruit, ſeditionibus concitatis uehementiſſime perturbarunt. Quorum alter in turbulentisſimo Tribunatu, ad quem ex inuidia Numantini fœderis, à C. Mancino Cos. cum eius eſſet Quæſtor, turpisſime icti acceſſerat, ad popularem aucupandam auram legem tulit agrariam inuitis Senatoribus, atque equitibus: alter agrarios concitans maiorem fratri pietatem, quàm patriæ præſtare uoluit; ut merito ille Tribunus, auctore P. Cornelio Naſica in Capitolio ictus fragmentis ſubſelliorum, ab optimatibus: hic Tribunitius Auentino, quem cum ſuis occupauerat, armis, pulſus, ab Opimianis interfectus ſit. Hæc, & eiuſmodi alia in medium afferunt illi, qui ſtudioſis eloquentiæ aduerſantur. Quos primum miror exiſtimare, Platonem lõge omnium in dicendo grauisſimum, & elegantisſimum, qui in oratoribus irridendis ſe ſummum oratorem oſtendit, ſub perſona Socratis ea dicere aduerſus Gorgiam, quòd ita ſentiat, & non magis cauſſa refellendi Gorgiam: eò magis quòd idem alibi uenuſtatem orationis in ordine poſitam ſummis laudibus effert; oratorem humanarum rerum, animorumq; ſcientiam habentem, diuidendi, ac componendi peritum, non ueritati ueriſimilitudinem, ſed ueriſimilitudini ueritatem anteponentem, nec putantem, quid ueriſimile ſit, abſque ueri notitia ſe poſſe cognoſcere, ſed ad ueritatem indagã

dam

dam omnia dirigentem extollit;dicendi artem Medicinæ comparat, vt, quemadmodum hæc corpus efficit ſanum,& robuſtum, ita illa animum per rationes, inſtitutioneſq; legitimas ad uirtutem informet. Quid ergo dicendum? Rhetoricam apud hunc ſentiendi,& loquendi præſtantiſſimum auctorem, & magiſtrum generatim definiri, vt ſit induſtria in materia ciuili ad perſuadendum aptiſſima, rationum facultate,& maxime verborum uenuſtate, inter artem quandam diſſerendi,poeticamq; conſtituta;atque hanc ipſam intelligentiæ eſſe bonum, voluntati autem neq; bonum, neq; malum. Eius vero duas eſſe ſpecies, vnam legitimam, alteram aſſentatoriam. Illam in bonis: hanc in malis connumerari. Illam ex philoſophia, grauioreq; poeſi componi;hanc ex ſophiſtica,vulgariq; poeſi conſtare. Illius finem eſſe, certis rerum,uerborum, morum rationibus audientinm animos ad commune bonum perducere: hanc propoſitum habere per uerisimiles coniecturas, animorumq. concitationes quidlibet impetrare. Illius magiſtros non coquorum, ſed medicorum ſimiles eſſe: huius non medicorũ, ſed coquorum. Illam omni laude ornandam: hanc omni uituperatione exagitandam. Nam, quòd per homines eloquentes plura detrimenta, quàm adiumenta Reb. publicis allata eſſe contendunt, faciunt mea quidem ſententia iniuſte, ne dicam illiberaliter. Vt enim ex oratorum numero nonnulli extiterint pernicioſi; innumerabiles certe fuerunt,qui Reſp. conſeruarint, familias iacentes erexerint, opem tulerint ſupplicibus, excitarint afflictos, ciuitatibus quietem, populis ſecuritatem compararint. Taceo ab eloquentibus uiris in agris homines paſſim beſtiarum more uagantes fuiſſe in una mœnia congregatos,& ad cultiorem uitam conuocatos, atq; ad diuinæ religionis,& humani officij rationem,ad legitimas nuptias,ad ius æquabile traductos. Taceo, urbibus conſtitutis, latis legibus, iudicijs propoſitis, cum ſæpe de iuſto, de utili, de honeſto controuerſarentur, eorum inter ſe diſſidentes animos ad iuſtitiæ normam, regulam, præſcriptionem retinendam, ad commune bonum agnoſcendum,& eius cauſſa labores excipiendos,ac uitam etiam ipſam amittendam,ad uerũ decus, quod à ſola uirtute manat,proſequendum,ab oratoribus fuiſſe incitatos. Taceo alios omnes eloquentiæ effectus omnium homi-

num admiratione dignisſimos. Tantum id, quod poteſt ad cõfutandos aduerſarios ſufficere, in medium affero, miris, atque immortalibus beneficiis ſæpisſime omnes Reſp. affici ab eloquentibus ſolitas eſſe. Teſtis eſt Lacedæmoniorum ciuitas, quæ nobilisſimam de Meſſeniis uictoriam Tyrtæi eloquentiæ acceptam retulit. Cum enim Lacedæmonii oraculo moniti ducem contra Meſſenios ab Athenienſibus petijſsent; & Tyrtæum claudum, magis lingua, quàm ceteris corporis partibus pollentem, ludibrio miſſum, libenter accepiſſent, eius eloquentia inflammati hoſtes ſuperarunt. ò rem admirabilem, atque apud omnes homines celebrandam. Meſſenii Lacedæmoniorum exercitum fundunt: Tyrtæus reducit. iterum fugant: iterum reuocat. tertio fuſum perſequuntur: tertio fugatum reſtituit. Illi tandem funduntur, fugantur, trucidantur: hic uictor ex acie conciſis illorum cateruis excedit. Quid dicam de Athenienſium ciuitate ſummis uſa beneficiis Demoſthenis, Aſchinis, Hiperidis, Demadis, aliorum innumerabilium oratorum, qui perſæpe eloquentiæ uiribus patriam prope cadentem ſuſtinuerunt, & ſtatum ciuitatis integrum, atque incolumem præſtiterunt? In hiſtoria autem Rom. cui non mirum uideatur factum L. Bruti, qui oratione ſua perſuaſit reges expellendos, & ciuitatem perpetuo dominatu liberandam? Quis non exiſtimet eloquentiam M' Valerii Dictatoris Reip. Rom. fuiſſe utilisſimam, tunc, cum AEquis, Volſcis, & Sabinis una omnibus mouentibus plebem ad bellum nomina profiteri nolentem, nexorum cauſſa iratã gratisſimis uerbis repreſſit, & ſedata ſeditione tres conſcripſit exercitus, unum, quem T. Veturius cos. in AEquos, alterũ, quem A. Virginius collega eius in Volſcos, tertium, quem ipſe in Sabinos perduxit; ut merito Maximus appellatus ſit, & cui domus publice in Palatio ædificaretur, dignisſimus uiſus ſit? Quis neget plurimum utilitatis attuliſſe ciuitati Rom. Menenium Agrippam, eum, qui cum aliis nouem conſularibus, in quibus depoſita dictatura etiam fuit is, quem modo nominaui, M' Valerius, in eum montem, qui Sacer appellatus eſt, in quem ſeceſſerat plebs irata patribus, legatus uenit, & peruulgato de uentre, & membris apologo, plebem in urbem reuocauit? Quis non fateatur L. Valerium Potitum urbi Romæ plurimum profuiſſe, à quo plebs in Patres incitata abdicatis

Xuiris,

Xuiris, legibus & concionibus mitigata eſt? Iam uero, ut ad minus uetera ueniamus, quot, & quanta extiterunt in Remp. Rom. merita M. Tullij Ciceronis, qui præter alia adiumenta ciuibus ſuis allata, à ſceleratis Catilinæ machinationibus, nefarijſq; conſilijs patriam eloquentiæ uiribus liberauit? Dies, vox, latera me deficiant, ſi commemorare omnes velim, qui ſua eloquentia Reſp. adiuuerunt. Falſiſſimum igitur illud eſt, plus incommodi, quàm commodi per oratores ciuitatibus importatum. Si qui autem dicendo obfuerunt; id magis tribuendum eſt hominum vitio, quàm oratoriæ facultati. Id enim commune eſt cum omnibus bonis, præterquàm cum uirtute, ut ijs & uti, & abuti homines poſſint. Quamobrem, ut non accuſabimus robur, ſi quis robuſtus obuios uerberet; nec diuitias, ſi quis his ad ſcorta utatur; nec rei militaris ſcientiam, ſi quis eam ad occupandam Remp. adhibeat; nec medendi artem, ſi quis eam ad perniciem hominum conuertat; nec diſputandi doctrinam, ſi quis eam ad probanda illa, quæ falſa ſunt, conferat: neq. alia omnia, quæ vtiliſſima ſunt, ſi quis ea malitioſe inutiliſſima reddat; ſed ipſos homines his ipſis rebus male utentes vituperabimus, & hominum, non rerum vitium notabimus: ſic non damnabimus artem Rhetoricam, ſiquis per eam aliquibus detrimentis Reſp. afficiat; ſed abutentis oratoris prauam naturam exagitabimus. Eadem .n. ratio eſt agrorum, & oratorum. Nam, ut illi non omnes fructum ferunt, quamuis colantur: ſic hi non omnes ſunt vtiles, quamuis dicendi ſtudio ſubigantur. Quemadmodum autem agricultura cum fœcũdos agros adepta eſt, mire fructuoſa eſt: ſic ars Rhetorica, cum eſt idoneam complexa naturam, dici non poteſt, quàm ſit ad humanos vſus accommodata, quàm opportuna, quàm admirabilis. Hæc uera, & iuſta, quæ natura ſunt potiora falſis, & iniuſtis, probat, ut iudicia recte decernãtur, in quibus res veras, & æquas à falſis, & iniquis ſuperari, turpiſſimum eſt. Hæc rationem continet perſuadendi apud oẽs, cum aliæ artes aliquos tantum doceant. Hæc contraria colligit, non ut utrunq. ſequamur (mala enim perſuadere nequaquam decet) ſed ut utrunque cognoſcamus, & male ſumpta, falſaque refellere poſſimus. Hæc denique efficit, ut, quò oratio eſt magis propria hominis, quàm corporis vſus, eò præſtantiores vi-

deamur

deamur,ſi oratione nobis auxilio ſimus,quàm ſi corpore.Quas Ariſtot. rationes alias pluribus uerbis declarabo. Puderet aũt me id,quod dicturus ſum, dicere, niſi apud perſpicaciſſimos Aud.orõnem haberẽ.Tanta,ac tã late patens eſt Rhet. artis utilitas,ut ea ipſa regere latiſſimũ quendã mundũ videatur. Tametſi .n.nõ ſumus Democritici,ut innumerabiles eſſe mũdos arbitremur:tñ,quod ad hunc locum attinet,dicimus tres eſſe mũdos, qui vniuerſitatem rerum complectũtur;vnum naturæ, in quo cœlum,& elementa cernuntur, qui continet terram in medio ſitam ad uniuerſi cœli complexum quaſi puncti inſtar obtinẽtem,& aquam,& aerem,& ignem, ex quibus omnibus & animantium,& earum rerum,quæ gignuntur è terra, formæ ortæ ſunt;qui continet aſtra tum infixa, tum errantia;qui denique continet omnia;alterum mentis,in quo, quidquid eſt in naturali mundo,cogitatione depingitur,& tamquàm in ſpeculo relucet;ut,quemadmodum quidquid eſt,in mundo eſt, ſic quidquid in mundo eſt,in mente ſit: tertium orationis,in quo omnia,quæ mente concipiuntur,repræſentantur;vt,quemadmodũ extra mundum nihil eſt,& nihil eſt in mundo, quod non ſit in mente: ſic nihil uel in mundo,uel in mente ſit, quod in hominum oratione non verſetur.Quam orationem ars Rhetorica gubernat,& moderatur,atque ita ornat,ut,quantum homines beſtiis excellunt,tantum homines hominibus ornata oratione excellere videantur. Quid dicam orationem eſſe inſtrumentum rationis,quam communem habemus cum Deo,quaque potiſſimum differimus à ceteris animantibus? ut quemadmodum homo eſſe non poteſt,niſi præditus ſit ratione: ſic apparere homo non poſſit,niſi oratio proferat rationem. Iam vero nemo dubitauerit, qui dicendi artem cum ingenio coniunxerit,eum efficere illud melius poſſe, quàm qui naturam vnam ſecutus artis adiumenta, atque præſidia non habuerit. Ars enim excellentia ingenia ſubleuat,rudia acuit,inertia excitat,omnia docet,inſtruit,corrigit,in uiam deducit,nec ſuis freta viribus inani efferri inſolentia patitur,uerum honeſtiſſimis induſtriæ carceribus continet,&,quibus natura habenas effundit,fræna iniicit. Cum igitur oratorum facultas,quæ legitima ſit,non aſſentatrix,quàmplurima, & maxima Rebuſp. afferat adiumenta, &, ſi non nulli oratores videntur obeſſe,id magis

corum

eorum malitiæ,quàm arti tribuendum ſit; latisſimeq; pateat e-
iuſmodi diſciplinæ fructus : nolite ſpernere , Aud. tanta com-
moda artis Rhetoricæ; ſed repudiatis iſtis reprehenſoribus in
ſtudium eloquentiæ incumbite;&,quam curam de doctrina di
cendi adhuc ſuſcepiſtis,eam uobis nequaquam eſſe deponen-
dam exiſtimate ; mihi uero eloquentiæ præcepta explicaturo
ita operam date,ut uobis perſuadeatis medies, noctesq; nihil
aliud,quàm de ueſtris utilitatibus cogitaturum.in primis au-
tem amate ſtudium artis Rhetoricæ Ariſtotelis, et orationum
M.Tullii Ciceronis; ut perfectam, et abſolutam huius rei co-
gnitionem habeatis;et, non ſolum,quæ de ratione dicendi ſa-
pientisſimus omnium philoſophus,et Rhetor tradidit, cogno-
ſcatis,uerum etiam clarisſimi oratoris præclaram conſuetudi-
nem obſeruetis; quorum alter magis in præceptis conſcriben
dis , quàm in orationibus conficiendis excelluit : alter melior
extitit orator, quàm dicendi magiſter; vt mirum non ſit, illũ
quidem in oratorum numero habitum non eſſe , qui philoſo-
phiam in primis profeſſus eſt,atque, ſi balbus fuit,quemadmo
dum Plutarchus in libro de poetis audiendis,& Laertius in eius
uita memoriæ prodidit , ne aptus quidem admodum erat ad
cauſſas peragendas, munuſq; oratorium obeundum: hunc ve-
ro minus potuiſſe, quàm volebat, ex optimis ſcriptoribus opti
ma quæq; haurire, qui publicis, priuatiſq; amicorum negotijs
fuit ualde impeditus, atq; occupatus, vir alioquin ad dicendũ
maxime aptus, & natus : vterque tamen,alter cõtẽplator, alter
actuoſus , ſi ſimul iungatur , exemplum haberi omnis perfe-
ctæ, atque abſolutæ eloquentiæ mea quidem ſententia poteſt.
At, dicet aliquis, nonne & Cicero inter opera , quæ cõſcripſit
quàmplurima, artem quoque oratoriam plurimis, pulcherri-
miſq; præceptis adornauit, quibus contenti eſſe poſſimus,ſine
obſcuriſſimis Ariſt. libris, qui ne à Philoſophis quidem ſæpe
intelliguntur , nedum ab ijs, qui huic arti ſtudent ? Equidem
Ciceroni, quem tanti facio, quanti debeo , vix quidquam de-
trahere auſim : ſed (ſi quod ſentio, libere dicendum eſt) quo-
modo comparari cum Ariſtotele debeat, minime uideo . Hic
enim ut in ceteris artibus,& facultatibus , quas pertractauit ,
ſic etiam in Rhetorica non ſolùm ſuperiores omnes ſuperare,
ſed poſteris quoque omnibus ſpem melioris doctrinæ prope
in

in perpetuum præripere uisus est. Ille uero, cum ad Rhetoricum studium suo ingenio, suaq. industria exornandum animum appulisset, & scriptores omnes tum Grecos, tum Latinos, qui dicendi doctrinam tradiderant, ad sua locupletanda opera adhibuisset; professus quidem est, se ex Aristotele ipso optima quæque libasse, & nonnihil etiam de suo in commune contulisse: sed tantum abest, ut præstantissima omnia complexus sit, & Aristoteli aliquid addiderit, ut, quemadmodum ceteris Latinis meritissimo anteferendus est, sic si cum Aristotele conferatur, nullum prope orationum genus perfecte tradidisse, nullum oratorium artificium absolute docuisse, nullam artis oratoriæ partem exacte conscripsisse videatur. Age enim (ut totum Rhetoricum negotium breuiter percurramus) cum hæc ars tres præcipuas oratoris partes exornet, inuentionem, dispositionem, elocutionem (nam memoria, & actio sunt magis naturales, quàm artificiosæ) cumq. inuentio triplex artificium complectatur, argumentationis, affectuum, morum, de argumentatione quidem oratoria satis Cicero Topicam facultatem instruxit, sed alia uix attigit: at Aristoteles enthymemate, & exemplo mire adornato, non solum docuit Topicam, & quidem, ut solet, multo melius, verum etiam propositiones omnibus caussarum generibus communes, eius, quod fieri, uel non fieri potest, futuri, uel non futuri, facti, uel non facti, magni, uel parui, & propositiones singulorum generum proprias, quibus aliquid esse vtile, uel perniciosum in genere deliberatiuo, honestum, uel turpe in demonstratiuo, iustum, vel iniustũ in iudiciali probari queat. De affectibus vero ille pauca quædam conscripsit, in quibus non admodum certa via, & ratio inuenitur animorum concitandorum: hic multa tradidit, & quidem mirabili ordine, ut de vnoquoque affectu facile intelligatur, quid ipse sit, qui, in quos, quas obres afficiantur, quomodo idem excitetur. De morata autem oratione ille non omnia uidetur comprehendisse: hic utilissime præcepit, in oratore tres mores exprimendos esse, prudentiam, probitatem, beneuolentiam; ad auditorum mores accomodandã esse orationem, quorum quattuor sunt genera, ex affectib. ex habitib. ex ætatibus, ex prospera, aduersaue fortuna; elocutionẽ quoque moratum esse oportere, & generi, atq; habitui eorum,

de

rapire a se. torgliere.

auer preso.

p[er]fettamente.

argumẽto p[er] prouare una cosa.

di comuouere

riparata, costumata bene.

de quibus agitur, reſpondere. De qua elocutione ille pluribus, & longioribus ſermonibus diſputauit, agens de uerbis ſimplicibus, & coniunctis pluribus in locis, & integris etiam libris: hic breuiore complexus eſt diſputatione omnia, quæ ad verba ſimplicia, & coniuncta pertinere videbantur; & quidem clariore methodo, ac doctrina. Etenim præter illa, quæ in arte Poetica de elocutione ſubtiliſſime obſeruauit, præter verba propria, domeſtica, translata, addita ad nomen, diminutiua, frigida, per ſimilitudinem mollita, quæ in ſimplicibus ſpectantur, non ſolum elocutionem emendatam, & numeroſam explicauit, quæ duo in uerbis coniunctis potiſſimum eſſe cernenda, Cicero cenſuit, verum etiam amplificatam, & cõciſam, decoram, fuſam, & uerſam, vrbanam, conuenientem, & quidem conuenientius, quàm Cicero. Quid dicam de partium diſpoſitione? Ille communiora quædam, & magis trita præcepta eſt perſecutus, de beneuolentia, attentione, docilitate in procemijs comparanda; de perſpicuitate, probabilitate, breuitate, in narrationibus adhibenda, de ratiocinatione, & inductione in confirmationibus vſurpanda, de partibus perorationis, aut tribus, enumeratione, indignatione, conqueſtione, aut duabus, enumerõne, amplificatione, aut una, nempe amplificatione (raro .n. in ſuis ſibi conſtare præceptis viſus eſt) hic magis proprie, & exactius docuit, procemia demonſtratiua duci ex quinque locis, laude, vituperatione, ſuaſione, diſſuaſione, ijs, quæ referũtur ad auditores; deliberatiua ex quinque, criminatione, depulſione, amplificatione, diminutione, ornatu; iudicialium eſſe duplex munus, vnum maxime proprium, & neceſſarium, indicare finem, cuius gratia oratio inſtituta eſt, alterum commune, & medicamentum quoddam animorum ductum ab oratore, ab auditore, ab aduerſario, à re ipſa: ſic propoſitionem in omnibus orõnibus eſſe neceſſariam una cum confirmatione, & narrõnem congruere generi demonſtratiuo non continenter, ſed in partibus, deliberatiuo aſſumptam, iudiciali continenter: ſic confirmationis deliberatiuæ proprium inſtrumentum eſſe exemplum, iudicialis enthymema, demonſtratiuæ amplificationem: ſic perorõnem orationibus demonſtratiuis non admodum conuenire; nec deliberatiuis, niſi cum exiſtit, qui contradicat; ſed iudicialibus, & quidẽ non omnibus, velu

G ti

arte modo

procedere apparecchiare usare

piu perfettamente

offitio

del continuo

ti paruis,& eiusmodi,ut res ipsis comprehensæ facile sub memoriam cadant; eiusq; quadruplex esse munus;tum ut bene in oratorem,male in aduersarium constituat auditorē: tum ut rē amplificet, & deprimat: tum vt animum auditoris ad affectus impellat:tum vt memoriam renouet. Ex quibus omnibus satis constare potest, quàm perfectus,& absolutus fuerit Arist. in tradenda ratione dicendi: quàm quodammodo mancus, & diminutus Cicero; etiamsi ille in nullo prope numero fuerit oratorum philosophiam in primis professus: hic optimus, & perfectissimus extiterit orator,meliusq; ex arte dixerit, quàm artem docuerit; ut si perfectam,& absolutam eloquentiam percipere velimus, simul ad illius artem, & ad huius orationes confugere debeamus;non aspernantes interim uaria de rebus oratorijs opera Ciceronis: sed ea cum præceptis Arist.coniungentes,& ubi alter deficit, per alterum supplentes; in primisq. summi philosophi artem ad summi oratoris artificium explanandum, huiusq; arrificium ad illius artem explicandam conferentes. Quod ita efficiemus, ut omnia obscura, quantum in nobis sit, illustremus:& Arist. aureum orationis flumen lingua Græca fundentem ita Latine interpretemur, vt, qui litteris Græcis minus delectantur,à nostris interpretationibus propter Græcarum vocum interiectum minime absterreantur: atque ex orationibus Ciceronis illam primam declaremus scriptam pro Milone,quam merito Quinctilianus orationum pulcherrimam,& nobilissimam, Asconius autem iure primam appellauit. In quo duplici munere nostro quàm diligentissime obeundo,dabimus sane operam,ut, quantum possimus, quantumq; valeamus, uobis omnibus,si non omnino, at aliqua saltem ex parte satisfaciamus.

Habita Patauij postridie Non. Nouembris. M.D.Lxxi.

Cum

ὁ Τόπος locus, situs, tractus, sedes, regio, loculamentum. il luogo da porui cose diuerse.



CVM INCIPERET EXPLICARE

loca de inuentione τοπικὰ **Topica Ciceronis.** localia ad locum pertinentia.
Argumentorum · sedes et occasio, argumenti inueniendi ad aliquid probandum uel improbandum.

Antonij Riccoboni Oratio.



CVM alia multa, Aud. recte à maioribus nostris instituta sunt; tum illud in primis, quòd decretis publice honestissimis præmijs, & ex doctissimis illis viris, quorum hæc ciuitas magnam copiam, & natiuo quodammodo semine fæcundam segetem fert, non pauci delecti, & summi ex omni terrarum parte doctores acciti sunt, qui in hac antiquissima vrbe, & in hoc celeberrimo gymnasio tum sapientiam, tum eloquentiam profiterentur, nec solum bene sentiendi, sed etiam bene dicendi præcepta studiosæ traderent iuuentuti. Nimirum cognitum est, finem optimæ cuiusq; Reip. esse commune bonum; & ad eius boni rationem habendam plurimum valere rectissimas artes; in gerenda autem Rep. requiri tum prudentiam eloquentem, tum eloquentiam prudentem; vt, quemadmodum nauim non gubernator solum, sed etiam clauus gubernat; equum non eques tantum, sed etiam frænum regit: ita Remp. non magis prudentia, quàm eloquentia administret. Neq; ignoratum

biada in erba ... moltitudine.

certamente senza dubio et certo.

tener conto

eſt, ut homo conſtat ex animo,& corpore, ita ciuitatis gubernationem ex recta prudentium mente, & parata eloquentium lingua contineri; ac mentem ita liberalibus diſciplinis ornandam eſſe, ut linguæ ornamenta ne deſerantur; atq. orationis venuſtatem ita ſequendam, ut aliarum ſcientiarum utilitas ne reſpuatur. Quam eloquentiæ, & ſapientiæ ſocietatem, atque cognationem cum aliqui non uideant ſumme neceſſariam eſſe; partim malunt haberi,& eſſe ſapientes, quàm eloquentes: partim ita vnam amant loquacitatem,& cantilenam,ita unam complectuntur uocum concinnitatem,& uerborum normam, ut curent tantum, quemadmodum redigant in quadrum,numerumq; dictionem ſuam,& quemadmodum quaſi colorent, & comant orationem;philoſophiam autem,& ius ciuile,aliaſq; bonas artes bene ſentiendi rationem continentes nec attingant,nec eloquenti futuro admodum attingendas eſſe arbitrentur. Cum autem ſuperiore anno primos illos,qui in grauiorũ doctrinarum ſtudio elaborantes omnem orationis cultum negligerent,& barbariem affectarent ,atque eloquentiam flocci facerent,fregerimus,& abiecerimus; hoc anno, quo Topica Ciceronis ex Topicis Ariſtot. collecta,& pulcherrimis iuriſconſultorum exemplis, quòd ad Trebatium iuriſconſultum ſcriberentur,illuſtrata decreuimus explicare, quo ſedes, & domicilia omnium argumentorum à philoſophis excogitata, & inuenta nobis erunt diligentiſsime perluſtranda, quo multa iuriſconſultorum loca declaranda, quo veterum opiniones de ratione inuentionis excutiendæ,& omnino exquiſitæ, ac præclaræ epulæ animis veſtris præbendæ; contra iſtos delicatos , et molles,qui nos abſtruſa , et recondita perſcrutantes reprehendunt,qui nos philoſophiæ, ac iuris ciuilis fontes guſtantes, tãquam eloquentiæ limites ,ac terminos præteruectos, venenatis,& peſtiferis inuidiæ morſibus dilaniant, contra iſtos leues, & ineruditos,magis loquaces,quàm eloquentes,qui toti in verbis,et nugis ſunt occupati , non quæcunque poſſumus (ſunt enim innumerabilia) ſed quantum ſatis erit hodiernæ proluſioni, quantum licebit per modeſtiam , et æquanimitatem veſtram,quantum temporis anguſtia feret, adducemus . Audire autem videor iamiam iſtos ſubmurmurantes , Quid ? qui poſt eloquentiſſimorum hominum mortem orbæ eloquẽtiæ quaſi

tutor

tutor eſt conſtitutus; cui negocium datum eſt, eius vt adultæ virginis caſte cuſtodiendæ; cui patrocinium commendatum eſt omnis elegantis, et ornatæ dictionis, ac conſcriptionis; alia agat, uerborum elegantiam, et ornamenta deſerat? Non id facio, buccæ canoræ, magis luſciniis, quàm hominibus congruẽtes, tantumq; abeſt, vt politam, et venuſtam orationem contemnam, vt eam ab omnibus prorſus hominibus arbitrer complectendam. Nam profecto, Aud. eadem ratio eſt orationis, ac ceterarum rerum, in quibus non ſola vtilitas, ſed etiam dignitas, et uenuſtas quæritur. Etenim ſi reſpiciamus hanc rerum vniuerſitatem, inueniemus neceſſario rotundum eſſe cœlum, quòd in alia figura, ut coni, uel cylindri, hæc æqualitas motus, conſtantiaq; ordinum ſeruari non poterat; neceſſario terram ſuis libratam ponderibus mediam eſſe; neceſſario Solem circumferri, et modo illuſtrare terram præſentia ſua, modo opacare abſentia, unde nobis efficitur dies, et nox, et frigoris, ac caloris modum tum acceſsibus, tum receſsibus ſuis temperare; neceſſario Lunam tum adire ad Solem, tum digredi à Sole, unde eius lumen uel tenuiſsimum, uel pleniſsimum redditur, ad animalia alenda, atque augenda, eiſque, quæ gignuntur è terra, incrementum, maturitatemq; afferendam; neceſſario Saturnũ, Iouem, Martem, Mercurium, Venerem, modo occultari, modo aperiri, modo moueri, modo inſiſtere ad quoddam tempus; neceſſario aquam terræ adhæreſcere, ſuperiorem eſſe aerem, igni altiſsimam oram datam eſſe: hanc autem neceſsitatem cum tanta pulchritudine eſſe coniunctam, vt merito tam admirabilem rerum ordinem Latini à perfecta, abſolutaque elegantia Mundum, Græci ab ornamento κόσμον nuncuparint, quòd nihil eo mundius, nihil ornatius, nihil elegantius, nihil pulchrius ſit. Si animum referamus ad hominem, quem alii minorem mundum, alii magnum miraculum appellarunt, qui medius eſt interiectus inter cœleſtes mentes, et animalia ratione carentia, partim mortalis, partim immortalis, partim terreſtris, partim cœleſtis; reperiemus ſingulas in eo tum animi facultates, tum corporis partes ad neceſſarium quendam vſum fuiſſe cõparatas, ita tamen admirabiles, atque inter ſe admirabiliter reſpondentes, ut tametſi ipſe homo monſtrum quoddam poſſit uideri, quòd inter mortales omnes diuinitatis particeps ſit,

quòd

quòd ſuperet naturæ uires animi ſui immortalitate, quòd ui quadam,et poteſtate ex omnium animantium naturis cōſtet, quòd ſimul &mortalitatem,& æternitatem in ſe contineat: tamen magnificum,præclarum,ſingulare, eximium, ac omnino ſpecioſum,& pulchrum monſtrum exiſtimandum ſit. Idem dicendum eſt de animalium rationis expertium forma,& figura, in quibus nihil otioſum,nihil ſuperuacaneum,nihil inutile, nihil caſu factum,ut ſtulte putabat Democritus,&Epicurus; ſed omnia operoſa,neceſſaria,utilia, &ſumma arte ſummi opificis Dei extructa ſunt,cum maximo decore, & ornamento. Idem de arboribus,quarum radices imbibunt terræ humorem, trunci firmant uniuerſam molem,rami ferunt fructus, folia ueſtiunt ramos,& fructus; quæ partes omnes cum ſint ad ſuam retinendam,conſeruandamq; naturam,ſunt etiam uenuſtæ. Sed ut naturam linquamus,non ne idem fit in artibus? Aedificia conſtruuntur ad arcendas ſolis,&imbris iniurias, non ſine multis,quæ maiorem afferunt delectationem, quàm utilitatem; ut etiam quæ neceſſitatis cauſſa cōparata ſunt, ut tectum ad nos, noſtraq; protegenda, ut parietes ad uim uentorum coercendam,ut columnæ ad tecta,& porticus ſuſtinendas, ſuum habeant nitorem. Arma, tela, copiæ parantur, ut omnem uim à corpore, à capite,à uita noſtra propulſemus: omnia tamen decora,& nitida.Nauigium fit cum lateribus carinis,prora,puppi,antennis,uelis,malo,reliquis,quæ non ſolum ſalutis,ſed etiā uoluptatis cauſſa uidentur inuenta. Ergo in ceteris omnibus iucunditatē cum utilitate coniungemus; in partibus orationis ſuauitatem,& leporem repudiabimus? minime uero: ſed ut illorum factum comprobabimus,qui cordis,et linguæ diſſidium abhorrentes non minori ſtudio uerborum dignitatem, quàm ſententiarum grauitatem perſequuntur,exemplo Platonis,Xenophontis,Ariſtotelis,Theophraſti, aliorum,qui ijdem fuerūt et doctrinæ,et eloquentiæ ſtudioſi: ſic illos uehementer reprehendendos eſſe ducemus,qui floſculos tantum colligentes, et quaſi pigmenta in arculis ad fucādam orationem reponentes, magis curant,quomodo dicant,quàm quid dicant; ac dicendi lumina ex unius Ciceronis ſcriptis, uelut ignem è cœlo noui Promethei ſuffurantes, dictionem quidem ſuam quibuſdam quaſi ſtellis illuminant,ac diſtinguunt,ſed in rebus omnino ab

ſurdi

ſurdi, ac inepti ſunt; cumq; alienas uoces undique eripiant, ſi quid minus expolitum, minus elegans, minus Ciceronianum, etiam dum artes traduntur, audiuerint, clamant, æque ac ſi uiolatas eſſe aras, et focos animaduerterint. Quaſi uero Cicero unus latine loquutus ſit, et non etiam alii; ac id tantum Ciceroniane dictum exiſtimandum ſit, quod Cicero dixerit, et non etiam, quod ex Ciceronis in arte Rhetorica de nouandis, faciendiſq; uerbis præceptione dictum ſit; ac non aliud requirendum in orationibus conſcribendis, ubi uerba tanquam ad normam diriguntur, quadrâtur, componuntur, et quibuſdam quaſi pigmentis colorantur, ac uelut calamiſtris ad ſpeculum comuntur, aliud in tradendis diſciplinis, ubi adhibetur nudum, et ſimplex orationis genus, quod ueritatis eſſe proprium etiam Euripides ſcripſit, et proprietatis cauſſa admittuntur quædam, quæ alioquin non admitterentur; maxime uero ſi uerba ſint noua ta, et facta ex Rhetorum præceptis, quæ profecto dicendum eſt aut eſſe ſuperuacanea, quippe quibus uti amplius non liceat (quod affirmare nunquam audeam) aut eſſe neceſſaria ad formandas illas uoces, quibus nec Cicero, nec alii uſi ſint. Sed concedamus eis hanc ipſam uerborum, ut ita dicamus, ſuperſtitionem. An uero etiam concedemus, ut Hiſtoriam, Ius ciuile, Philoſophiam moralem, Dialecticam non attingant, & eloquentiā profiteantur? Nam, ut omittam opinionem Gorgiæ Leontini, qui omnibus de rebus oratorem uoluit optime poſſe dicere, nihil ut eſſet cœlo, terra, mari, de quo non ille diſputare copioſiſſime, atq; ornatiſſime poſſet, quam ſententiam tueri apud M. Ciceronem L. Craſſus aduerſus M. Antonium uidetur (facile. n. patior oratori dicendum non eſſe de quadrandis circulis, de diametri proportione cum quadrati latere, de conis, de pyramidibus, de ſimilibus rebus, quæ cognoſci ex ſcriptis Geometrarum poſſunt) nonne homini eloquenti tenenda eſt omnis antiquitas, exemplorumq; vis, quæ tantum ualet ad auctoritatem orationis, ad fidem, ad delectationem? Nonne tam exploratum eſt, quàm quod exploratiſſimum, uerſari oratoris officium in demonſtratiuis, deliberatiuis, & iudicialibus cauſſis; primas autem tractari cum laude non poſſe, niſi & eorum, qui ornandi ſuſcipiuntur, res geſtæ cognoſcantur, & aliorum hominum maxime illuſtres actiones ad faciendam comparationem,

nem, quæ multum in hoc genere dominatur, mente, atq; animo perlustrentur; alteras exemplorum ualde indigere, ut ex rerum præteritarum similitudine futurarum fiat coniectura; tertias requirere, ut antiquiora iudicia uel similia, uel contraria obseruentur? Quomodo.n.populus Atheniensis laudabitur, si quæ victoria ad Marathonem contra Darium, quæ ad Salamina contra Xerxem relata est, ignoretur? Quomodo populus Rom.exornabitur, si quæ cum Pyrrho, cum Pœnis, cũ Philippo, cum Perseo, cũ Antiocho, quæ in Sicilia, Sardinia, Hispania, Illyrico, Macedonia, Græcia gesta sunt, nesciantur? Quã apte probatum est, q̃ pestem Catilina in ciues suos machinabatur, eã in ipsum conferendã esse, quòd etiam à C.Seruilio Ahala Sp.Melius, quòd à P.Scipione Ti.Gracchus, quòd à L.Opimio C.Gracchus, et M.Fuluius, quòd à C.Mario L.Saturninus, et C.Seruilius necati essent? Quàm congruenter suasum est bellum Mithridaticum, quòd leuiori de caussa à maioribus decretum esset bellum in piratas, ut quod gessit M.Antonius, quod P.Seruilius, quod Cn.Põpeius; et Corinthus clarissima Græciæ urbs deleta esset; et cum Antiocho, cum Aetolis, cum Pœnis bellatum esset? An non optime confirmatum est, si antea Quæstoribus in Prætores suos nominis deferendi potestas data non erat, ut L.Pisoni in C.Seruilium, ut M.Aurelio Scauro in L.Flaccum, ut Cn.Pompeio in T.Albutium; ne Cecilium quidem ad accusationem Verris admitti oportere, quòd ille huius Prætoris Quæstor fuisset? An non recte demonstratum est, Licere homini hominem aliqua de caussa interficere, quòd licuerit M.Horatio sororem necare; quòd P.Africanus C.Carboni Tribuno pl. responderit, Ti. Gracchum iure cæsum uideri; quòd nefarii habiti non sint Ahala Seruilius, P.Nasica.L. Opimius, C.Marius, senatus ipse Rom. qui sceleratos ciues de medio sustulerunt? Historiæ igitur cognitio oratori perutilis est, quæcunq; ei caussa agenda sit. Iam uero in foro, in iure, in prætorum tribunalib. legitimas, ciuilesq; controuersias recipere; de usucapionibus, tutelis, agnationibus, alluuionibus, luminibus, stillicidiis, testamentis, codicillis, legatis, fideicommissis, ceterisq; rebus innumerabilibus, de quibus sunt caussæ forenses, loqui, cum homines leges, et ius ciuile ignorent; id uisum est Ciceroni turpissimum, atq; impudentissimum, mihi uero non

solum

lum reprehenſione, ſed etiam pœna digniſſimum, quòd ſæpe huiuſmodi oratores legitimarum quæſtionum inſolentia, atque earum rerum, quæ à iuriſperitis traduntur, inſcitia, multitudinem litium foueant, varietatem cauſſarum augeant, inueteratas altercationes confirment, priuatas, publicaſq; cauſſas turbent, pupillis, viduis, alijſq; omnibus, qui ſe, ſuaſq; fortunas, ac bona eorum fidei, & clientelæ commiſerint, labem, perniciemq; afferant; digni meo quidem iudicio, qui non ſolum exſibilentur, & explodantur, uerum etiam lapidibus petantur, & ex foro, atque adeo ex ciuitate, immo vero ex finibus humanæ naturæ tamquàm impuri, conſcelerati, nefarij eijciantur, expellantur, exterminentur. Quod vitium oratores noſtri temporis adeo fugiunt, vt in alterum prolabantur. Nam dum totos ſe dant legibus perdiſcendis, artem deſerunt ſuam. O Marce Tulli: te libenter appello; quòd videris inter ceteros hac ipſa de re plurimum laboraſſe. Tu conqueri ſolebas exiguam eſſe oratorum paucitatem, cum homines doctrinæ dicendi operam, ſtudiumq; nauabant aſſiduum, cum declamitabāt, cum ſcribebant quàm plurimum, cum eas res, quas legiſſent, alijs verbis quàm maxime poſſent lectis exercendæ eloquentiæ cauſſa pronunciabant, cum ſummorum oratorum græcas orationes explicabant, cum in alias exercitationes oratoris incumbebant: quid nunc faceres, ſi ab inferis excitareris, cum ab illis ipſis, qui oratorium nomen profitentur, ars oratoria pene tota eſt deſtituta? At ſi alterutra carendum eſſet. Aud. vel cognitione iuris ciuilis, uel ratione dicendi; ſatius profecto eſſet carere illa, quàm hac, cum tamen neceſſarium ſit alteram cum altera coniungere, ut ſingulare quiddam, atque eximium exiſtat. Quod quia non fit, non niſi ſpinoſo dicendi genere reſonat forum, vbi rebus verba ſine ullo ſplendore accommodantur; nec orationes ueterum exemplo conſcribuntur. Vbi enim ſunt tot orationum volumina, quot veteres confecerunt, ut Iſocrates, ut Lyſias, vt Demoſthenes, vt Hyperides, ut M. Cato, qui amplius centum quinquaginta orationes conſcripſit, ut Ser. Galba, etiam ſi antiquitatem eius orationes redolerent, ut Libo, ut L. & Sp. Mummij fratres, ut Ti. Gracchus, ut C. Carbo, ut L. Piſo, ut C. Gracchus, ut Rutilius, ut Curio, ut C. Fimbria, ut Q. Catulus, ut Scæuola, ut Cæſar, ut Horten-

ſius,ut Cicero,ut alij innumerabiles, qui cum in dicendo,tum vero in ſcribendo ſummopere elaborauerunt? His quidem tẽporibus aliquot orationes demonſtratiuæ à noſtris ſcriptæ leguntur (quàm bonæ, aliorum ſit iudicium) deliberatiuæ aũt, & iudiciales vel prorſus nullæ, vel admodum paucæ,quæ orationum nomine dignæ ſint. Quid ita? nulla profectò alia de cauſſa, niſi quia noſtratibus oratoribus deeſt ars oratoria. Verum, ut eò, vnde digreſſa eſt, noſtra reuertatur oratio,tantum abeſt, ut homines eloquentes vna verborum ſcientia contenti eſſe debeant, ut præter hiſtoriam, & ius ciuile, ex tribus philoſophiæ partibus,quarum altera tractat naturæ obſcuritatem, altera uitam, atque mores, tertia diſſerendi ſubtilitatem, duæ oratori cognoſcendæ ſine dubio eſſe videantur. Quis enim non videat, quantum conferat moralis philoſophia ad res iuſtas, iniuſtas, vtiles, inutiles, honeſtas, turpes dijudicandas? Quis non intelligat, quàm recte huius ſcientiæ præceptis conficiatur, religionem ſancte, diligenterq; colendam, labores excipiendos,& uitam etiam ipſam amittendam, communis boni cauſſa pietatem,& charitatem patriæ priuatis commodis anteponendam, res bonas ſequendas, malas fugiendas, uirtutibus adhærendum, à vitijs abhorrendum,officium libenter ſeruandum, dolorem patienter ferendum, aliaq; eiuſmodi prope innumerabilia, quæ incidere in oratorum cauſſas conſueuerũt? Neſcio equidem, quid grauiter, ample,& copioſe dici, atque explicari poſſit ſine philoſophia, qua nihil vberius,nihil florentius, nihil præſtabilius hominum generi datum eſſe eloquentiæ parens teſtatus eſt Cicero; quæ ſuppeditat oratori materiam ad dicendum, vt, qui habeat eius omnes notos,& tractatos locos, ei uerba vltro occurrant, atque in buccam fluant; quæ una docet id, quod decet, cum omnium perſonarum officia patefaciat; quæ denique non ſolum benefactorum, ſed ẽt benedictorum omnium eſt procreatrix,& mater. Cuius maieſtatem tantopere oratori congruere nonnulli ſunt arbitrati,vt non ſolum eius partis, quæ actiones hominum informat, ſed ne Phyſicorum quidem oportere eum eſſe ignarum tradiderint,quòd omnia cum à cœleſtibus ad humana conuerſio fiat, excelſius,magnificentiuſq; & dicantur,& ſentiantur. Nam eidem cognoſcendam eſſe vicinam artis Rhetoricæ,atq; finitimã

Dia-

Dialecticam, notissimum, atque exploratissimum est, vt habeat regulam rem vniuersam tribuendi in partes, inuolutam explicandi, obscuram explanandi, ambiguam distinguendi, antecedẽtem, & consequentem videndi, veram, & falsam iudicandi. Nũc quid his immoror, cum hæc omnia à Cicerone pluribus verbis declarata sint, & illud nemini obscurum sit, cum uis oratoris rebus, & verbis nitatur, verborum volubilitatem inanem, atque irridendam esse, sine rerum plurimarum scientia? O rẽ vt difficilem, & laboriosam, ita vtilissimam, & dignissimam. Sic enim fit, Aud. vt quò quidq; preciosius sit, eò pluribus vigiliis comparetur. Vt autẽ ea, quæ diximus, interius perscrutemur, tradidit philosophorum omnium maximus Aristoteles, omne artificium oratorium positum esse in affectibus, moribus, & demonstratione. Iam uero non video, quomodo possimus mẽtes auditorum permouere, atque impellere, vt aut irascãtur, aut lenes sint, aut ament, aut oderint, aut metuant, aut fidant, aut verecundentur, aut non verecundentur, aut misereantur; aut stomachentur, aut inuideant, aut æmulentur, aut ad alios motus adducantur, nisi à Philosophis, Qui, Quibus, & Quas ob res affecti sint homines, cognouerimus, & omnino affectuum caussas, rationesq; perceperimus. Quid dicam de morata oratione? An vero in nobis exprimemus prudentiam, iustitiam, beneuolentiam, vt recte videamur opinari, & non propter improbitatem tenebras offundere veritati, ac beneuoli esse iis, qui audiũt, nisi tenuerimus eos morum terminos, ac fines, qui sunt traditi à Philosophis? An nostram accommodabimus orationem ad auditorum iram, cupiditatẽ, & eiusmodi affectus, ad uitia, & virtutes, ad senectutem, virilem ætatem, iuuentutẽ, ad nobilitatem, diuitias, potentiam, & quæ his sunt contraria, atque omnino prosperam, aduersamq; fortunam; nisi didicerimus à philosophis naturam affectuum, habituum, ætatum, fortunæ, quales sint lætantes, mœrentes, metuentes, sperantes, quales iusti, iniusti, fortes, timidi, temperantes, intemperantes, prudentes, imprudentes, quales iuuenes, senes, viri, quales fortunati, & infortunati? An decoram habebimus orationem, vt non solum subiectis rebus proportione respondeat, & affecta sit, sed etiam conueniat generi, & habitui eorum, de quibus agitur vt ætati, sexui, nationi, ut agrestium, & eruditorum naturæ, nisi

id,quod deceat,tum in ſententiis, tum in uerbis intellexerimus à philoſophis, qui tractare hunc locum in officiis ſolent? Itaque ſatis liquido conſtare arbitror, Aud. tum concitandi,tum conciliandi rationem à philoſophis petendam eſſe. Quid demonſtratio? nonne ſumenda eſt cum ab Hiſtoria, à Iure ciuili, à Philoſophia morali, tum vero à Dialectica? Quæ cauſſa fuit,cur ſapientiſsimus ſcripſerit Ariſt.Rhetoricam quaſi agnatum quiddam eſſe, & particulam quandam non ſolum eius, quæ de moribus eſt,diſputationis, uerum etiam Dialecticæ, & Rhetoricam ex altera parte reſpōdere Dialecticæ. Quamobrē orator abundans exemplis ex hiſtoricorum. aſsidua lectione, & non ignarus iuris ciuilis, quo maxime egere cauſſæ forenſes videntur,nec expers moralis rationis,ut inde locupletare orationem ſuam poſsit,ac peritus diſſerendi,vt ſciat recte uti enthymemate,& exemplo,quorum alterum idem Ariſt.modo corpus fidei,modo potentiſsimam fidem appellauit,alterum plurimum mouere,tam notum eſt, quàm quod notiſsimum; quæ oratorum argumentationes cognoſci non poſſunt, niſi Philoſophorum ratiocinationes,& inductiones cognoſcantur, ac illarum veriſimilitudo ex harum veritate percipiatur; his, inquam, inſtructus præſidiis, aliqua propoſita materia communes locos à Philoſophis traditos perluſtrabit,tantamq; ſine dubio argumentorum copiam parabit, ut facillime in ſuam ſentētiam adducturus eſſe eos,qui audient, uideatur. Nec meo quidem iudicio ineptus exiſtimabitur ad blandiendum iis, apud quos dicet,ad rem geſtam narrandam,ad ratiocinationes contexendas,ad ſua confirmanda,ad contraria refutanda,ad deprecandum,ad conquerēdum,ad omne munus oratorium obeundum: ſed cum maxima omnium attentione, atque admiratione audietur; ut occupatis locis in ſubſellijs, completis tribunalibus eius ob os omnes ora obuertant ſua, quod feciſſe Graios Cicerone dicente, memoriæ proditum eſt, ei omnes aſſentiantur, eius arbitratu, uel rideant, vel lugeant, eum tamquàm Roſcium in ſcena admirentur. O rem præclaram, atque omnibus expetendam. O vim ſingularem, ac prope diuinam. Hac præditus Pericles fulgurare,tonare, permiſcere Græciam ab Ariſtophane poeta dictus eſt, ac tantum poſſe dicendo creditus eſt, ut eius in labris ſuaſionis

deam

deam ſcripſerit Eupolis ſeſſitauiſſe. Hac ornatus Demoſthenes eminuit vnus inter omnes in omni genere dicendi. Hac adiutus Cato à quattuor, & quadraginta accuſationibus ſe defendit, ita ut ſemper ſit abſolutus. Hac fretus Cicero vrbem Romam à coniuratione Catilinaria liberauit. Hanc ſtatui, Aud. in huius anni curriculo vos docere, uobis proponens Topica cognoſcenda; quorum profecto cognitionem ſpernere non debent, non ſolum eloquentiæ ſtudioſi, cum inanis exiſtat oĩs elocutio, ac pene puerilis, niſi ex huiuſmodi locis argumenta parentur; ſed nec philoſophi, cum hi ſint veluti fontes quidã philoſophici, vnde ad omnes diſciplinas emanat omnis diſputationis copia, nec iuriſconſulti, cum hi ſint iuriſconſultorum exemplis illuſtrati, & à philoſophia ad ius ciuile traducti. Quare cum intellexerimus, eloquenti futuro neceſſariam eſſe non ſolum Rhetoricæ, ſed etiam Hiſtoriæ, Iuris ciuilis, Philoſophiæ moralis, Dialecticæ cognitionem; nos, qui ad eloquentiæ laudem tendimus, rerum ſtudium ad uerborum obſeruationem adiungamus? ac illas præclaras artes toto pectore complectamur; atque interim Topicam facultatem, quàm ſtudioſiſſime poſſumus, perſequamur; quam quidem hoc anno vobis decreui explicare, adhibito in primis auctore M. Tullio Cicerone, qui non ſolum dicendi ſtudio mirabiliter deditus fuit, cum daret operam Moloni Rhodio, & Demetrio Syro, uerum etiam Dialecticæ, audiens Diodotum Stoicum; & ut cũ eloquentia ſapientiam coniungeret, admirabili quodam ſtudio philoſophiam eſt perſecutus, cum præceptoribus uteretur Philone Principe Academiæ, & Antiocho ueteris Academiæ nobiliſſimo, prudentiſſimoq; philoſopho; ac iuris ciuilis cauſſa multum operæ dedit Q. Scæuolæ; vt facile potuerit Topicam facultatem, præcipuam Rhetoricæ partem, ex Dialectica, & philoſophia haurire, ac ad eam illuſtrandam ex iure ciuili clariſſima exempla ſumere ad Trebatium Iuriſconſultum, ad quem ſcribebat, maxime accommodata; & non ſolum magna adiumenta ſubminiſtrare oratoribus ad quamlibet quæſtionem pertractandam; uerum etiam Dialecticis, & Philoſophis, qui, priuſquàm iudicent naturam argumentorum, an ſint neceſſaria, an probabilia, an captioſa, debent ipſa argumenta per Topicam diſciplinam inuenire; ac ſimul iuriſconſultis, qui, niſi

hanc

hanc ipſam teneant in excogitandis iis, quas recentiores dubitandi, & decidendi appellant, rationibus, excellere minime poſſe exiſtimantur. Delegimus igitur materiam utiliſſimam, & auribus ueſtris quàm digniſſimam, atque auctorem præſtantiſſimum, omnibus complectendum, omnibus amandum, omnibus admirandum, non ſolum egregium dicendi magiſtrum, uerum etiam eximium oratorem, & latinorum eloquentiſſimum; qui, teſte Quinctiliano, cum ſe totum ad imitationem Græcorum contuliſſet, effinxiſſe uim Demnſthenis, copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis uidetur: qui non pluuias, ut ait Pindarus, aquas colligit, ſed uiuo gurgite exundat, dono quodam prouidentiæ genitus, in quo totas uires ſuas eloquentia experiretur: qui non immerito ab hominibus ætatis ſuæ regnare in iudiciis, & ubicunque loqueretur, dictus eſt, apud poſteros uero id conſecutus eſt, ut Cicero non hominis, ſed eloquentiæ nomen habeatur. Hunc igitur, inquit idem Quinctilianus, ſpectemus; hoc propoſitum ſit nobis exemplum; ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero ualde placuerit. Cum autem Ciceronis locos Topicos plurimi, iidemque clariſſimi uiri editis commentariis illuſtrare conati fuerint; nos Anitium Seuerinum Boethum in primis ſequemur, eum, qui floruit Zenone in Oriente imperante, & Theodorico in Italia regnante circiter Annos Chriſti octoginta ſupra quadringentos; &, quemadmodum fuit ultimus omnium ueterum Latinorum, qui litterarum monumentis aliquid conſignauerint: ſic fuit primus omnium, qui Ariſtoteliam doctrinam latinis litteris cœperint interpretari; cumque alia multa ſcripſerit, etiam ſeptem libros in Topicen edidit Ciceronis, uir non ſolum doctus, & ingenioſus, nec barbarus, ſed etiam ſanctus, qui probitate, atq; innocentia ſua diuinos honores adeptus eſt, quòd pro Catholicis contra Arij perfidiam mortem conſtantiſſime perpeſſus ſit. Neque uero deſinemus Ariſtotelis ipſius, unde hæc ſumpta ſunt, præclariſſimam doctrinam perpendere, atque ad eam intelligendam præſtantiſſimo aliquo interprete indigentem commentarios adhibere Alexandri Aphrodiſienſis, eius, qui ſub Seuero, & Antonino circiter annos Chriſti ducentos philoſophiam profeſſus primus om-

nium

nium Aristotelem antea uiris doctis magis laudatum, quàm intellectum clarissimis explicationibus illustrauit; è cuius Schola, tamquàm ex equo Troiano, ut de Isocrate ait Cicero, uiri docti quàmplurimi prodierunt, Themistius, Ammonius, Simplicius, Philoponus, Olympiodorus, celeberrimi Aristotelis explicatores; qui tanta auctoritate fuit, ut nemo Peripateticus haberetur, qui se Alexandreum esse non profiteretur. Iam hos scriptores præclarissimos in materia Topica duces habeamus: his potissimum studeamus: horum in primis præcepta condiscamus: istos autem uoluptarios, & effœminatos, quos non nisi uerborum iucunditas, non nisi mollitudo delectat, contemnamus. Hæc est mea, Aud. de toto genere hoc sententia; quam cum ingenti mea uoluptate vobis intelligam comprobari, si, quo soletis maximo concursu, & quam à uobis exopto, maxima attentione, mihi operam dabitis.

Quod ut faciatis, vestra uos hortatur vtilitas, vestrum decus, & mea singularis exposcit erga vos voluntas, ardens studium, atq; admirabilis propensio ad vestris cõmodis, & dignitati tũ publice, tum priuatim seruiendum.

Habita in Gymnasio Patauino An. M. D. Lxxij.



DE



DE NAVPACTEA VICTORIA.

Antonij Riccoboni Oratio.



Vemadmodum antea, Auditores, cum immanissimus Turcarum Tyrannus uiolato fœdere multa inflixiſſet vulnera Reipub. Venetæ, nihil extitit chriſtianis omnibus triſtius, nihil miſerius, quòd Venetorum incommoda cum omnib. populis cultoribus chriſtianæ religionis eſſe communia viderentur: ſic nunc, cum videamus ſummo Dei beneficio hanc Rempublicam, immo vero omnes Reſp. regna, imperia, dominatus chriſtianorum; vitam, bona, fortunas, coniuges, liberos; tecta, templa, oppida, urbes, prouincias omnes pulcherrima uictoria recreatas, atq; refectas; omnes merito gaudemus, Aud. & Deo opt. max. immortales gratias agimus, qui nos ex ferro, & flamma, atq; ex ipſo interitu eripuerit. Quòd ſi ad iucundiſsimum nuncium omnes maxime lætati ſunt, & maximam lætitiam pluribus modis ſignificarunt; nec ſolæ Venetiæ tanto lætitiæ motu prope dimotæ, & conuulſæ ſedibus ſuis incredibilis iucunditatis multas ſignificationes dederunt; aut ſoli Veneti omnium generum, ætatum, ordinum, effuſione ex ædibus, concurſu ex uiis, complexu, oſculis, modis omnibus poſt aduentum Trierarchi ad victoriam nunciandam

tiandam misi, tanta lætitia se auctos esse ostenderunt, vt sibi vix constarent: sed omnes homines omnium christianarum gentium, & nationum; quid dico omnes homines? immo vero mœnia ipsa, & tecta locorum omnium, quæ antea quodammodo videbantur mœrere, atq; imminentem christianæ religioni calamitatem deflere, incredibilem iucunditatem præ se tulerunt; & constitutis ad omnia templa supplicationibus ciuitates omnes ad lætissimum nuncium festos, atq; solennes dies celebrarunt: cur nos in hoc honestissimo vniuersi terrarum orbis theatro conceptum gaudium non exprimimus; &, cum maius gaudium ex maiore boni cognitione oriatur, nos, qui vere cognoscimus, quantum sit hoc summi Dei beneficium, & ob id perfecte gaudemus, quantum voce, quantum lingua, quantum dicendi arte possumus, tantum ad tantum bonum prædicandũ non conferimus? Equidem statim vt nuntiatum est immanes hostes furentes audacia, anhelantes scelera, molientes christianis pestem, minitantes nomini christiano ferrum, & flammam, fuisse frænatos, & fractos; cupiebam in tanto omnium gaudio exultare, ac triumphare oratione: sed factum est, vt, cum eodẽ tempore mihi ingrediendum esset in præclaram huius possessionem sedis, & prodeundum in lucem tot præclarissimorum Doctorum, in oculos tot studiosissimorum iuuenum, in domicilium omnium doctrinarum facem quandam ad eloquentiæ laudem aspirantibus prælaturo; ne alia agere viderer præter illa, quorum caussa illustrissimus Senatus me accersendum decreuit, distulerim hoc gratulandi officium in hoc tempus, quo variarum rerum, quæ de victoria afferebantur, cognita veritate, amplioribus verbis, & firmioribus argumentis gratulari rem tantam vobis omnibus possem. Ac profecto Auditores, si vnquam gratulatio habenda fuit, quòd nomen christianum diuino auxilio à nefario hostium scelere defensum sit, & quæ vna vera religio est, præpotentis Dei manu conseruata sit: hoc potissimum tempore id faciendum videtur, quo maiorem illos cladem, quàm vnquam antea accepisse, notissimum est. Qua in gratulatione illud primum commemorandum duximus, qui factum sit, vt Turcæ ad tantam rerum potestatem peruenerint, ex cuius potestatis diminutione, ac debilitatione magnum nobis gaudium exortum est: deinde vero, quanta cũ laude chri-

ſtianorum conſternati ſint: poſtremo quantum Deo immortali propter tantam,& tam inſignem victoriam debeamus. Illud quidem inter omnes aliquo ſenſu præditos conſtat, ornatiſsimi Auditores,atque omnibus innatum eſt,& in animis omnium quaſi exculptum,eſſe quandam vim, animum , mentem, ſapientiamq; perfectam,quem Deum appellamus , omniumq; rerum,quas ex ipſa æternitate ſibi ſubiectas intuetur,quaſi prouidentiam quãdam,primum cœleſtia, deinde in terris ea,quæ ad homines pertinent,procurantem. Ferreus enim,& ſaxeus ille eſt,quem nec cœlum æquabiliter ſe conuertens,nec ſol,aliaque aſtra terras clariſsima luce colluſtrantia,nec viciſsitudines dierum, atque noctium, nec commutationes temporum quadripartitæ ad temperationem corporum,& maturitatem frugum accommodatæ, nec rerum ordines mouent, nec id, quod maximum eſt,ſapientiſsimorum, & ſanctiſsimorum hominum teſtimonia,qui Deum tãquàm omnia,quæ videmus, ſuo nutu, atq; poteſtate adminiſtrantem ſuperioribus ſeculis ſanctiſsime coluerunt, & poſteris omnibus idem faciendum eſſe tradiderunt. In hac tamen diuina procuratione illud mirum videtur, quòd,vt quidq; optimum eſt,ita in maximas incurrit difficultates; vt quidq; peſsimum, ita fortunatiſsimum. Etenim non ſolum inter ſingulos homines videmus plerunque optimos in maximis moleſtiis verſari,improbiſsimos, ac nefarios in ſummis voluptatibus; illos egentes, hos affluentes diuitijs eſſe; illos repulſam pati, hos florere honoribus; illos in morbos, in orbitatem, in contemptum, in odia, in omnia mala incidere; hos abundare iis omnibus,quæ ſuauem vitam efficiunt; illos infelices, hos felices exiſtimari: verum etiam inter ipſas Reſp. animaduertimus ſæpe meliores pluribus malis, peiores pluribus bonis affici. Itaque non ſolum compertum eſt, in Repub. Athenienſi Cimonem, Themiſtoclem, Ariſtidem, AEſchinem, Demoſthenem, qui tamquàm boni ciues, quàm plurima, & maxima in patriam contulerant beneficia,in exilium pulſos eſſe; ne Soloni quidem ipſi humari in ea vrbe, quam maxime ornauerat,contigiſſe;Socratem illum,quem fuiſſe optimum, integerrimum, modeſtiſsimum, ſapientiſsimum, memoriæ proditum eſt, veneno necatum eſſe; in Repu. Rom. Romulum ipſum ſenatorum manibus diſcerptum, ac dilaniatum,

tum, Collatinum exulantem, Camillum, Scipionem, Ciceronē eadem calamitate perculſos; in Rep. chriſtiana tot ſanctiſsimos viros omni ſcelere laceratos, omni credulitate raptatos, omni acerbitatis genere diuexatos: verum etiam Remp. Chriſtianam, qua nihil ſanctius, nihil præſtãtius, nihil pulchrius inueniri, aut excogitari poteſt, tamquàm nauem fluctuaſſe; & aduerſiſsimis ventis iactatam eſſe; ac Remp. Venetam chriſtianæ religionis filiam, cum ſæpe alias, tum vero his annis ab efferis gentibus, & nationibus terra, mariq; aditum ad occupãda omnia in ea ipſa per vim requirentibus perturbatam. Non ſolũ cognitum eſt, Piſiſtratum, Alcibiadem, Catilinam, Clodium, impios multos, aliquo temporis ſpatio feliciter vixiſſe; ſi felicitas appellanda eſt, quæ cum ſcelere coniuncta ſit: ſed etiã Turcarum Imperium, quo nihil ſceleſtius, nihil deteſtabilius, nihil magis intolerandum videtur, diutius fortunatum fuiſſe. Cuius rei præcipuam cauſſam ſi quis inueſtiget, is profecto inueniet Deum ſapientiſsimum, optimum, & maximum idcirco iis, quos amat, multas obiicere difficultates, quòd eorum nolit ocioſas deſidere uirtutes, & quòd eos magis remunerari velit: malis autem aliquandiu opes, honores, regna, imperia permittere, ut aperte cognoſcant boni non in rebus inanibus, & fluxis poſitam eſſe uirtutis mercedem, ſed in honeſtiſsimis laboribus, & uigiliis ampliſsima eius prœmia conſtituta. Hinc miſeriæ chriſtianorum: hinc amplitudo Turcarum; præſertim vero, quia chriſtiani, cum in eo chari ſint Deo, quòd Chriſtianam fidem, tamquàm optimam ducem, & fulgentiſsimam ſtellam in maximis tenebris, & procellis ſequantur: in eo tamen diuinæ iuſtitiæ placere non poſſunt, quòd conſtantiam perſeuerantiamq; non retinent; ſed cum profiteantur ſe inſiſtere ueſtigiis eius, a quo ſunt ſeruati, & ad cœli poſſeſsionem inuitati: tamen vel rerum difficultate deterriti, uel ſua leuitate diſtracti eius præcepta deſerunt, ad uias fallaces conuertũtur, multa offendunt, in multis errant, & labuntur; ut mirum non ſit, eos diuinæ bonitatis oblitos multis affligi vulneribus, donec reſipiſcant. Cum autem alia errata Rempu. chriſtianam miſerrimam reddiderunt; tum uero principum diſſenſio, qua nihil meo quidem iudicio eſt peius, nihil pernicioſius, nihil deteſtabilius. Quemadmodum enim miſerum eſt, in corpo-

ribus noſtris externum calorem , externum ue frigus propul-
ſare non poſſe; at longe miſerius intus contracto frigori, aut
in uenis,ac uiſceribus concluſo calori remedium non inueni-
re: ſic in ratione gerendæ Reip. magna miſeria eſt,ab externis
hoſtibus perterrefieri ; at longe maior ipſas inter ſe diſsidere
Reip.partes,& quidem ita diſsiſidere, vt non modo altera alte
ram non defendat,verum etiam altera alteram oppugnet. Vt
autem externum frigus, externus ue calor male ſe habentib.
corporibus moleſtior eſt: ita pernicioſiora fuerunt Reip. chri
ſtianæ intus male affectæ externa vulnera illata ab immaniſsi-
mis Turcis ; qui, Chriſtianis principibus non ſolum inter ſe
diſsidentibus,verum etiam altero de alterius pernicie lætanti
bus adeo potentes facti ſunt, vt trecenta millia equitum, pedi
tes ſine numero,claſſem trecentarum triremium vno regis nu
tu poſſent comparare; qui multas vrbes, multas prouincias,
multa regna,atq; imperia illis ademerunt;qui Syriã, qui Phœ-
nicen, qui AEgyptum , qui vniuerſam prope Aſiam occupa-
runt; qui Africæ, atque Europæ non paruam partem impe-
rio ſuo adiunxerunt; vt veriſsimum apparuerit illud, quod di-
uino afflatu proditum eſt,Regiones noſtras coram oculis no-
ſtris deuorari ab alienis . Quid vero ſuperioribus annis fece-
runt; vel potius quid non fecerunt, vt Melitam Inſulam no-
biliſsimam oppugnarent? Quam quidem aggreſsi ſunt tanta
nauigiorum multitudine , tot bellicis tormentis , & machinis
non ſolum numero,ſed etiam magnitudine horribilibus , tan-
to rerum omnium apparatu,vt cunctorum Chriſtianorũ prin
cipum,nedum Meliteſium equitum animos metu poſſent fa-
cillime conſternare . Quam ſine dubio expugnaſſent , omnia
chriſtianorum præſidia ſuperando; niſi præpotens Deus eam
ſeruaſſet,omnibus declarando, quanta cultores veræ religio-
nis prouidentia tueatur. Quid commemorem bellum ab eiſ-
dem geſtum atrociſsimum,& aſperrimum in Pannonia ? Quo
in bello diem ſuum quidem obiit immaniſsimus ille Impera-
tor,qui nihil unquam optare,quod non aggreſſus ſit, nihil ag
gredi,quod non expugnarit, eſt viſus : ſed ei ſucceſsit imma-
nior filius , maximæ perfidiæ exemplar ſingulare ; qui partim
auaritia,partim ſuperbia,partim in noſtram religionem rabie
ductus,iniuſtiſsimum Venetis intulit bellum, nõ ſolum Reip.

Venetæ,

Venetæ,ſed cunctæ Italiæ, atque omnibus chriſtianis peſtem moliens; ac ſtatim aggreſſus eſt Cyprum inſulam, nauali gloria,& maris imperio celeberrimam,omnium rerum copiis,atque opibus circumfluentem.Quid dico aggreſſus eſt? immo vero occupauit;atque ita occupauit, vt paſsim per vias immanium hoſtium contra chriſtianos debacchatus ſit furor, uiolatæ uirgines,uexatæ uiduæ,commaculati pueri, duces,& præſides miſeris modis excruciati,& necati,ſpoliata templa, incenſæ aræ,denique quidquid mali dici,aut excogitari poteſt,id miſeris hominibus pro Chriſti fide pugnantibus à chriſtiani nominis hoſtibus illatum eſt. O acerbum,& miſerabile ſpectaculum, atque indignum, quod de belluis,nedum hominibus, de hæreticis,nedum ueritatis cultoribus haberetur. Adde,quòd hoſtium claſsis toto mari prædabunda uolitauit, ut etiam in Venetias ipſas impetum factura, cunctamq; Italiam occupatura uideretur; multaſque inſulas euaſtauit, quæ uobis notiores ſunt,quàm ut cum maximo omnium dolore à me debeant cõmemorari. Horum autem tot,tantorumq; malorũ fuiſſe cauſſam principum diſſenſionem,uel ex eo apparere poteſt, quòd ſtatim,ut opera Pii V. Pontificis Max. poſt hominum memoriam ſapientiſsimi facta eſt ſanctiſsima de chriſtiano nomine defendendo conſpiratio;atq; ipſe cum Philippo Rege Catholico,atq; illuſtriſsimis Venetis iniit ſocietatem: effrænata immaniſsimi Turcarum Imperatoris audacia frænata eſt;chriſtiani populi,quos Cypri expugnatio,Cyterorum, Zacinthi, Cephaloniæ uaſtatio,ſuburbiorum Corcyreorum exuſtio, nonnullorum Epiri, atque Illyrici oppidorum deditio, hoſtiliſque claſsis in noſtra maria excurſio exterruerat, ac perculerat, recreati,atque refecti ſunt; Reſp. Veneta,cuius unius ſtatu uniuerſæ Italiæ,immo uniuerſæ chriſtianæ religionis incolumitatem,atque amplitudinem niti,notiſsimum eſt, quæ iam horrebat hoſtium petulentiam,ſtupra,luxuriam,turpitudinem, libidinem,ſcelus,furorem,temeritatem,iniquitatem, ſubleuata,atque erecta eſt; & omnibus ad bene de uniuerſa religione ſperandum, quaſi ſignum aliquod ſublatum eſt. Atrociſsimum enim, & periculoſiſsimum bellum mandarunt Ioanni Auſtrio, illi,qui ſummi Imperatoris Caroli V. patris,& maximi Regis Philippi, fratris ſui egregias uirtutes præ ſe fert; M. Antonio

Co-

Columnio principi præſtantiſsimo ; Sebaſtiano Venerio , & Auguſtino Barbadico, uiris præclariſsimis ; qui cum Pontificiam, Catholicam, & Venetam claſſem circiter Id. Septemb. è portu Meſſanæ; quò conuenerant, eduxiſſent, & Corcyram magno animo aduenîſſent; quamquam anni tempore parum opportuno , tamen Deo duce pridie Non. Octob. Naupactum uerſus nauigarunt; atq; ipſis Nonis, militibus non magis claſſico, quàm Imperatorum eloquētia inflammatis, hoſtes ex portu Naupacti ad certiſsimam uictoriam conuolantes , & confluentes, pauciſsimis horis uicerunt, fugarũt, trucidarunt; quadraginta ueteranorum militum millia partim ceciderunt , partim ceperunt ; uiginti chriſtianorum captiuorum millia crudeli ſeruitute liberarunt , atque uniuerſam chriſtianam Rempu. maximo metu exſoluerunt. O uictoriam ſingularem, atq; omnium hominum uocibus, ac litteris celebrandam . Caracoſius archipirata omnium audaciſsimis chriſtianis claſsibus exploratis longe pauciores inuenerat chriſtianorum , quàm Turcarum triremes . ſuperbiebant hoſtes numero trecentorum nauigiorum, & robore quàm plurimorum militum extra ordinē accitorum. ſecundo uento, ac tempeſtate utebantur . Iamiam ſibi uidebātur omnes chriſtianorum opes fudiſſe. Iamiam claſſes deleuiſſe . Iamiam Imperatores claſsium , & milites omnes contrucidaſſe . Itaque ludibundi in aduerſa agmina irruerunt; atque ita irruerunt, ut undiq; tormentorum militarium ſonitus audiretur, undiq; ſaxorum, quæ iaciebantur, fragor aures penetraret, undiq; gladiorum fulgor præſtringeret oculos, atq; omnia militum clamoribus circumſonarent: cum manus Dei, illa inquam manus, quæ ſemper fuit , tum erga pios fidelis, tum erga impios terribilis, nomini chriſtiano opitulata eſt. Etenim cum alia multa, Auditores, declarant, felicē tanti prælij exitum à Deo opt. Max. chriſtianis confectum eſſe , tum uero tempus anni, quo pugnatum eſt ; quod elegit Deus parum commodum hominum nauigationibus, ut intelligeretur, non humanis uiribus, ſed cœleſti ſubſidio in tot, tantiſq; periculis communem ſtatum integrum , atque incolumem conſeruatum eſſe . Quid dicam de celeritate ? Cn. quidem Pompeius celeriter uictoriam retulit de piratis, cum undequinquaginta diebus eos uiciſſe dicatur : at celerius chriſtiani eã claſ-

ſem

ſem,quā omnes gentes, & nationes premebantur,ſuperarunt, cum à profectione ex Meſſanæ portu ad uictoriam ſoli quattuor,& uiginti dies connumerentur,ut tam breui tempore tātum negocium explicari ſine ope cœleſti non potuerit. Adde, quòd priuſquàm prælium committeretur, uenti, tempeſtateſque hoſtibus obſecundarunt: poſtquàm uero committi cœptum eſt, ita conquieuerunt, ut id non niſi diuinitus factum uideatur. Tunc apparuit Hiſpana, & Itala uirtus, quarum proprium ſemper fuit ſuperbos uincere, & debellare. Tunc apparuit egregia opera Auſtrii,& Columnii, qui non aliter ſe geſſerunt,ac ſe geſsiſſe Miltiadem, & Themiſtoclem memoriæ proditum eſt;quorum alter anno tertio olympiadis ſeptuageſimæ ſecundæ aduerſus Darium Perſarum regem ad Marathonem proſpere pugnauit,eiuſq; copias profligauit: alter anno primo olympiadis ſeptuageſimæ quinctæ Xerxem,qui Dario ſucceſſerat,&,ut cladem à Dario acceptā ulciſceretur, traiecerat in Græciam,ad Artemiſium, & Salaminem mari ſuperauit. Tunc mirabilem ſe oſtendit excellens præſtantia Venerij,qui,ut Sicinius Dentatus Achilles Romanus appellatus eſt: ſic ipſe Achilles Venetus appellari merito poteſt; quiq;, utille cicatricē auerſam nullam,aduerſas multas tuliſſe narratur: ita ipſe, cum in confertiſsimos hoſtes non tamquàm ſextum, & ſeptuageſimum ætatis annum agens,ſed tamquàm fortiſsimus iuuenis incurriſſet,& cum Auſtrio præclariſsimo rei maritimæ Imperatore triremem imperatoriam magno animi robore cepiſſet,nulla auerſa uulnera,unum tantum aduerſum in genu,idq; non magnum tulit. Tunc non defuerunt omnibus chriſtianis nationibus multi, & Reip. Venetæ, cuius præcipua res agebatur,plurimi,qui pro aris, pro focis, pro patria, pro Rep. pro Chriſti fide ſe hoſtium telis obiecerint,& morte ſua uictoriam ſuis pepererint. Ex quibus honoris cauſſa nominē, neceſſe eſt, Auguſtinum Barbadicum, uirum nobiliſsimum, atque omni uirtutum genere præſtantiſsimum, in quo quidē neſcio,quid magis admirer;an eloquentiam, qua alios rei maritimæ Imperatores ad ſtatuendum prælium, & milites ipſos ad præliandum inflammauit; an fortitudinem,qua hoſtes cōſternauit;an conſtantiam,qua uitam cum morte commutauit; ut quemadmodum Epaminondas uetuſta Lacedæmonis gloria,

ria,inuictaq; ad id tempus publica uirtute apud Leuctram, & Mantineam contuſa,traiectus haſta, poſtquàm ei percunctanti dictum eſt primum clypeum eſſe ſaluum, deinde vero fuſos penitus eſſe hoſtes,eam ſibi auelli iuſsit, & in vulneris dolore æquo animo cum laude mortuus eſt: ita ipſe cum cognouiſſet conciſas hoſtium cateruas; triremes partim incenſas , partim fractas,partim captas ; interfectum hoſtium Imperatorē ; monſtrum illud,atque prodigium,quod per omnia maria võlitans prædabundum incredibilem chriſtianis perniciem afferre conſueuerat , illum capitalem hoſtem chriſtiani nominis Caracoſium de medio ſublatum ; captum Syrochum inſignē piratam;atq; alios omnes,qui claſsi præfuerant cum inſignibus nocturnis luminum,præter vnum,aut alterum,contrucidatos: tantum abfuit,ut libenter non moreretur, vt, cum intelligeret ſe præſtantia ſua chriſtianum nomen ſtabiliuiſſe , etiam ridēs moreretur. O virtutem eximiam , atq; apud omnes gentes, & nationes ad perpetuum fortium virorum exemplum prædicā dam . Quid dicam de egregiis Trierarchis, aliisq; præſtantiſsimis viris,qui in tanto prælio non ſine maxima fortitudinis laude ſanguinem effuderunt ? quorum nomina non recenſeo , non ſolum quia vobis non minus,quàm mihi, manifeſta ſunt : verum etiam, quia ſatis pro dignitate in hac temporis anguſtia commemorari non poſſunt . Ac profecto, Auditores, hæc eſt vera gloria, quam tot, tantiq; viri ſua ſibi uirtute pepererunt . Hoc eſt verum præmium uirtuti propoſitum, vt cū uel morte tua benemeritus fueris de Rep. immortaliter lauderis. Hæc eſt immortalitas , quam mortales cōſequi apud mortales poſſunt,ut cum communis boni cauſſa omnes labores exceperint,& vitam etiam ipſam amiſerint,volitent per ora omnium. Quamobrem glorientur quidem Athenæ Codro ſuo, decimoſeptimo rege,qui cum Dores Athenienſibus , quòd Megaram Coloniam condidiſſent,bellum intuliſſent, ſe ex uaticinio pro patriæ ſalute deuouit ; glorietur Carthago Philenis ſuis , qui uiuos ſe obrui pro patria paſsi ſunt ; glorietur Roma Bruto , Curtio,Deciis,aliiſq; ciuibus ſuis,qui glorioſa morte immortalem uitam in animis hominum ſunt conſecuti ; glorientur aliæ urbes aliis fortiſsimis uiris,eorumq; facta, illuſtria certe,& glorioſa,ſed uerbis, & ſermone hominum maiora , quàm re,

& ueri-

& ueritate in cœlum laudibus efferant: nos uero tot, tantoſq; uiros, qui pro Chriſti fide fortiſsime occubuerunt, laudibus, & beneuolentia colemus ſempiterna; quorum fama uigebit memoria ſeculorum omnium, à poſteritate aletur, ab æternitate conſeruabitur. Te vero, antiquiſsimum Patauium, in hac ipſa uictoriæ commemoratione quibus dignis uerbis recenſebo; quod cum propter prima tuorum ciuium decora, & uetera dignitatis inſignia, propter ſplendorem, & magnificentiam, quæ habere ſuum in te domicilium uidetur, propter hanc clariſsimam omnis doctrinæ officinam, & celeberrimum omnium diſciplinarum mercatum, quò fit perpetuus ſtudioſæ iuuentutis ex omnibus regionibus, aſsiduuſq; cõcurſus, propter alia multa, quæ in te mirabilia ſunt, per totum terrarum orbem perpetuo celebreris: ne in hac quidem communi lætitia, & felicitate ſine maxima præſtantiæ tuæ laude commemoraris, quòd præſtantiſsimi ciues tui in tam inſigni prælio egregiam operam nauarint. Plurimis igitur hoſtium principibus trucidatis centum, & ſexaginta triremes, multæ biremes, aliaq; aliorum generum nauigia in Chriſtianorum poteſtatem peruenerunt, aliæ vero naues partim incenſæ, partim fractæ, partim in profundo demerſæ ſunt, & pauciſsimæ quædam fugam arripuerunt; cum ne vnum quidem nauigium ex chriſtianis claſsibus captum ſit, duo tantum fracta, pauciſsima uulnerata. O uictoriam feliciſsimam, & laudem præclariſsimã, tum ſummi Pontificis, qui tantæ fuit auctor victoriæ; tum Catholici Regis, qui contra Turcarum immanitatem multum ſemper, nunc plurimum profecit; tum Reip. Venetæ, quæ cũ auſa fuerit arma capere contra potentiſsimos Turcas, quorum maximas uires toties experta fuerat, & non tam Cyprum Inſulam in ipſis faucibus hoſtium ſibi defendere, quàm tantæ potentiæ reſiſtere, nec ullam rationem habuerit tot filiorum ſuorum, tot negociatorum, tot mercium apud hoſtes commorantium, ut plurimas iniurias ulciſceretur, & Chriſtianam Religionem tueretur; ipſos victores gentium, & nationum vicit; ſi quidem illud Imperium ſuperauit, à quo Syrii, à quo Phœnices, à quo AEgyptii, à quo Athenienſes, à quo Carthaginenſes, à quo Macedones, à quo tot regna, & imperia ſuperata ſunt; & eo quidem tempore ſuperauit, quo non contra baliſtas, non contra

catapultas, sed contra ipsa fulmina pugnandum fuit. Id autē merito uidetur esse factum Duce Aloysio Mocenico, cum Mocenicorum nomen ad uictoriam, & imperii amplificationem natum sit. Quod cum alii prope innumerabiles ex nobilissima Mocenica familia nati declararunt; tum uero Thomas, Petrus, Ioannes, duces incly i, quorum consilio, & opera plures vrbes sunt captæ, plura oppida expugnata, & Venetum imperium mirabiliter custoditum. Quantum autem pro tanto, & tam insigni beneficio Deo Opt. Max. debeamus, uel ex eo perspici potest, Auditores, quòd antea maris vsus pene totus amissus erat, hostibus omnia occupantibus, quibus captiuitates, & cædes nauigantium, ac vexatio, direptioq; sociorum impunita erat & libera; antea omnia erant in metu, audentibus etiam hostibus in nostra maria, & in nostros portus introire, atque in omnibus locis latrocinari, ut qualiscunq; strepitus audiretur, hostes timerentur; antea aræ, templa, tecta, mœnia ipsa in summo versari discrimine propter hostes christiani nominis, et latrones maris uidebantur; antea nihil audiebatur præter cædes, præter incendia, præter rapinas, inhumana hostium audacia, et intolerandа commissas, et quidem commissas cum maximo christianorum dedecore, quod inertes homines fortissimos superassent, stultissimi prudentissimos, ebriosi sobrios, dormientes uigilantes; antea petulantia insidiabatur pudori, stuprum pudicitiæ, fraudatio fidei, scelus pietati, furor constantiæ, turpitudo honestati, libido continentiæ, denique iniquitas, luxuria, ignauia, temeritas, uitia omnia, æquitati, temperantiæ, fortitudini, prudentiæ, uirtutibus omnibus; antea omnium salus periclitabatur, omnes communem miseriam deflebant, de omniū christianorum incolumitate dubitabatur, puerorum eiulatus, mulierum lamenta, uirorum gemitus, senum suspiria, priuata, publicaq; omnia replebant: nunc uero amplissimo summi Dei beneficio maris usus recuperatus est; metu liberati Christiani; pericula sublata, christianorum præstantia patefacta; bona ratio perditæ, mens sana amentiæ, iustitia iniustitiæ anteposita; ac nomen christianum altissimis radicibus defixum est, ut nulla unquam uis id ipsum labefactare, nulla dimouere loco posse uideatur. Quamobrem merito, Auditores, cum tantum bonum inuicem gratulamur, tum uero Deo immortali immortales

tales

tales gratias agimus, qui immaniſsimis hoſtibus reſtitit; qui tecta, qui templa, qui oppida, qui urbes, qui nos omnes ſaluos eſſe uoluit; qui ſummo Pontifici, Catholico Regi, Illuſtriſsimis Venetis eam mentem, uoluntatemq; dedit, ut ſanctiſsimo con iuncti uinculo tantum bellum ſuſciperent; qui Turcis conſilium ademit non pugnandi, quod unum omnes chriſtianorũ opes euertere breui temporis ſpatio poſſe uidebatur, chriſtia nos autem ad uictoriam deduxit, & ad imperii amplificationẽ incitauit; qui nos ex miſerrimo, & crudeliſsimo interitu, cum maximo hoſtium detrimento, & minima noſtra iactura eripuit. Quòd ſi ueteres non ſolum celebrabant eos dies, quibus uel ipſi, uel eorum amici natl fuiſſent; ſed eos etiam, quibus e magno aliquo diſcrimine erepti eſſent; vt Poeta ille Calendas Martias: quid nobis faciendum eſt de Diuæ Iuſtinæ huius ciuitatis maximi decoris die, quo nos omnes, quibus ingens periculum ab hoſtibus imminebat, conſeruati ſumus? cum præſertim in diebus ſalutaribus certam lætitiam concipiamus, in diebus natalibus incertam conditionem reportemus, & cum conſeruamur, non mediocri voluptate perfruamur, cũ uero naſcimur, ſine ſenſu ſimus; vt non minus ſancti, non minus honorati, non minus iucundi, atque illuſtres habendi ſint ii dies, quibus conſeruati, quàm illi, quibus nati ſumus. Et, ſi coluntur ii dies, quibus vnus eſt conſeruatus, quantò magis colendus eſt ille dies, quo gladii in tot homines, populos, gentes, & nationes diſtricti retuſi ſunt, mucrones à tot iugulis reiecti, ignes tormentorum militarium in tot oppida, & vrbes paratorum reſtincti? Cum autem alii honores Deo immortali alijs temporibus iuſti habiti ſint, ac debiti: nulli tamen iuſtiores, quàm ij, quos omnes chriſtianæ ciuitates his temporibus pie habuerunt; nec vlli magis pij, quàm illi, qui ad omnia templa huius chriſtianisſimæ vrbis ſunt conſtituti. In quibus religioſiſſime ſe geſſerunt præſtantiſſimi præſides, IACOBVS AIMVS, & PETRVS FOSCARVS; quorum alter exemplum præclariſſimum habetur chriſtianæ pietatis, ac bonitatis: alter Petrum Foſcarum, cuius nomen repræſentat S R.E. Cardinalem, eundemq; Patauij Antiſtitem; & Paullum Foſcarum, Venetiarum Epiſcopum, qui Patriarchæ loco ſacris præerat; ac Hieronymum Foſcarum, fratrem ſuum, Torcelli Præſulem,

imitans præclaram consuetudinem retinet in domo sua spectandi nihil aliud, nisi gloriam summi Dei. Horum insignibus ad laudem vestigijs, Auditores, quotidie magis insistamus; & in vulneribus peccatorum nostrorum mirabiliter recreati, atq; refecti habeamus semper ante oculos tum minas, tum pollicitationes Dei Opt. Max. affirmantis, si qui dereliquerint legem suam, si qui in mandatis suis non ambulauerint, se visitaturũ in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum; si qui uero audiuerint præcepta sua, si qui à vijs suis non aberrauerint, se ad nihilum inimicos eorum depressurum, & aduersus affligentes eos vsurum potentia sua; cumq; intelligamus ad delendam maculam christiani nominis, ad communem salutẽ conseruandam, necessariam esse sanctissimam principum consensionem, Deum precemur, veneremur, atq; imploremus, vt eam non solum augeat, sed etiam tueatur; & in tanta omnium lætitia diuinam bonitatem, quæ christianam Remp. ab omnibus insidijs, & periculis defensura est, neque amplius permissura, eam ipsam, quam tantopere diligit, ludibrio, ac despectui esse, sed beatam, florentemq; conseruatura, perpetuo laudemus; ac summum Pontificem, Catholicum Regem, Illustrissimum Senatum Venetum, qui sanctissima conspiratione sua tantum christianis bonum confecerunt, perpetuis præconijs adornemus; atq; ad eorum omnium, qui fortissime pro Christi fide pugnarunt, & in primis Ioannis Austrij, M. Antonij Columnij, Sebastiani Venerij, & eius, quem non sine lacrymis commemorare possum, Augustini Barbadici, præclarissimorũ Imperatorum perpetuam prædicationem, quantum voce, lingua, dicendi arte possumus, conferamus.

Habita in Gymnasio Patauino Anno M. D. LXXI.

In Obitu



IN OBITV PII QVINCTI Pontificis Max.

Antonij Riccoboni Oratio.



QVA voce, Aud. quibusq; lacrymis deflebo eam, quam morte Pij V. Pontificis Max.calamitatem accepimus?Qua in re magis Nicolaus Ormanetus, Antistes religiosissimus, Iacobus Aimus,Prætor clarissimus, Petrus Foscarus, Præfectus præstantissimus, ostendere pietatem suam possunt,quàm in grauissimo summi Pontificis casu? Quod signum pij officij dabit celeberrimum gymnasium Patauinum,quod non ignorat, si triginta diebus filii Israelis Aaronis, & Mosis mortem maxime defleuerũt, successore iam designato à Deo Opt. Max. multo magis nobis maiori, quàm illorum fuit, miseria esse mœrendum? Quid efficies, nobilissimum Patauium, ut quam obseruantiam erga Christianam religionem, & sanctissimos viros iamdiu præ te fers, eandem nunc in obitu Pontificis Max. post hominũ memoriam integerrimi, atque innocentissimi ostendas? Quos gemitus,& lacrymas effundet Venetorum Resp. in tam graui, & periculoso bello tanto Pontifice, rerum suarum participe, socio

cio, adiutore destituta? Quibus modis vniuersa Resp. christiana angores suos declarabit, quæ in maximis procellis fluctuãs, & aduersissimis uentis iactata, optimum, & sapientissimum gubernatorem suum amisit? Dic tu Christe, redemptor noster, qui assiduis precibus beatissimi senis motus nostris miserijs succurristi, quantam in eo iacturam fecerimus. Aperi tu omnibus, si cuiusquam vnquam aliàs funus, & mors fuit ueris, & iustis lacrymis decoranda, Pij V. Pontificis Max. exequias, atque obitum uerissimis, & iustissimis tristitiæ notis esse honestãdum. Cum autem omnes vultu, omnes lacrymis, omnes omnibus modis testimonium summæ mœstitiæ ferant; & adsit religiosissimus Antistes, adsint clarissimi præsides, adsint nobilissimi Patauini, adsint studiosissimi iuuenes, squalleant omnes, mœreant omnes; atq; hic ipse tristissimus huius templi habitus omnium squallorem, & mœrorem comitetur: consolari tamen se omnes possunt hac unica spe, quòd Spiritus Sanctus ꝓpediem Pontificem præstantissimum in demortui locum sit concessurus. Ego uero in communi omnium dolore, quam consolationem capiam, nescio; cum ad alias dolendi caussas illa etiam accedat, quòd propter incredibilem perillustris Episcopi, & clarissimorum præsidum diligentiam vix tempus habuerim ad me ipsum comparandum, & meditandas plurimas, maximasq; laudes Pij V. quem ut statim in funere laudarem, mihi illi mandarunt. Me tamen recreat, & reficit, nobilissimi Auditores, huius ciuitatis humanitas, & benignitas singularis. Quare non desinam aliquid dicere; & eò libentius dicam, quò uos omnes attentiores uidero; ac breuissime ostendam, cum omnes nostra potissimum caussa doleamus, summi Pontificis caussa lætandum esse, qui ex his corporis compagibus quasi è carcere ad summam felicitatem euolauit. Hac autem in re illorum philosophorum rationem non sequar, qui de animi immortalitate dubitantes dixerunt, siue animus sit mortalis, nos per mortem huius uitæ malis liberari; siue immortalis, nos ad summum bonum per eandem mortem omnino perduci: sed cum sanctissimis, ijsdemq; sapientissimis viris argumentabor, hominum mortalium animos immortales his terrenis uinculis liberatos, si recte diem suum obierint, in maxima tranquillitate uitam degere; si turpiter, pœnas erratis debitas luere.

Satis

Satis enim comprobatum eſt, tantam celeritatem animorum noſtrorum, tantam memoriam præteritorum, tantam futurorum prudentiam, tot artes, tot ſcientias, tot inuenta, in natura mortali contineri non poſſe; & ſimplicem animi naturam, quæ nihil admixtum in ſe habeat, nihil diſpar ſui, atque diſsimile, cum diuidi non poſsit, ne interire quidem poſſe; atque alia eiuſmodi, quæ uos grauiſſimi philoſophi ſubtiliſſime diſputatis, quæq; animorum noſtrorum diuinitatem apertiſſime declarant, etiam apud illos, qui ueram religionem non habent, nedum apud nos, qui clariſſimis diuinæ ſcripturæ teſtimonijs certiſſimam animorum immortalitatem habemus. Quamobrē ſiquis eſt, qui cum Pio V. male actum eſſe exiſtimet, quòd ex hac uita deceſſerit, oſtendit ſe non intelligere, eum virtutum ſuarum gradibus in cœlum aſcendiſſe. Cuius egregias laudes mihi hoc in loco celebrare cupienti, magis, quid non dici ex ijs, quæ innumerabilia ſuppetunt, quàm quid dici oporteat, conſiderandum eſt. Nam ſi omnia complecti oratione velim, quomodo exitum inueniam, non uideo. Quid autem in primis commemorabo? Nihil certe aliud, niſi eum vere generoſum fuiſſe, quòd ortus in Luco, loco nobili Liguriæ cis Apenninum, & celebri quondam Marchionatu, atque honeſta Guiſleriorum familia; magis virtute, quàm patriæ, & gentis nobilitate nixus eſt, maioremq; ſibi ex ſe ipſo, quam aliunde gloriam comparauit. Præclare. Vt enim taceam nobiliſſimum ſolem non idcirco ignobiliorem eſſe, quòd à ſe ipſo ſplendeſcat; nec eſſe ignobiliorem fontē, quòd à ſe ipſo profluat: mea quidem ſententia vere generoſus eſt is, qui optimus eſt. Etenim qua de cauſſa Harmodius, & Ariſtogiton nobilitati fuerunt? an quia celeberrimam patriam, & nobiles, ac rerum geſtarum gloria claros parentes habuerint? Minime uero: ſed quia generoſe ſe geſſerint, atq; interfecto tyranno patriæ ſuæ libertatem reſtituere conati ſint. Quid? quòd nobiles illi habentur, qui claros propinquos habent, & Pius V. præter conſanguineos ſuos, in quibus ſplendet Michael Cardinalis Alexandrinus, habuit alios clariſſimos propinquos? Age enim, qui nam clarorum uirorum propinquiores ſunt, ij, qui ſanguine coniūcti ſunt, an ij, qui præclaris rebus geſtis inter ſe quàm ſimillimi ſunt? certe cōiunctiores uidentur fortes cum fortibus, iuſti

cum

cum iustis, liberales cum liberalibus, omnino uirtute præditi cum uirtute præditis, quàm parentes clari cum liberis obscuris. Quos igitur habuit secum uirtute coniunctos Pius V.? habuit Curios, habuit Fabricios, habuit Curuncanios; habuit Metellos, Fabios, Marcellos; habuit Scipiones, Paullos, Lepidos, præclara, atq; ad omnis posteritatis famam illustria abstinentiæ, modestiæ, iustitiæ, fortitudinis, omnis uirtutis exempla. Immo uero habuit alios longe illis præstantiores. Fuerunt enim illi à uera religione alieni: at huius propinqui ueræ religioni dediti. Fuit enim eius propinquus in optimis moribus Petrus, fuit Ioannes, fuit Iacobus, fuerunt alij innumerabiles, quos castissima uita semper est imitatus. O genus praclarū, non natura, sed uirtute comparatum. Iam uero uideamus, Auditores, quomodo non sorte, sed electione sanctissimam uitam sit secutus. Duplex enim est bonum illud, quò omnes homines dirigunt actiones suas. Vnum sapientibus omnibus cognitum, ad cuius desiderium rerum omnium mater nos trahit natura. Alterum tantummodo sanctissimis uiris perspectum, ad quod expetendum diuinus afflatus nos concitat. Primum ab hominibus comprehendi potest. Alterum adeo superat mortalitatem nostram, ut non modo sub sensum cadere, sed nec plane sine cœlesti auxilio sub intelligentiam possit. Illud est bonum ciuile, quod positum est in rerum bene gestarum conscientia. Hoc bonum diuinum, quod nihil est aliud, nisi præpotentem Deum intelligere, amare, possidere, ac perpetua cogitatione complecti. In cuius boni contemplatione cum multorum hominum cœtus uitæ cœlestis desiderio quasi in unum corpus coaluerint, ac Diui Dominici sodalitates omnes maxime semper fulserint: apud nobilissimum ordinem illorū, qui Diui Dominici obseruantes dicuntur, ab ineunte ætate initiatus est. Recte. Sic enim Samuelem, sic Hieremiam à pueris cōsecratos esse, sacris litteris est consignatum. Itaque nihil antiquius habuit, quàm ut religioni se totum dicaret, idest, illi præstantissimæ uirtuti, cui non homines tantum imperiti plurimum tribuerunt, uerum etiam sapientiores omnes sine ulla dubitatione primas partes detulerunt. Siquidem diuinus Plato censuit ante omnia Deum Opt. Max. huius mundanæ fabricæ architectum, omnium bonorum præbitorem esse agnoscendum:

dum: huic agnito id, quod Dei est, retribuendum: id autem, quod Deo retributum est, assidua rerum meditatione, iustisque actionibus cum Deo ipso inenodabili vinculo religandum; idq. fieri per illas tres virtutes, sanctitatem, pietatem, religionem, quæ per triplicem funiculum difficulter solubilẽ significatæ sunt. Maximus vero omnium magister, & Philosophorum summus Aristoteles, cum enumeraret ea, sine quib. consistere ciuitas non potest, diuino cultui primum locum dedit, & propter diuini cultus dignitatem, neq; agricolam, neque opificem, neque artibus operosis, & minus ingenuis deditum quenquam ad sacerdotium efferẽdum esse præscripsit. Factus igitur religiosus, & diuino numine afflatus, ac diuinæ charitatis amore incẽsus ita, vt omnes exercitationes suas, tum externas, tum internas, omnia consilia, omnes actiones, omnes prorsus vires dirigeret ad Deum ipsum perpetuo honore contemplandum, venerandum, colendum; illorum semper institit sanctissimis vestigiis, qui fide, spe, charitate, pietate, iustitia, benignitate, omni virtute præditos se ostenderunt; qui illa habuerunt rerum peragendarum instituta, quibus facile beari possent; qui non verba sola, sed simul facta professi sunt, nec in nimia solitudine se abdiderunt ad solatium suum, atq. voluptatem, sed, cum oportuit, in hominum luce sudarunt, alserunt, esuriuerunt pro communi vtilitate, & se omnibus in omni negotio benignissimos reddiderunt, vt fecisse Petros, Paullos, Augustinos, Hieronymos, Benedictos, Frãciscos, Dominicos, ceteros omnes compertum est, qui benignissimũ seruatorem nostrum mirabiliter imitati sunt. Cum autem animum appulisset ad communem hominum fructum; & cognouisset, quantum conferret ad humanarum rerum gubernationem bonarum artium cognitio: non dubitauit in omni litterarum genere, & ratione versari; exemplo Mosis, & Salamonis, quibus nihil sapientius vnquam extitisse, memoriæ proditum est. Quidquid vero discebat, audiebat, legebat, id vniuersum ad sapientiam illam dirigebat, quæ à Deo est, & potissimum semper in Theologia, ac iure Pontificio elaborauit, vt non solum veram religionem cognosceret, sed etiam cognitione sua christianis oĩb. opitularetur. Discite, ergo religiosi viri, ex illustri facto Pontificis Max. in illas artes præci-

pue incumbere, quæ ad vos pertinent; & Theologiam, ac ius Pontificium non omittere pro inanibus quæstionibus de materia prima, de quantitate syderum, de primo, & vltimo instanti, de maximo, & minimo, de aliis rebus parum vtilibus, & necessariis ei bonitati, quam profitemini; immo vero sæpe inutilib⁹ & perniciosis, dum vestrum nonnulli (bonos enim nõ damno) nihil aliud curant, nisi quomodo possit sophistice disputare. Non igitur, vt in circulis, & congressionibus sophistarum se iactaret (quibus ipsis rebus malebat quodammodo ineptus, quàm aptus videri) liberalibus artibus operam, studiumq; nauauit: sed, cum ex illis ipsis ea, quæ ad hominem christianum, & religiosum pertinent, excerpsisset, Theologiæ, ac iuri Pontificio potissimum studuit, vt Christianæ religioni prodesse posset. Qua in re tantum profecit, vt ob id maximos sit honores consecutus. Taceo, quomodo inferiores dignitatum gradus ascenderit, quomodo Episcopus Nepesinus, quomodo Cardinalis sit factus à Paullo IIII. Pontifice Max. tanto bonorum applausu, tantaq; lætitia, quantam in animis hominum recte sentientium magnæ dignitates magnæ virtuti tributæ potuerunt excitare. Tantum dico, in Theologia, ac iure Pontificio eum semper ita excelluisse, vt propterea sanctissimo Inquisitionis officio fere semper præfuerit, & Lutheranæ hæresis immanitatem mirabiliter represserit. Quo in munere obeundo se semper præbuit ab odio, amicitia, ira, misericordia vacuum, quales esse oportere omnes iudices à veteribus traditum est. Non alicuius potentia, vel gratia mouebatur, quominus Dei cultum custodiret. Non minis, non precib. non iniuriis, non muneribus adducebatur ad aliquid contra Dei honorem permittendum. Et tam sapienter, tam incorrupte se gessit, vt rerum diuinarum perfecta cognitione, ac diligenti executione aditum sibi patefecerit ad Pontificatum. Testes sunt Bergomates, testes Nouocomenses, testes Romani, testes alii quàmplurimi; qui eum hæreticæ prauitatis Quæsitorem sapientem, prudentem, diligentem, uigilantem, incorruptum, indefessum experti sunt. Ad sapientiam enim, & prudẽtiam suam non solum adiunxit diligentiam, & vigilantiam admirabilem in publicis muneribus obeundis, verum etiam integritatem, & innocentiam singularem, longe ab ijs diuersus,

uerſus, qui intelligunt quidem plus, quàm ceteri, & futura proſpiciunt,atq; ad negotia expedienda, & conſilia ex tempore capienda idonei ſunt: ſed,quoniam non uiuunt ſine alicuius fraudis, ac iniuriæ ſuſpicione, idcirco ipſis ſalus hominũ, & fortunæ minus recte committi exiſtimantur. Neque enim putandum eſt quenquam quantumuis doctum, & prudentẽ habere ſatis auctoritatis ad Rempub. adminiſtrandam, qui in adminiſtrationibus ſuis nihil reſpiciat magis, quàm quomodo expleat inſatiabilem ſuam accumulandarum opum auiditatem: ex qua magiſtratuum improbitate omnis rerum priuatarum, & publicarum perturbatio, omnis labes, & pernicies populorum proficiſcitur. Quid? quòd in primis delectatus eſt fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, humanitatis, benignitatis, omniumq. earum uirtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum, & facilitatem? Quod plurimum valet in eo, qui alijs præſit. Dici enim non poteſt, vt ſcribebat Philippus ad Alexandrum, Antipater ad Caſſandrum, Antigonus ad Philippum, quantopere conciliet animos hominũ comitas, affabilitaſq. ſermonis, quantumq. requiratur in illis, qui alios gubernent, ut oratione benigna multitudinis animos ad beneuolentiam alliciant, ac ditioni ſuæ ſubiectos blande appellando ſermone deliniant, neque id ficte, ſed uere, cãdide, ſincere efficiant, ac ueritatem benigni ſermonis ſui, candorem animorum ſuorum, ſincerum amorem ſuum, omnibus, quibuſcunque poſsint, benefaciendo, beneficamq. uoluntatem oſtendendo declarent. Quod hic mirabiliter præſtabat, & ſe omnibus partibus, ac numeris abſolutum oſtẽdebat, ac prorſus aptum, natumq. ad imperandũ indicabat, ut vnus eſſe poſſet cuiuslibet rectiſsimæ adminiſtrationis norma, regula, & præſcriptio, ac in eum unum intuentes ipſam recte adminiſtrandi ideam intueri uiderentur. Atque, cum aliæ dignitates eas virtutes poſtulent, quæ in hoc incredibiliter elucebant: Pontificatus tamen, quò cæteris dignitatibus præſtat, eò talibus uirtutibus eſſe ornatior debet, ut Pontifex nõ ſolum ſit religioſus, & uere religioſus, ſed etiam ſapiens, cum T. Manlius Torquatus ſe indignum iudicauerit, qui conſulatum adminiſtraret, propter ualetudinem oculorum, & multo indigniores ſint Pontificatu, qui carent lumine doctrinarum.

Praeterea uerò uitæ integer, purusq. sceleris, & benignissimus, atque humanissimus, omnique uirtute perornatus, uno uerbo MAXIMVS. Hac igitur tanta celebritate famæ cum in maximo rerum motu nauiculæ Petri gubernator imponendus esset, qui eam rectissime gubernaret, hic ipse quàm dignissimus uisus est, cui tanta gubernatio deferretur. Cum autem uniuersæ Christianæ Reip. unius spiritus sancti afflatu praepositus esset, tanquàm is, qui singulis semper ætatibus probatus fuisset, & immaculatum se præstitisset, ac constanter id agere studuisset, quod utile esse Reip. arbitraretur, qualis omnino princeps nisi eligatur, Plato censuit Remp. perituram: tot, & tanta gessit in ipsius Pontificatus administratione, ut diem dicendo consumpturus sim, si commemorare omnia uelim. Inter cetera autem eius grauissima, atque immortalia erga Remp. Christianam beneficia illud non minimum fuit, quòd Galliam ex multis hæreticorum uulneribus laborantem maximopere adiuuit. O' Gallia, antiquum eloquentiæ domiciliũ, quæ Mercurium eloquentiæ præsidem præcipua coluisse obseruantia perhiberis, quæ Herculem uenerata es habentem in ore catenam quandam auream, eaque ipsa astantium aures, quò liberet, trahentem, significans eum ipsum eloquentiam esse; tua ipsius antiqua eloquentia opus esset, ut plane exprimeretur, quæ, & quanta beneficia in te contulerit Pius V. Tibi enim militibus, tibi pecunia, tibi quibuscunq; rebus potuit, opitulatus est; dum tetra, horribilis, importuna eorum pestis, qui nec hominum uitæ, nec Dei templis parcunt, te ipsam turbabat; dum sæui hæreticorum turbines tequassabant, dum tenebræ hominum praue de rebus diuinis sentientiũ in te quotidie magis conduplicabantur, & eorum nigror mentes imperitorum, ac rudium in dies magis occæcabat. Dictu mirabile, atq. adeo miserabile, quòd ubi diuinus cultus sanctissime custodiebatur, ubi christiana pietas maxime colebatur, ubi homines erant christianissimi cum Rege Christianissimo, inde christianum nomen prope depulsum fuerit; & Gallia, quod firmissimum habebatur contra hæreticos omnes christiani nominis præsidium, ab hæreticis tam misere diuexata sit; & quæ prouincia Christum se maxime colere profitebatur, tot christianæ fidei oppugnatores uiderit. Plurimum igitur debet

Gallia

Gallia Pio V. quem in retinenda vera, & Catholica religione paratiſsimum habuit adiutorem. Atque, cum in optimo Pontifice duo maxime requirantur, vt verbo doceat, vt exemplo inflammet; dici non poteſt, quanta cum ſua laude, quanta cum omnium admiratione beatiſsimus ſenex vtrunque præſtiterit, & ſapientiam cum probitate, eloquentiam cum integritate coniunxerit. Quòd ſi celebratur ſapientia, & eloquẽtia Alexandri III. qui Fridericum primum compeſcuit; & Innocentii III. qui Fridericum ſecundum coercuit; & Vrbani II. qui terram ſanctam cum incredibili gloria recuperauit: maximis etiam laudibus ornabitur ſapientiſsimus, & eloquentiſsimus Pius V. qui præterquàm quòd Melitenſibus ad mœnia reficienda, & Pannoniis ad ſe defendendos contra Turcarum immanitatem opem tulit, prudentia, & cohortatione ſua Philippum Regem Catholicum, & Illuſtriſsimos Venetos ad ineundam ſecum contra Turcas ſanctiſsimam ſocietatem adduxit; cuius augendæ cauſſa ſuperiore anno præſtantiſsimũ Michaelem Cardinalem Alexandrinum conſanguineum ſuum in Hiſpaniam, in Luſitaniam, in Galliam, & præclariſsimum Cardinalem Commendonum in Pannoniam ad Romanorum Imperatorem; & in Poloniam Legatos miſit; qua ſtatim animi hoſtium ſunt conſternati, & nobiliſsima illa victoria relata eſt, quam ſuperioribus menſibus noſtra oratione celebrauimus. Tibi igitur, venerande ſenex, qui in cœlum aſcendiſti, tantam victoriam acceptam referimus. per te hoſtes ſunt victi, fugati, trucidati. per te tot hoſtium millia cæſa; tot chriſtianorum captiuorum millia liberata; tot triremes, tot biremes, tot nauigia occupata. O maximum, & ſingulare beneficium non ſolum in illuſtriſsimos Venetos, quorum præcipua res agebatur, verum etiam in vniuerſum chriſtianũ genus collatum. Quantum autem profuerit Cardinalibus, & Epiſcopis, cum eis familiariter colloquendo, eos ad meliores mores cohortando, & omnes docendo, quid viros deceat religioſos, ſatis apparere poteſt iis, qui conſiderauerint, quales ante eũ, & quales cum eo religioſi fuerint. Nec ſilentio prætereundum eſt, eum quàm diligentiſsime curaſſe, vt Tridentinæ Synodi ſanctiſsima decreta obſeruarentur, & religioſorum monachorum Dei cultum omnino conformarentur, ac vetus

eccle-

eccleſiaſtica diſciplina reuocaretur. Quid dicam de ſanctiſſimis eius moribus, de abſtinentia, de modeſtia, de conſtantia, de charitate, de liberalitate, de ſui commodi deſpicientia, de iniuriarum obliuione, de aliis virtutibus, quæ quidem eum omnino amabilem, atque admirabilem reddiderunt? in primis autem adamauit lenitatem, qua nihil in pontificia ceruice ſplendidus fulgere ſanctiſſimi patres memoriæ tradiderunt. Commemorare ſoles, perilluſtris Epiſcope, & facile commemorare potes, cum ei ipſi honorifice ſeruiueris, eum eadem humanitate, benignitate, affabilitate in pontificatu ad ſe adeuntes ſuſcepiſſe, qua & Cardinalis, & Epiſcopus conſueuerat, vt idem ſemper fuiſſe ſeruato decoro videretur, nec immutati in eo mores, ſed aucta tantum dignitas cognoſceretur. Quàm vero gratus fuerit erga benemeritos de chriſtiana religione, & quàm obſeruans virtutum, vt non propinquos, non potentes, ſed virtute præditos ad magnas dignitates efferret; vt Cardinales, & Epiſcopos alios ab eo electos omittamus, ſatis intelligere poſſumus, nobiliſſimi Auditores, ex hoc ipſo Epiſcopo ab eodem Patauinæ diœceſi præpoſito, de cuius ſummis laudibus plura dicerem, ſi id modeſtiſſima eius præſentia pateretur. Cum igitur beatiſſimus ſenex aſſiduis precibus à Deo contenderet, vt de medio ſublata Turcarum immanitate, & hæreticorum prauitate chriſtianũ nomen omnino ſtabiliretur; & perpetuis vigiliis, ac laboribus in illud vnum incumberet, ut chriſtiana religio altiſſimis radicibus per vniuerſum terrarum orbẽ defigeretur; ſemper Deũ orans, atque obſecrans, ſemper preces, & lacrymas ad Deum fundens, ſemper vigilans, ſemper laborans, ſemper aliquid ad Deum meditans, inuiſis ſeptem præcipuis vrbis templis, cui muneri ne ſemimortuus quidem deeſſe voluit, totus in Deũ conuerſus, Dei iuſſu à cœleſtibus mentibus in cœlum raptus eſt, ut quam felicitatem merebatur, tandem aliquando ea ipſa frueretur. O' ſanctiſſimum Pontificem, atque omnium vocibus, ac litteris celebrandum. Ergo veteres Romulum, Cæſarem, alios inter Deos relatos falſo crediderunt: nos Pium V. Pontificem Max. inter ſanctos vere nõ connumerabimus? illi Herculem, Iouem, Cererem, Bacchum, propter maxima in humanum genus merita Deos appellarunt: nos optime

meritum

meritum de christiana religione Pontificem, sanctum non existimabimus? Quamobrem non eius, sed nostra potius caussa dolendum est. Immo uero omnis dolor deponendus, cum præsertim eius in cœlo ad Deum pro christiana Rep. preces defuturæ non sint; & in diuina voluntate acquiescendum; iucunda autem maximarum Pii V. uirtutum recordatione, & grata innumerabilium beneficiorum commemoratione præclarissimum eius nomen prædicandum; ac Deus opt. Max. exorandus, ut nobis eius similem Pontificem det, qui iactis ab eo perpetuæ salutis nostræ fundamentis reliquum opus perficiat, christianam fidem stabiliat, immanium hostium uires deleat, & omnes christianas ciuitates, ac populos consoletur, & felices reddat. Quod futurum esse, mihi persuadeo, diuina prouidentia confisus, quæ uerum Dei cultum sine dubio beatum, florentemque conseruabit.

Habita in Gymnasio Patauino Anno M. D. LXXII.





IN PRIMORDIIS ACADEMIAE ANIMOSORVM.

Antonij Riccoboni Oratio.



ER multæ erant cauſſæ, Viri conſcripti, quamobrem me incommoda ualetudine laborantem omnino triſtem, ac prope miſerum ducerem: ſed illa in primis, quòd per me huius præſtantiſsimi cœtus, qui incredibili quodam ardore ſapientiæ flagrat, dilata eſſe primordia cogitabam; ut quò magis me vobis debere confitebar, quòd non ſolum me in præclariſsimum hunc veſtrum numerum recepiſſetis, uerum etiam dignum cenſuiſſetis, cui veſtrarum admirabilium in omni litterarum genere exercitationum initia mandarentur (quibus rebus nihil mihi præclarius, nihil ad laudem illuſtrius poterat euenire) eò me afflictiorem, atq; infeliciorem exiſtimarem, qui vobis obſequi, vobis ſatisfacere, veſtram explere voluntatem nō poſſem. Verum enimuero quò vehementius dolui, atque excruciatus ſum, eò maiores Deo immortali gratias ago, qui me ſummo periculo liberarit, & veſtris commodis, quibus mea ſtudia, & lucubrationes, meam diligentiam, atque induſtriam,

ſtriam, quantum ſcilicet grauiſsimum munus mihi ab Illu-
ſtriſsimo Senatu Veneto delatum concedet, polliceor, ac de-
fero, incolumem conſeruarit. Vtinam autem, quanta tempo-
ris dilatio facta eſt propter ægrotationem meam, tantundem
mihi acceſsiſſet virium, quo vos non dicam ad præclara litte-
rarum ſtudia inflammare, ſed inſigniter inflammatos exorna-
re pro dignitate poſſem. At vero, quoniam vocem auditis
minus grandem, ac plenam, quàm hic locus deſideret, & quaſi
extra modum abſonam, atque abſurdam, latera autem experi
mini infirmiora, & ad vocis contentiones, ac remiſsiones mi-
nus apta, ſpiritum anguſtiorem, linguam hæſitantem, ac totũ
corporis motum languentem; dabitis mihi
hanc veniam accommodatam imbecillitati meæ, ut placidius,
ſummiſsius, lenius, minus actuoſe, minus ample, minus fortaſ
ſe grauiter, quàm oporteat, oſtendam, nihil à vobis potuiſſe
deligi melius, nihil præſtantius, nihil magnificentius, nihil,
quod magis non ſolum ad ueſtram utilitatem, & cõmoditatẽ,
ſed etiam ad decus, & ornamentum, atque adeo ad ueſtram
beatitudinem, & felicitatem pertineret, quàm, ut in hac ho-
neſtiſsima frequentia, & in hoc florentiſsimo conſeſſu mira-
biles ſtudiorum ueſtrorum fructus ederetis. Nam profecto,
ſi recte conſideremus, nihil eſt, quod magis omnibus homi-
nibus curandum eſſe uideatur, quàm, quomodo in hac vita
ſi non perfectam felicitatem propter turbidos fortunæ mo-
tus, at ſaltem aliquam felicitatis partem conſequantur. Inanis
autem eſſet omnis cura beatitudinis, ſi, quod eſſet ſummum
bonum, ignoraretur. Quo factum eſt, ut multi in eo cogno-
ſcendo ſummopere elaborauerint. Hic uidete, præſtantiſsimi
Aud. miſeram hominum conditionem, quibus rerum ueritas
abdita, atque in profundo demerſa eſt, ut uix longe eam pro-
ſpiciant, nedum aſſequantur; ac eò miſeriorem exiſtimate in
fine ipſo, quàm in ceteris rebus intelligendis, quò grauior in
illo, quàm in his iactura percipitur. Homines enim in cogni-
tione finis errantes, dum ſtudent felices eſſe, in maximam infe
licitatem incurrunt: at uero aliarum rerum ignoratione non
tam infelices redduntur. Ortæ igitur ſunt uariæ ueterum de
ſummo bono opiniones, aliæ magis, aliæ minus ſequẽdæ, per-
inde ut uel proprius ad ueritatem accedere, uel longius à ue-

ritatē recedere uidentur. Alii enim ultimum bonorum esse dixerunt uoluptatem: alii honorem: alii uirtutē: alii diuitias: alii doloris uacuietatem: alii frui primis à natura datis: alii prosperitatem uitæ cum actione uirtutis: alii censuerunt non haberi in hac uita mortali felicitatem, sed tantum post mortem propter unam animarum immortalitatem: alii alia præceperunt; & tam uariæ fuerunt ueterum de summo bono opiniones, ut ex dogmatum uarietate constitui potuisse ducentas, octoginta, & octo sectas, M. Terentius Varro tradiderit. Sectæ enim proprie dicebantur, quæ eo distabant à cæteris, quòd diuersos haberent fines bonorum, & malorum, quandoquidē nulla hominibus esse caussa philosophandi uidetur, nisi ut beati sint. Vt autem statuamus, quæ opinio nobis sequenda sit, quid est, quòd uoluptates tamquàm ultimum finem propositas habeamus, tantopere Aristippo, & Cyrenaicis omnibus, tantopere Epicuro, & eius sectatoribus probatas, communes homini cum belluis, & partim puerilium oblectamentorum similes, partim cum magno dedecore, & turpitudine cōiunctas? An est quidquam homini turpius, aut homine indignius, quàm mancipiorum more uoluptatibus inseruire, pecudum consuetudinem imitari, ac uitam sequi Sardanapali, omnium non solum bipedum, sed etiam quadrupedum teterrimi? Nonnè prorsus irridenda, ac contemnenda fuit tabella illa Cleanthis, in qua ipse iubebat, ut homines cogitarent, pictam esse omnium rerum dominam voluptatem, cuius pulcherrimus vestitus splendesceret, & ornatus regalis, quæ in solio sederet, tamquàm regina virtutum, cui præsto essent virtutes, ut ancillulæ obsequentes, nihil aliud agentes, nullum suum officium ducentes, nisi vt voluptati seruirent? ò summam stultitiam. Præterea vero nihil est, cur imperia, & honores, tamquàm extremum bonorum consectemur, vt Cæsar, & Augustus, & alij quàmplurimi fecerunt; quæ res inanes, & fluxæ pendeat fere ab inconsiderato impetu, & temeritate leuis, atque imperitæ multitudinis, facileq; auferri possunt, nec dignæ vllo modo sunt, in quibus vltimus finis collocetur, quippe quas homines expetunt non propter ipsas, sed vt virtutibus exculti videantur. Quamobrem cum imperare, atq. honorari cupiamus propter virtutem, qua præstare ceteris pulcherrimum ducimus; &

mus;& omne imperium, omnemq; honorem ad virtutem referamus; profecto in virtute magis beatitudo hominis, quàm in imperijs, & honoribus videtur constituenda. Quid? quod ne in illa quidem, quamuis præstantissima, atq; excellentissima, posita esse existimatur? Virtus enim non est beatitudo, non modo eas ob caussas, quas grauissimus auctor attulit Aristoteles, quia illa vigilantibus, & dormientibus, actuosis, & ociosis, fortunatis, & infortunatis communis sit, hæc tantum vigilantibus, tantum actuosis, tantum fortunatis conueniat: verum etiam quia illa potius animum perpurget, & idoneũ reddat ad summum bonum adipiscendum, hæc tale bonum contineat; illa potius esse dispositio ad finem, hæc finis ipse censeatur. Itaq; nec recte prorsus iudicauit Zeno cum Stoicis suis, qui uirtutem summum bonum statuit, & solum expetendum, cetera uero bona seligenda, non simul expetenda; etiam si egregie censuerit uirtute præstantem virum, & sapientem solum appellandum esse Regem, qui se, & alios optime sciat regere; solum magistrum, qui non vitij, sed uirtutis magister sit; solũ diuitem, qui paruo contentus nulla re egeat; solum dominum rerum omnium, qui recte sciat uti rebus omnibus; solum pulchrum propter animi lineamenta longe pulchriora corporis lineamentis; solum liberum, qui nec dominationi cuiusquam pareat, nec obediat cupiditati; solum inuictum, cuius etiamsi corpus tyranni possint constringere, animo tamen nulla vincula inijcere, nullam adhibere uim queunt. Nec probanda est Pyrrhonis, & Aristonis sententia, qui dixerunt virtutem non modo summum, sed etiam solum bonum esse, cetera vero ita æqualia, ut inter optime valere, & grauissime ægrotare nihil prorsus interesset. contra quos merito iampridem desitum est disputari, quòd illi virtutem ipsam, quam tantopere amplexabantur, rerum selectione expoliarint, & dum exornare uellẽt, prorsus sustulerint. Nec sequenda Herilli opinio, qui omnia reuocauit ad illam intelligendi virtutem, quæ scientia nominatur; quam non solum negarunt beatitudinem hominis esse, verum etiam vllam esse Socrates, & velut amantes Socratis, Anaxagoras, Democritus, Empedocles, omnes pene ueteres, quos rerum obscuritas ad confessionem ignorationis adduxit, quorumq; sectator Arcesilas putauit, ne illud quidem sciri pos-

ſe, quod ſibi unum Socrates reliquiſſet. Quid porro de diuitijs dicemus, à Mida Rgge Phrygum, à Crœſo Rege Lydorũ, à Craſſo ciue Rom. & ab alijs plurimis tantopere expetitis? An uero in conſilijs, & actionibus noſtris opes, & copias ſpectabimus, quas ſæpe poſſeſſoribus ſuis exitio eſſe, & tam multis caſibus eripi poſſe conſpicimus? An negabimus in rebus præſtantioribus, ut honore, & virtute, ſummum bonum ſitum eſſe, in rebus autem minus præſtantibus, ut diuitijs, illud conſtituemus? Neque uero cum Hieronymo Rhodio putandum eſt beatitudinem eſſe doloris vacuitatem: quòd ipſa beatitudo cum officio, cum laude, cum decore coniuncta ſit: qui uero indolentiam ſequitur, omne officium, omnem laudem, omne decus fugiat, quod comparari ſine dolore non queat, omnem autem turpitudinem, & ignominiam perferat, ut vacet dolore. Neq; cum Carneade cenſendum, illos beatos eſſe, qui primis à natura datis perfruantur: quia beatitudo à fortuna non pendet: vt autem fruamur ingenij motu, ſenſibus, membris, integritate corporis, valetudine, & alijs huiuſmodi, quæ ille per prima à natura data intelligebat, id uidetur à fortuna pendere. Cum autem Ariſtoteles definiuerit felicitatem actionem animi ratione utentis ex uirtute perfectiſſima in uita perfecta, non defuerunt, qui argumentati ſint, id, quod accidit, cuiuſmodi eſt actio, eius, quod per ſe ſubſiſtit, qualis eſt homo, ultimam perfectionem eſſe non poſſe: & omnem actionem eſſe potius viam quandam, quæ ad finem ducit, quàm ipſum finem: ac uirtutis actiones laborioſas eſſe, in labore autem finem illum, quem quærimus, non inueniri, ſed in quiete, atq; tranquillitate, cum idcirco negociemur, ut cum dignitate ociemur, & bellum geramus, ut in pace uiuamus. Qui uero tantummodo poſt hanc mortalem uitam beatitudinem homini propter unam animorum immortalitatem tribuerunt, ſapienter quidem, & pie ſe geſſerunt, dum illud ipſum comprobarunt, ſine quo nulla eſſe religio, nullus dei cultus poteſt: ſed, ſi non obſeruarunt huius uitæ maculis alteram uitam inſici, atq; labefactari, ut nihil intereſſe poſt mortem inter animum Ariſtidis, & Phalaridis, Catonis, & Catilinæ cenſuerint; merito à Lactantio Firmiano reprehenſi ſunt. Si uero, quod de beatitudine poſt obitum perfruenda affirmarunt, non ſimpliciter

de

de omnibus animis, ſed de bonis tantummodo intellexerunt; ut ſenſiſſe Socrates apud Platonem uidetur,& Cicero ſæpe ex Platonis doctrina diſputauit, mea quidem ſententia non sũt reprehendendi. In tanta autem doctiſſimorum hominum diſſenſione, tantoq; disſidio, cum uel ipſe Ariſtoteles,qui aliquã in hac uita beatitudinem conformauit, eam nõ eſſe perfectam quodammodo ſignificauerit, dum ſcripſit, beatos eſſe illos, quibus inſunt bona animi,corporis,& externa, beatos autem, ut homines,quaſi diceret imperfecte beatos, eaq; tantum beatitudine præditos, quæ hominibus posſit congruere,ideſt,imperfecta; illud profecto ſtatuendum eſt, quod non ſolum Platonici, uerum etiam Theologi omnes affirmarunt,in hac uita hõibus uel nullam beatitudinẽ dari,uel exiguã,& paucis:hãcq; uitã eſſe ueluti uiam quandã ad alteram,ut qui in hac recte ſe geſſerint,in altera ſe beatos fore, ſperare merito queant:& homines,ſiq̃ partẽ felicitatis,dũ hac luce fruũtur, habere posſũt, eò feliciores habendos eſſe, quò propiores diuinæ conditioni facti ſint; ſimiles autem exiſtimari Deo ſapientisſimo,&optimo,ac maximo,quoad humana natura patitur,duabus potiſſimum rebus, contemplatione,& actione;cum, quemadmodũ Deus uno intuitu omnia uidet,omnia intelligit, omnia cognoſcit,&præterquàm quòd omnia perſpicit,etiam omnia gubernat,& huius mundanæ uniuerſitatis,quam ſuis ipſe præpotentibus manibus eſt fabricatus,ſaluti conſulit,eiuſq; asſidua procuratione tenetur: ita homines,quantum poſſunt, in his infirmis corporum compagibus,non ſolum rerum cauſſas inueſtigent,& quod abſolute bonum eſt,contemplentur,ad illud dirigant omnes actiones ſuas,ad illud pro uiribus tendant;uerum etiam cognitis rebus diuinis,recte humanas gubernent, recte ſe ipſos,rem familiarem, rem publicam adminiſtrent; ut propter eiuſmodi ſapientiam,prudentiam,iuſtitiam,aliquam habere cum Deo ſimilitudinem uideantur. Quæ cauſſa fuit,cur Plato Philoſophos eſſe beatos iudicans,dixerit philoſophiam eſſe quandam Dei ſimilitudinem. In duabus igitur reb. poſita eſt hæc ipſa,quæcunque ſit, beatitudo, in ueritate perſpicienda,& uirtute non ſolum ad noſtram,uerum etiam aliorum utilitatem exercenda; quas res qui ita diſiunxerunt, ac ſepararunt,ut alteram ſpreuerint,alteram ſint ſecuti, ueram felicita-

tem animo non comprehenderunt. Nam quemadmodum ſo
la contemplatio non ſufficit, niſi traducatur, cum opus eſt, ad
rerum adminiſtrationem : ſic ne actio quidem ſatis inſtructa
eſſe poteſt, niſi pendeat à rerum cognitione. Neque eſt, cur
mihi C. Marius adducatur, qui litterarum, aut nihil, aut parum
admodum didicit, cum tamen in gerenda Rep. mirabiliter ex
celluerit. Neque commemorandus Cn. Pompeius, qui ab ineun
te ætate uerſari in armis cum patre ſuo aduerſus Cinnam cœ
pit, & ſemper in illis ſe exercuit, ut incumbere in litterarum
ſtudia non potuerit; qui tamen, quanti faceret bonas artes, a-
peruit tunc, cum ex Aſia proficiſcens ad maximum illum tri-
umphum, quem de piratis, de Mithridate, & Tigrane regibus,
de gentibus, ciuitatibusq; plurimis duxit, Rhodi maxima libe
ralitate in omnes liberalium artium doctores uſus eſt, & Athe
nis Poſidonium, aliosq; philoſophos ſumma obſeruantia co-
luit. Neque aliorum eiuſmodi hominum mentio eſt facien-
da, qui uno rerum uſu admirabiles in Rep. extiterunt. Vt enim
aliqui recte ſe geſſerint ſine ullis ſtudiis, ſine ullis litteris, ſine
ullis præceptis; rectius ſine dubio ſe geſsiſſent, ſi actiones ſuas
aliqua ſtudiorum meditatione conformaſſent, ſi ex litterarum
monumentis percepiſſent locorum, & regionum naturam, gen
tium, & nationum mores, ſi omnino ex ueterum libris cogno
uiſſent ea, quæ ad recte gubernandam Remp. ualde pertinere
exiſtimantur. Vt autem illi mihi non probantur, qui in ſumma
rerum ignoratione ad Rerump. gubernationem accedunt; ſic
illorum factum mihi placere non poteſt, qui ſemper in litte-
ris, ſemper in bonarum artium ſtudiis abditi, nihil ad commu
ne commodum conferunt. Quod meo quidem iudicio feren
dum eſſet, ſi ſibi tantum nati eſſent, id eſt ſuis tantum ſolatiis,
ſuæ uoluptati, ſuæ delectationi: ſed quoniam homo ortus eſt
ad hominis utilitatem, idcirco ad eam dirigere omnem ſuam
ſapientiam, prudentiam, intelligẽtiam debet. An uero putabis,
te etiam ſtellas dinumeraturũ, & mundi magnitudinem metitu
rum; tibiq; offeretur occaſio patriæ ſubueniendi, atque opitu
landi, uel parentes, & amicos ſeruandi, & non illa omnia relin
ques, atque abiicies? Neq; enim ſatis laudare poſſum Archi-
medem illum Syracuſanum, qui nimia ſtudii attentione ne ip
ſam quidem Syracuſarum direptionem ſentiebat; adeo, ut, cum
Mar-

Marcellus edixiſſet,ut capiti eius parceretur,intentus ſummus philoſophus circulis deſcribendis, ne militi quidem interroganti,quis nam eſset,indicare nomen ſuum potuerit, ac magis ſolicitus de circulis,quàm de capite miſere obtruncatus fuerit. Dictu quidem mirabile,quòd in opulentisſimæ urbis direptione,in cæde,& ſanguine ciuium,in gladiorum fulgore,in armorum ſonitu,in cadentium tectorum fragore, cum pueri eiulabant,milites clamabant,omnia euertebantur,defixus eſſet Archimedes in ſtudiis, & magis curaret ne circuli diſturbarentur,quàm, ut ſe ipſum ſeruaret. Similis dæmentia obſeruata eſt in Carneade,qui adeo à uoluptate,à re familiari,à negocio omni animum ſeuocauerat, adeo à corpore animum abduxerat,ut nihil ageret,ac uelut extra ſe poſitus,cibi,potionisq; obliuiſceretur:ita ut Meliſſæ,quæ uxoris loco ei erat, neceſſe eſſet,eum tamquàm infantem alere, in eius gulam recentium ouorum uitellos,ut inediæ ſuccurreret,infundere, eius labris, atque adeo dentibus oſtas inſerere, eius faucibus uinum inſtillare. Taceo Democritum,Diogenem,Anaxagoram, alios, qui ſua ſtultitia apud imperitum uulgus eruditorum nomen ſunt conſecuti. Ac maxima quidem eſt ea uoluptas, quæ contemplãdo ſentitur, ut ad eam ceteræ omnes uoluptates nullæ ſint, quam eloquentiæ parens Cicero ceteris præſtantiorem eſſe teſtatus eſt,quòd omnibus temporibus,locis, ætatibus conueniat,ceteræ non conueniant;quam tanti feciſſe Solon dicitur, ut uel in ipſa morte eam percipere conatus ſit. Asſidebant .n. ad eius lectum amici,& quadam de re ſummiſſe, ne ei moleſti eſſent, diſputabant. Tunc ſapientiæ amantiſſimus Solon ſemimortuum caput erexit,eoſque rogauit,ut elatiori voce loquerentur,quo aliquid diſcens iucundius moreretur. Eſt inquam hæc intelligendi voluptas alijs omnibus maior,& ſincerior: ſed cũm huius nulla, aliarum omnium aliqua ſatietas, ac tedium ſit; modus tamen eſt adhibendus, ut nec vitam noſtram, nec aliorum commoda deſeramus. Tametſi enim iucundiſſimum eſt philoſophari; atq; hæc eſt ambroſia, hoc nectar animorum uoſtrorum, nihilq; aliud eſt, niſi mortem commẽtari, id eſt animum, qui ab uno rerum omnium principio per mentem, rationem, opinionem, naturam in corpus lapſus eſt, rurſus à corpore per furorem Muſarum, Dionyſij, Apollinis,

Vene-

Veneris, ad vnum aduocare: tamen ea mors ita obeunda est, ut nec in Cleombroti errorem incidamus, nec patriæ, propinquis, amicis, atq; adeo hominum generi deesse uideamur. Neque uero nego, posse homines eruditos suis doctrinæ, & sapientiæ studiis hominibus prodesse, etiam si Resp. nō attingant; cum iam non solum principes erudiendo, ut Dionem erudiuit Plato, Alexandrum Aristoteles, alios alii; uerum etiam præclara animorum suorum sensa litterarum monumentis consignādo, & ueterum libros explicando utilissimi esse possint. Sed illud contendo, non ita studiorum ocium complectendum, ut omne prorsus negocium deseratur. Illud ergo conficitur, & actiones meditationibus conformandas, ut assiduis studiis docti, atque instituti omnia decore agamus; & contemplationes ad communem hominum utilitatem conferendas, ne homines ab hominibus alieni existimemur. Verū quæritur, an hæc contemplandi exercitatio habenda sit in solitudine, an cum paucis, an cum multis. Priorem quidem Africanum ferunt solitudinem adamasse, & in ore illud habuisse, Nunquam se minus solū esse, quàm cum solus esset: at hæc solitudo præterquàm quòd est præter naturam, quæ omne solitarium odio habet, ut præclare censuerit Cicero, si quis affluat omnibus commodis, & summam felicitatem collocet in cognitione, & scientia, eum naturaliter solitudinem spreturum, & socium studii quæsiturum, illud habet incommodi, quòd cum fieri possit, ut nonnulla peruerse percipiamus, non tam facile errores cognoscimus, quàm si cogitationes nostras cum aliis communicemus. Acuuntur enim ingenia, inuicem, quid sentiant, conferentia; & ex contrariorum contentione melius ueritatem perspiciunt. Itaque solitarios philosophos in bibliothecis suis, tamquàm in speluncis degentes, nunquam in lucem, nunquam in aspectum hominum prodeuntes imitari non debemus. An uero multorum consuetudine utendum est? Minime uero: quia sapientia paucis contēta multitudinem refugit, ex qua omnis perturbatio, omnis confusio manat. Pauci igitur studiorum socii eligendi sunt, quibuscum assidue colloqui, disputare, & quæ sentimus, communicare possimus: ita ut partim docendo, partim discendo, partim audiendo, partim dicēdo uberrimos doctrinæ fructus percipiamus. Sic varij Philosophi in suas sectas

con-

concesserunt. sic qui Anaximandrum, qui Pythagoram secuti sunt. sic Elienses, Megarenses, Eretrici, Cyrenaici, qui à ciuitatibus sunt appellati. sic Stoici, qui in celebri Athenarum porticu philosophiam professi sunt. sic Academici, qui in Academia, ab Academo heroe denominata, se exercuerunt. Sic Peripatetici, qui in Liceo deambulantes, philosophati sunt. Sic vos, V. C. cum propositam habeatis veram felicitatem, quæ tum contemplando, tum agendo percipitur, assiduis contemplationibus ad egregias omnes actiones animos vestros aptissimos redditis, ac tamquàm prudentes summi boni æstimatores nec solitudinem, nec multitudinem adamatis, sed paucorum, eorundemq; ad laudem præstantium societatem requiritis. Exercitationum autem vestrarum domicilium collocastis in ædibus ASCANII MARTINENGI, præclarissimi, ac religiosissimi Abbatis, qui suo splendore cœtum vestrum collustrabit, qui sua auctoritate studia vestra fouebit, cui ut plurimum debeatis, necesse est, quòd vos sibi complectendos putauerit, quòd vos sibi sua præsentia exornandos, sua humanitate reficiendos, sua amplitudine decorandos censuerit. Hoc igitur sit vestrum Liceum, hæc vestra Academia, hæc vestra porticus, hoc vestrum gymnasium, hic uester aditus ad eam, quam modo descripsimus, felicitatem. Tu vero, Abbas optime, ac præstantissime, qui tametsi intelligis, te non solum originem trahere ex nobilissima vrbe Brixia, quæ fuit Colonia Latina à Cn. Pompeio Strabone deducta, & postea cum reliquis colonijs Transpadanis à C. Cæsare dictatore ciuitate donata, sed etiam in honestissima Martinenga familia natum esse, in qua floruerunt quàmplurimi partim armis, partim litteris, & religione clarissimi viri; tamen nec patriæ, nec familiæ splendore, nec diuitiarum magnitudine elatus in desidia tibi marcescendum putas, sed præclaram consuetudinem retines in tua domo exercendarum artium optimarum, & illustri Comiti CAMILLO fratri tuo, adolescenti studiosissimo, & egregijs animi bonis ornatissimo, vt idem faciat, auctor es; tu inquam maximum exemplar modestiæ, & benignitatis, quo duce hæc Academia gloriatur, cuius grauitate nititur, à cuius mansuetudine pendet: cogitare debes, maximo tibi decori fore, præclara horum Academicorum instituta, admirabiles huius præstantissimi cœtus

ad omnium litterarum laudem progreſſus, excellentem in diſputandis,& tractandis rerum obſcurisſimarum quæſtionibus ordinem, incredibile ad omne doctrinæ genus ſtudium, atque ardorem. Quod non eò dico, ut tuum in Academiam beneficium aliqua ex parte minuam, ſed potius,ut tuum factum celebrem, cuius ſplendore Academici colluſtrati,quantum dicendo poterunt, tantum ad tuum amplisſimum nomen prædicandum videntur libentisſime collaturi. Ego autem, cui Academicarum exercitationum initium commiſiſtis, quem dignum iudicaſtis, qui ſolenne hoc munus obirem, quem honeſtisſimo veſtro iudicio, ac teſtimonio comprobaſtis, magis tuendi officij mei cauſſa, quàm quòd ita neceſſarium exiſtimem, vos hortor V. C. vt aggresſi læto, & forti animo ad hanc ſtudiorum rationem coniunctisſime, & concordiſſime pergatis, ac conſtantiam, perſeuerantiamq; retineatis. cũ enim homines,quod bonum eſt, non conſequantur, quattuor fere de cauſſis, uel quia bonum finem non habeant, vel quia errent in vijs ad finem, uel quia vrgere deſinant, quod ſibi propoſuerint, uel quia naturæ imbecillitate laborent: quando nec in primo, nec in altero, nec in quarto genere connumerandi eſtis (recte .n. ſtatuiſtis, quid ſequi debeatis,& ijs, quibus oportet, vijs inſiſtitis, ac maximis ingenijs præditi eſtis) cauendum eſt, ne tertio generi adſcribamini, ut parum conſtanter in eo, quod inſtituiſtis, pertendere uideamini. Ego fortaſſe in illis ero, qui virium imbecillitate,& inopia obtinere ea,quæ uolunt, non queunt.Non deſinam tamen, ſi minus ingenio,& doctrina potero, at ſaltem diligētia, & aſſiduitate uobis ſatisfacere.

Habita Patauij Anno MDLXXiij.

DE



DE INSIGNI ACADEMICORVM ANIMOSORVM.

✶ *Antonij Riccoboni Oratio.* ✶



IVINITVS, opinor, factum est, Viri conscripti, ut quæ uestra Academia Mēse Martio Marti dicato instituta est, quo primo anni mense aris Vestæ nouus accendebatur ignis, perinde ac flagrans studium, & incredibilis discendi ardor in uobis recens apparuit, ac in regia, curijsq;, atq; flaminū domibus laureæ veteres nouis laureis mutabātur, nō secus ac recēti facto vestro āplissima immortalitatis præmia uobis proposita sunt; & quidē instituta in ædib⁹ religiosissimi, ac præstantissimi Abbatis, ASCANII MARTINENGI, quem merito Martinengum, id est, à uiris fortissimis, & præstantissimis, ac Marti maxime deditis originem trahentem appellamus: eiusdem singulare esset insigne Aries uelleris aurei, qui in terris à Phryxo Marti est immolatus, qui in cœlo mensis Martii signum est, ac Martis domicilium, qui ad significanda huius clarissimi cœtus primordia est maxime accommodatus. Nam, cum Aries primum anni mensem, & principium conuersionis annuæ, quam conficit Sol in orbe signifero

denotat: tum uero etiam ortum huius uniuerſitatis, quem Mũ dum uocamus, ſignificat; quòd in Mundi creatione incipiente die illo pulcherrimo, ac iucundisſimo, qui primus omnium illuxit, quo cœlum, & elementa in hunc maximum ſunt fulgorem expurgata, Ariete medium tenẽte cœlum prima hora fuerit mundi naſcentis; & cum medium cœlum, quaſi mũdi quoddam principium ſit, Aries inter omnia Zodiaci ſigna primus habitus fuerit, qui exordio lucis ut mundi caput apparuit; ut quod ſignum aliorum ſignorum primum nouum menſem, & nouum annum, atq; adeo nouam mundi fabricam indicat, idẽ exortum huius Academiæ, quæ primo menſe, principio anni tamquàm nouus quidam mundus, luculentisſimis ueſtris contemplationibus, meditationibus, diſputationibus ſplendeſcens, tot illuſtribus, ac præclaris uiris refulgens, exorta eſt, patefacere uideatur. De quo inſigni cum oratio ex dignitate haberi nõ poſſit, niſi commemorentur non ſolum poetarum figmenta, quæ pertinent ad profesſionem meam, uerum etiam philoſophorum dogmata, quæ ſub illorum inuolucris, atque integumentis comprehenſa obſcuriora uidentur eſſe, quàm ut orationis luminibus illuſtrentur; non auſus fuiſſem, Aud. in tanta philoſophorum copia me huic oneri ſubiicere, niſi princeps Academiæ præclarisſimus id mihi impoſuiſſet; quod minore moleſtia ſubiui, fretus incredibili ueſtra humanitate, atque benignitate, quæ non ſublimiora à me poſtulabit, quàm attingere meæ profesſionis mediocritas queat. Iam uero, quid poetæ de Phryxo, Helle, Ariete aurato fictis prodiderint fabulis, breuiter narrabo; & quæ philoſophorum præcepta ad has fabulas posſint accommodari, ſtrictim explicabo; atque aliqua uos breui, quamquam non neceſſaria cohortatione de retinendis Academicis exercitationibus admonebo. Quod munus cum ſim non minus breuiter, quàm iucunde in frequentisſimo, atq; honeſtisſimo conſeſſu ueſtro obiturus, magis conſuetudine, quàm quòd ita neceſſarium exiſtimem, peto à uobis, ut me attente audiatis. Neque uero mihi conſilium accidit diuerſas de his rebus ueterum poetarum, atque aliorum ſcriptorum opiniones recenſere (id enim nimis longum, & parum fructuoſum meo quidem iudicio eſſet) ſed tantum, quod ad propoſitum noſtrum attinet, dicere. Nec diutius commorabor in re-

bus

bus illis, quæ in ore omnium uerſantur, pertractandis. Quis enim fando non audiuit Athamantem Aeoli filium, Thebanorum regem, Nephelen uxorem duxiſſe,& ex ea Phryxum, ac Hellen genuiſſe? poſt Nephelen autem dimiſſam Inonem Cadmi filiam nouercam filijs ſuperinduxiſſe, quæ illis inſidias tendens eò compulerit, ut Arietem uelleris aurei conſcenderint,& pontum ea parte, qua anguſtior eſt,traijcere cœperint, Helle autem puellari timore exterrita deciderit in pontum, qui ab ea Helleſpontus eſt appellatus,Phryxus uero incolumis in Colchidem peruenerit,& Arietem Marti immolauerit,qui inter ſydera locatus priſtinam effigiem tenuit,ac eius uellus aureum in templo ſuſpenderit, pro quo Iaſon, ceteriq; argonautæ permagna pericula adiuerunt?Hæc uobis in promptu ſunt, Aud. de quibus qui rem fictam ad hiſtoriæ ueritatem conuertere ſunt conati, partim ſcripſerunt fuiſſe paratam fugientibus Athamantis filijs nauem quandam, cuius inſigne Aries eſſet: partim Arietem fuiſſe nominatum illorum educatorem, cuius conſilio,& opera aufugerint: partim arietinis chartis fuiſſe librum conſcriptum, qui conficiendi auri, & argenti rationem contineret, quo Phryxus, & Helle, ut commodius ſe ſeruarēt, uſi ſint. Quæ omnia, & alia eiuſmodi hominibus in litterarum ſtudio curioſis relinquentes uenimus ad explicanda ea, quæ grauiora ſunt. Animus, cum creatur à Deo, duplici eſt facultate inſtructus, appetitu,& ratione.Appetitus autem duas habet alas, id eſt, duos inſtinctus,alterum ad diuinum uerum, alterum ad diuinum bonum: ratio autem duobus eſt exornata luminibus,altero infuſo,quo ſuperiora conſpicit; altero innato, quo æqualia,& inferiora cognoſcit. Tunc animus ex ea parte, quæ in appetitu poſita eſt, omnino rationem ſequitur. Et hic eſt Athamas, qui coniungitur cum ipſa Nephele.Atq; hinc oriuntur duæ uirtutes; Fortitudo, quæ apud Platonicos uirilis eſt, ac magis pendet ab infuſo,quàm ab innato lumine, & idcirco magis diuina, quàm humana appellari poteſt: ac Temperantia, quæ fœmina eſt,atque illuſtratur magis fulgore innato, quàm infuſo,& ideo magis humanam, quàm diuinam naturam ſapit. Illa eſt Phryxus: hæc Helle. Quid conſequitur? Idem animus ſpreta ratione, obſeruato magis ſplendore ingenito, quàm immiſſo, immo uero infuſum aſpernatus,

ad

ad unum innatum conuerſus, fractis duabus appetitus alis, relictis ſuperioribus ad inferiora delabitur, & cum corporea natura commiſcetur. Hoc eſt ſecundum Athamantis matrimonium cum Inone contractum. Neque uero uobis mirandum eſt, Aud. quomodo cœleſtis animus factus terreſtris aliquid adhuc diuinitatis retineat; ſi quidem à ſplendidiſſimo candore Circi elucentis, quem orbem Lacteum nuncupant, per Cancrum deſcendens retulit à Saturno ratiocinationem, & intelligentiam, à Ioue uim agendi, à Marte facultatem magnifice, grauiter, animoſeque uiuendi, à Sole naturam ſentiendi, & opinandi, à Venere propenſionem deſiderandi, à Mercurio poteſtatem, quæ ſentiat, pronunciandi, & interpretandi, à Luna motum corpus augendi; ut ſit & luminoſis corporibus collustratus, & nonnullam illorum uirtutem conſecutus. Multum tamen defecit à priore conſtitutione, immo uero quàmplurimum; cum antea liber, poſtea ſeruus: antea cum alis in cœlo, poſt ſine alis in terrenis membrorum uinculis: antea omnia ſciens, poſt omnium oblitus: antea facillime intelligens, poſt paullatim reminiſcens: denique antea deus, poſt homo in hac rerum uniuerſitate apparuiſſe exiſtimetur. Quàm pernicioſa autem ſit, & moleſta nouerca hæc ipſa natura corruptioni ſubiecta, cum alia plurima, & firmiſſima argumenta declarant, tum illud in primis, quòd nos, id eſt, animos noſtros à ſummi boni contemplatione abducat, in abiectiſſimarum rerum tractatione detineat, ambitione, auaritia, libidine, impediat, uariis perturbationibus afficiat, uariis morbis opprimat, Fortunæ telis ſubiiciat, & deteriori conditione reddat, quàm belluas ipſas, quæ tametſi miſerrimæ ſunt, miſerias tamen ſuas non cognoſcunt, cum data ſit nobis cognitio ad noſtras ipſorum calamitates, noſtras ærumnas cognoſcendas, ut illorum ſententia omnino uera ſit, qui nullam obtineri felicitatem poſſe cenſuerunt, niſi à corpore animus aliquo modo abducatur, atque abſtrahatur. Propter hanc nouercam cum in maximis periculis uerſati eſſent diuinus Phryxus, & humana Helle, quorum alterum diuinam in homine fortitudinem, alteram humanam repræſentare temperantiam ſuperius diximus; Arietem conſcenderunt, id eſt ſua potiſſimum ui nixi ſunt. Neque enim per Arietem tam præclarum, ac precioſum intelligimus aliud, niſi

admi-

admirabilem uirtutis uim cum gloriæ immortalitate coniunctam. Hac ui qui nituntur, Aud. non timent fortunæ potestatem, sed suam sibi fortunam architectantur; non uoluptatum blanditiis deliniuntur, sed proprijs, ac perpetuis, ijsdemq. sincerissimis, nullaq; ne minima quidem permistione molestiæ contaminatis uoluptatibus se oblectant; non diuitiarum splendore commouentur, sed, si eas habent, ijs ut uirtutis, non ut luxuriæ administris utuntur, si non habent, non admodum requirunt, quippe quæ æque haberi ab optimis, ac pessimis possint; non ambitionis facibus accenduntur, sed uerum decus, ueramq; gloriam in una uirtute ponunt; non huius uitæ procellis, turbinibus, tempestatibus superantur, sed ad eas ita se habent, ut Olympi cacumen, quò uis uentorum non peruenit, ut rupes edita, cuius summa fluctibus non attinguntur, ima fluctus frangunt. Hac ui Phryxus se seruauit: Helle se seruare non potuit; quòd ille fortior, constantior, animosior esset, cœlesti potissimum lumine fretus: hæc timidiuscula, & minus animosa, humanarum uirium imbecillitate laborans. Itaque ille ex ponto euasit: hæc in pontum decidit. Diuina enim in homine fortitudo omnia uincit, omnia superat: at humana temperantia libidinibus, & uoluptatibus, solicitudinibus, & laboribus facile obruitur; unde illud, FACILIS IACTVRA. Ab animoso igitur Phryxo animosi appellamini: ab Helle parum animi habente discitis, quã sit fragilis humana natura, quæ ponto, id est humanarum rerũ, defatigatione (πόντος enim quasi πόνος dicitur) sæpenumero frãgitur. Quemadmodum autem Phryxus auratum Arietem Marti fingitur immolasse, & eius uellus aureum in Martis templo suspendisse: sic uos merito Martinengo, qui uestra studia in suis ædibus benignissime fouet, ex cuius humanitate, tamquàm ex fonte plurima in uos decora, atque ornamenta redundant, quo patrono, custode, defensore uestræ dignitatis, & gloriæ utimini, omnem industriam uestram, omne studium, omnem animorum, atque ingeniorum uestrorum fructum consecratis. Iam uero Aries, quem significare uirtutis uim modo diximus, cum inter sydera pro Martis domicilio esset collocatus, octodecim stellis refulsit; una in capite, tribus in cornibus, una in pede priore de primis, una in pede posteriore de postremis,

tribus

nelle spalle

tribus in ceruicē, unā in cauda, tribus in lumbis, unā sub uentre, quattuor in scapulis. Vererer, Aud. ne id, quod dicturus sum, parum uobis probaretur, nisi liquido constaret, tantum esse uirtutum splendorem, ut illæ cum cœlestibus luminibus comparari merito possint. Arietis igitur stellæ clarissimas quasdam indicant uirtutes ab animi nostri facultatibus originem trahentes. Etenim animi facultates aut sunt rationis expertes, aut rationis participes. Rursus rationis expertes aut uitam continent, ut uis nutriendi, augendi, procreandi; quæ cum sint non in animalibus solum, uerum etiam in stirpibus, nulli uirtuti originem tribuunt: aut animal constituunt, & sunt duorum generum; uel quæ cernuntur cognitione, & apprehensione, vt quinque sensus, qui singula apprehendunt, & phantasia, quæ continet formas rerum sensibus perceptarum, ac de illis iudicat: uel quæ cernuntur appetitione, & declinatione, ut uis irascendi, & uis concupiscendi; in quibus oriuntur affectus; & quas temperant uariæ uirtutes ad agendum pertinentes; ut illam quidem fortitudo, mansuetudo, patientia, perseuerantia: hanc uero in materia honoris uirtus illa, quæ ab una parte magnos honores spectat, & dicitur magnanimitas, ab altera paruos, & nomine caret: in materia iucunda, amicitia, festiuitas, ueritas, temperantia: in materia utili iustitia, magnificentia, liberalitas. Rationis autem participes partim sunt appetitionis, ut uoluntas, quæ semper appetit bonum, & prælectio, quæ modo bona malis, modo mala bonis anteponit; quarum utraq. adhibetur ad moralem uirtutem conformandam: partim cognitionis, ut mens, mentis agitatio, opinio; atq; ex hac quidem uel uirtus, uel certe uicina uirtuti sagacitas oritur: ex illis uero ars, scientia, intelligentia, sapientia proficiscitur. Quæ igitur Arietem illuminant, ac distinguunt stellæ, uidentur animi nostri uirtutes significare; quæ est in capite, illam omnium uirtutum supremam, magnificentissimo uocabulo appellatam sapientiam: quæ sunt in cornu dextero, tum eam, quæ est habitus principiorum, intelligentiam; tum per primam, propriam, & necessariam caussam rerum cognitionem, scientiam nuncupatam: quæ est in cornu sinistro, illam magistram uitæ, omnium bonorum consiliorum præceptricem, omnium honestarum actionum moderatricem,

omnium

omnium moralium uirtutum ducem, gubernatricemq; prudentiam: quæ in pede priore de primis, habitum artium ad uitam humanam necessariarum: quæ in posteriore, sagacitatē, & præparationem quandam ad scientiam, & prudentiam cōparandam: quæ sunt in ceruice, in dandis paruis liberalitatem, in dandis magnis magnificentiam, in reddendo suo unicuiq; iustitiam: quæ sunt in cauda & lumbis, tum temperantiam in libidinem, atq. in alios non rectos impetus animi dominantem, tum in communicatione ueri ueritatem, tum in communicatione iucundi pertinentis ad iocos festiuitatem, tum in cōmunicatione iucundi pertinentis ad seria uirtutem amandi, seu amicitiam: quæ est sub uentre illam, quam modo magnanimitatem, modo uirtutem innominatam esse aiunt: quæ sunt in scapulis, tum fortitudinem ad pericula considerate suscipienda, & labores perpetiendos paratam: tum mansuetudinem, quæ animos ad iram concitatos sedat, atq; tranquillat: tum rerum arduarum, & difficilium uoluntariam, ac perpetuam perpessionem, quæ patientia nominatur: tum firmiter, ac perpetuo in ratione bene considerata permanentem perseuerantiā. O præclarissimum, atque ornatissimum sydus, dignum prorsus, quod huius præstantissimi cœtus ad uirtutem, ad gloriam, ad splendorem nati esset insigne. Cum autem ad huius Arietis uellus aureum rapiendum argonautæ nauigarent, & prætereuntes sirenum insulam timerent, ne illarum cantu ad exitium perducerentur, unum in Orpheo perfugium habuerunt, cuius sonus, & cantus sirenum uoces adeo dicitur superasse, ut magis illo, quàm his argonautæ mouerentur. Idem faciendum est uobis, V.C. ut uellus aureum, quod uobis ante oculos in singulari uestro insigni proposuistis, id est, uirtutem, cum immortali coniunctam gloria consequamini. Cauendum est, ne sirenum, id est uoluptatum blanditiis decipiamini. Attendendus potissimum Orphei sonus, & cantus, id est, principis uestri optimi, ac prudentissimi consilium, prudentia, magnificentia, moderatio, unde optimus, & maximus actionum uestrarum concentus, atque consensus omnem simphoniā superans proficiscitur, & quotidie magis proficiscetur. Quod si feceritis, sine dubio digni existimabimini, qui tam præclarum insigne habeatis; digni, qui animosi appellemini, digni illis, quæ uos manāt,

præmijs immortalitatis. Agite igitur, V. C. omnem corporis uoluptatem negligite, omnem aliarum rerum curam animo eiicite, omnem diligentiam adhibete, omnem laborem ſuſcipite, ut tamquàm noui Phryxi tuti à maximis nouercæ, id eſt naturæ corruptæ iniuriis pontum, id eſt labores, & miſerias huius uitæ ſuperare, & tandem aliquando Arietem Marti immolare, & eius uellus aureum in Martis templo ſuſpendere, id eſt hominum uere animoſorum, & fortium, ac conſtantium ſpeciem præ uobis ferre uideamini. Conferte diuina ingenia ueſtra ad uirtutem contemplandam, atq; adeo exercendam. immo uero cum eam contemplari, atque exercere iam diu cœperitis, præclarum inſtitutum ueſtrum retinete. Nam ſi honeſtatem, ſi iucunditatem, ſi fructum requiritis; uirtutis ſtudio nihil honeſtius, nihil iucundius, nihil fructuoſius dici, aut excogitari poteſt. Si Rempublicam, ſi priuatam, ſi domeſticam, ſi forenſem, ſi urbanam, ſi ruſticam tractare cupitis; uirtutis ſtudium ad omnia pertractanda incredibile affert adiumentum. Si bellum, ſi pacem adamatis; uirtutis ſtudium bellum moderatur, pacem exornat. Si quietem, ſi laborem, ſi ocium, ſi negocium, ſi adoleſcentiam, ſi ſenectutem maxima laude cohoneſtare uultis; uirtutis ſtudium omnia cohoneſtat. Ergo uirtutis ſtudio omnes actiones ueſtras perficietis. Cum dico virtutem, primum intelligo bonorum morum conformationem: deinde ueritatis contemplationem. Potisſimum enim nobis curandum eſt, vt bonis moribus præditi ſimus, diſciplinam noſtram legem vitæ exiſtimemus, non ſolum dictis, ſed etiam factis philoſophemur, omnem modeſtiam, & moderationem in actionibus noſtris adhibeamus, nulliq; alij rei magis ſeruiamus, quàm vt probi uideamur, & ſimus. Neque enim illi ſapientiæ ſtudioſi imitandi ſunt, qui, ut ait elegantisſime Cicero, non ſunt ita morati, ita animo, ac uita conſtituti, ut ratio poſtulat: ſed diſciplinam ſuam oſtentationem ſcientiæ putant; nec obtemperant ipſi ſibi, nec decretis ſuis parent, tantaq; ducuntur leuitate, & iactatione, ijs vt fuerit non didiciſſe melius, partimq; ſunt pecuniæ cupidi, partim gloriæ, partim libidinum ſerui, ut cum eorum uita mirabiliter pugnet oratio. Verum ueſtigijs inſiſtendum eſt Socratis, Xenophontis, Platonis, Xenocratis, Calliſthenis, totius veteris Academiæ,

totius

totius Lycei, totius Stoicorum porticus, Epicteti, Plutarchi, Muſonij, ceterorumq;, qui fuerunt illi ætati ſuppares, non minori probitate, quàm ſapientia præditorum. Quod ſi fecerimus, melius inueſtigare rerum cauſſas, melius contemplari cauſſarum ueritatem poterimus. Triplex autem eſt contemplatio; una eorum, quæ ſub cœleſtibus ſunt: altera cœleſtium: tertia eorum, quæ ſupra cœleſtia. Ac in prima quidem contemplatione quieuit Democritus, is, qui ſe dicitur occæcaſſe, ut naturæ ſecreta melius rimaretur. Anaxagoras uero ea non contentus in altera uerſatus eſt, quòd cœleſtia præſtantiora exiſtere, & ad ea contemplanda ſe natum eſſe affirmaret; in qua quidem contemplatione ſic totus fuit occupatus, ut ea, quæ ſub cœleſtibus ſunt, parum cognoſcere uiſus ſit, cum inter cetera etiam niuem eſſe nigram affirmauerit. Ariſtoteles uero omnium ingenio, ac doctrina præſtantiſſimus, ea, quæ ſupra cœleſtia ſunt, & diuina, longe digniora eſſe exiſtimauit. In quibus omnibus contemplandis eiuſmodi ineunda ratio eſt, ut ex cognitione rerum, quæ creatæ ſunt, in notitiam creatoris perducamur; nec in rebus genitis ita conſiſtamus, ut, qui eas genuerit, ignoremus. Iamuero, cum in ijs, quæ diuina sũt, dæmones, ſeu, ut Theologi loquuntur, angeli, & ipſe Deus ponantur, Auicenna, & Algazel, magni nominis uiri, affirmare uiſi ſunt, in angelorum contemplatione animum humanum eſſe felicem. Quod tamen à Platonicis reprehenſum eſt, & recte noſtra quidem ſententia reprehenſum. Ecquis enim inuenitur, qui neſciat mentem noſtram ita rerum cauſſas exquirere, ut nunquam quieſcat, niſi eam inueniat, cuius nulla ſit cauſſa, ſolumq; Deum eſſe cauſſam cauſſarum, ut in ſolo Deo quieſcere animus noſter queat? Quis non uideat, nullum eſſe bonum, quod noſtram expleat appetitionem, dum aliud præterea bonum inuenitur, quod accedere ad illud poſſe uideatur: ſolum autem illud bonum ſaturare, ultra quod nullum aliud eſt bonum: atq; hoc Deum eſſe? Non igitur in angelorum, ſed in Dei contemplatione ſummum bonum conſiſtit; quod quidem uere poſt mortem animi huius uitæ maculis non contaminati percipiunt; in hac autem uita illi magis attingunt, qui mortem magis commentantur, qui à corporeis uoluptatibus, qui ab illecebris ſenſuum, qui ab inanibus cupiditatibus ma-

gis seuocantur, cum ipsi animi ad se ipsos aduocantur, secum esse coguntur, maximeq; à rebus corporeis abducuntur, ac quodammodo disiungere se à corporibus discunt, id est mori, ac uere philosophari consuescunt, dum usque in cœlum sua penetrant contemplatione, lumineq; fidei penetralia diuinitatis lustrant, ac Dei cognitione, quantum licet in hoc ergastulo corporis, perfruuntur. O finem præstantissimum, ac maxime omnium cultu dignissimum; in quo perfruendo duo agit animus; uidet Deum, quo nihil est dulcius, nihil suauius, nihil iucundius: ac Dei uisione gaudet, quod gaudium ita superat omnem iucunditatem, ut nullæ uoluptates, nulla solatia cum eo possint merito comparari. Ac Dei quidem uisionem diuinus Plato ambrosiam nominauit: gaudium uero, quod ex eiusmodi uisione concipitur, nectaris nomine denotauit. Ad quas diuinas epulas ut aduolaremus, datæ sunt animis nostris geminæ alæ, nempe intelligentia, & uoluntas, quæ assidua ueri inuestigatione, ac perpetua boni appetitione ad diuinum uerum, & diuinum bonum perducunt. Hæ sunt illæ alæ, quibus uti debet noster Phryxus una cum Ariete, & uirtutis exercitatione. Ad harum alarum vsum, & huius Arietis tractationem vos maxime hortor. Hæc habui, quæ de aurato ariete dicerem; quæ si intellexero uobis placuisse, id magis uestræ in me beneuolentiæ, quàm vlli meæ in dicendo præstantiæ tribuam: sin minus, sat habebo me fuisse laudem uoluntatis, atque obedientiæ consecutum.

Habita Patauij Anno MDLXXiij.



DE LEGVM LAVDIBVS.

Antonij Riccoboni Oratio.



REDO ego uos, Auditores, mirari quid ſit, quòd ego in admirabili ingenioſorum hominum præſtantia, ſumma iuris conſultorum copia, maxima eloquentium multitudine de legum laudibus orationem ſim habiturus, qui neque dicendi arte, cuius me ſtudioſiorem, quàm peritiorem profiteor, neq; iuris cognitione, cui me non inficior aliquam quidem operã, ſed mediocrem dediſſe, neq; uiribus ingenij, quibus perquàm exiguis me ſentio eſſe ornatum, cum tot ingeniorum fluminibus, tot luminibus iuris prudentiæ, tot eloquentiæ fulminibus ſim comparandus. Verum meo iudicio mirari deſinetis, meq; audaciæ nomine minime accuſandum cenſebitis, atque id, quod facio, probare incipietis, ſi mei conſilij cauſſam, rationemq; mente, ac cogitatione comprehenderitis. Tantam quidem eſſe ueſtrorum magnitudinem, multitudinemq; beneficiorum, quæ in me contuliſtis, intelligo, tantaq; ornamenta, & commoda ex huius delatione muneris, quod quinque ab hinc annos mihi obeundum curaſtis, profecta ueſtræ benignitati accepta refero, ut, etſi meæ, quàm tenues, quamq; infir-

mæ

mæ ſint ad hunc præſertim rem opes cognoſco, tamen, quemadmodum uos me unum iuniorem, multis poſthabitis ſenioribus eligendo quaſi terminos beneficentiæ uidemini exceſſiſſe, ita mihi non contento earum artium traditione, ad quas ſum electus, ad hæc etiam honeſtiſſima legum ſtudia cohortandi, & quantum in me eſt, inſtituendi hi nobiliſſimi iuuenes uideantur. Etenim qui mihi corporis labor, aut quæ animi contentio eſt unquam defugienda, ut beneficentiſſimis in me ciuibus aliqua ex parte ſatisfaciam, & perpetuam erga hunc ornatiſſimum iuuentutis conſeſſum animi mei propenſionem aliquo modo declarem, cum ex hoc ipſo fonte plurimum in me redundauerit utilitatis, & ipſe ad non nullam hominum famam iſtorum commendatione ſubſelliorum profluxerim? Fateor equidem, Auditores, me omnia ueſtra cauſſa debere; ſed triſti meo, ueſtroque fato ea non ſum ingenij, atque doctrinæ facultate inſtructus, ut litterarum omnium, quarum ſtudio hanc florentiſſimam iuuentutem flagrare perſpicio, patefacere ueritatem poſſim. Id quod, ſi quemadmodum uehementer cupio, mihi liceret, nihil profectò eſſet, cur proprijs relictis penatibus ad alios ſe magiſtros, quaſi ad locupletes quoſdam uirtutis, & bonarum artium mercatores, hi ſtudioſiſſimi iuuenes cōferrent. ipſe enim eorum commodis dies, noctesq; inſeruiendo ueſtra deſideria explerem, eosq; diſciplinarū oīum doctores, uel certè doctorū inſignibus quàm digniſſimos redderē. Quoniam autem hæc rerum uarietas, atque præſtantia longiſſime à me abeſt, angerer, excruciaremq. me, quòd propter ſummam mearum uirium imbecillitatem tot, tantisque ueſtris in me meritis reſpondere minime poſſem, ſi nihil à me amplius quidquam, quàm quod mei ſuſtinere humeri poſſint, uos expectare non animaduerterem. Mea igitur uobis uoluntate, ac beneficijs obſtrictus ueſtris, nō quia ex omnibus ſim audaciſſimus, ſed ut, quibus præter artes, quas ut publice doceam, mihi publico eſt decreto permiſſum, Iuſtiniani Inſtitutiones, ac Inſtitutionum gloſſemata priuatim declarauerim, ijſdem ne cohortatione quidem publica deſim, de legum laudibus hodierno die ſtatui orationem habere. Qua quidem in re, pernicioſa imperitorum quorundam hominum opinio me ualde perturbat, qui hoc legum ſtudium leuiſſimum, atque humillimum

eſſe

esse contendunt, neque omnino dignum, in quo elaborare debere iuuenes uideantur. Quid enim, aiunt, in tam immensis ueteris prudentiæ uoluminibus, in tam ponderosis Digestorum, seu Pandectarum libris, in tam longis Imperatorum constitutionibus agitur aliud, nisi quæ tutelarum, agnationum, usucapionum, alluuionum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aut ratorum iura, quæq. stipulationum, & iudiciorum formulæ, & quæ huiusmodi alia innumerabilia sint, leuiora certè, atque humiliora, quàm illius antiquissimæ, & nobilissimæ philosophiæ præcepta, cui qui se dediderunt, cum cœlestibus comparantur? Equidem philosophiæ laudandarum artium omnium procreatrici, & quasi parẽti, benefactorum, beneque dictorum matri, dono, & inuento deorum, nihil detrahere ausim; tantumque abest, ut aliquid ei derogando, iuris disciplinæ arrogem, ut hanc etiam ex intimis philosophorum libris penitus exhauriendam putem: uerum hoc ipsum studium affirmo tanta grauitate, ac magnificentia præditum esse, tanta rerum, & quæstionum pulcherrimarum tractatione instructum, ut qui hoc negligat, is non modo impurus, consceleratus, & nefarius esse, uerum etiam ex finibus humanæ naturæ eiiciendus, expellendus, exterminandus uideatur. Id quod etsi huic ciuitati tam exploratum est, quàm quod exploratissimum, quæ tanta diligentia, atque animorum contentione ad hanc præcipue doctrinam complectendam exarsit, ut, cum alias artes hic profiteantur admodum pauci, eam quàmplurimi exornent iurisconsulti: tamen pro mea suscepti muneris ratione, & maxima erga hos iuuenes beneuolentia, ut, si qua ijs esse potest, dubitatio eximatur, & ab omnibus iura colantur alacrius, primum legis naturam, atque antiquitatem, deinde necessitatem, et fructum, si mihi exigui temporis attentionem concesseritis, demonstrare conabor. Atque ut facilius rem omnem intelligamus, eamque uiam, & rationem retineamus, quam in in omni disputatione retineri oportere doctissimi homines censuerunt, placet, quid sit lex, ante definire. Quomodo autem eius uim exprimere melius potero; quàm si ex ueterũ scriptorum auctoritate dixero, legem esse, omnium diuinarum & humanarum rerum reginam, quam oportet præsidere et bonis, & malis, & principem, & ducem esse, & regulam esse iusto-

rum

rum,& iniustorum,& eorum,quæ natura ciuilia sunt animan tium,commendatricem quidem uirtutum, emendatricem autem uitiorum? (Neque uerò inter ueteres defuerunt, qui legem dixerint illam esse, cui omnes homines decet obedire, cum propter multa, & uaria, tum maxime, quia sit inuentũ quoddam,& donum Dei. Id quod uel ab illis significatum est, qui ferentes populis leges non se illarum inuentores esse, sed aliquem Deum prædicarunt. Etenim Numa Pompilius, qui populum Rom. summa æquitate,& prudentia statim post Romulum rexit,dicebat sibi cum dea Aegeria congressus esse nocturnos,eiusque monitu se leges, quæ acceptæ dijs immortalibus forent,instituere. Draco autẽ, qui leges Atheniensibus primus omnium tulit,& Solo,qui ex septem illis inclytis sapientibus fuit, cuiusque etiam legibus usi sunt Athenienses, nonne in Mineruam earum inuentionem retulerunt? Quid porrò fecit Lycurgus, qui Lacedæmonijs, quid Charondas, qui Catanæis, quid Minos, qui Cretensibus iura constituit? nonne hi quoque, quidquid instituerunt, id se ab Apolline, à Saturno, ab Ioue accepisse dixerunt? Neque uero aliter à Platone factum esse, à quo Magnesij,& Siculi leges habuerunt, neque à Zoroastre, qui Bactrianis,& Persis iura tradidit, memoriæ proditum est, quorum alter omne inuentum Ioui,& Apollini, alter Horomasi tribuit. Quid Zamolsim, & Trismegistum commemorem? ille enim, Scythis quæ dedit iura,accepta Vestæ,hic uero Aegyptijs,retulisse Mercurio existimatur. Atque,ut Maumetum tacitus prætercam,quem tamen,quæ Arabibus seruanda tradiderat, se percepisse à Gabriele confessum esse ferunt, sapientius,quàm alij,fecisse Moses uidetur, qui nõ alicui ficto numini,quemadmodum ceteri,sed illi optimo,maximoque Deo,cuius nutu,& arbitrio cœlum,terra, mariaque reguntur,attribuisse legum inuentionem perhibetur. Merito igitur,legem Dei munus, atque inuentum esse, creditum est. Alij uero interius rem perscrutantes definiunt legem esse, Rectam rationem imperandi,atq; prohibendi, uel Rationẽ summam insitam in natura,quæ iubet ea,quæ facienda sunt,prohibetque contraria, uel Iustorum, iniustorumque distinctionem ad illam antiquissimam, & rerum omnium principem expressam naturam,ad quam leges hominum diriguntur, quæ suppli

cio

cio improbos afficiunt, defendunt, ac tuentur bonos: eandemque rationem aiunt in hominis mente confirmatam, & confectam legis nomine exornari: cumque eius uis ſit, ut recte facere iubeat, uetet delinquere, eam græce τὸν νομον ἀπὸ τοῦ νομίζειν, i. à ſuum cuique tribuendo appellari, latine autem legem à legẽdo exiſtimant, vt uis tum æquitatis, tum delectus in hac ipſa ratione poſita uideatur. Aliorum opinio eſt legem definientium, ut ſit uera gubernandi ratio, quæ ad finem optimum ea, quæ gubernantur, dirigit, uirtutibus præmia, uitijs ſupplicia ſtatuens, quadruplicem eſſe legem, unam diuinam, quam prouidentiam uocant (aiunt enim, ut res eſt, Deorum immortalium ui, natura, ratione, poteſtate, mente, numine mundum uniuerſum regi, idq; eſſe legem teſtantur) alteram cœleſtem, quod Fatum nominant, ideſt Fatalem, & immutabilem continuationem ordinis ſempiterni, tertiam mouentem, quam naturam appellant, quartam humanam, cui naturalis prudentiæ nomen impoſuerunt. Atque hinc intelligi facile poteſt, longe altiora iuris poſſe capi primordia, quàm à ueteribus iuriſconſultis ſint capta. Age enim, legis originem quærimus; quid aliud dicunt, niſi primum in Rep. Ro. Regias leges à Romulo, & reliquis deinceps regibus comitijs curiatis fuiſſe perlatas, quæ à Sex. Papirio, qui Superbo regnante uixit, collectæ Iuris Papiriani nomen adeptæ ſint? An. autem poſt Remp. recuperatam quinquageſimo octauo, poſt urbem uero conditam trecenteſimo ſecundo decemuiros legum tabulas conſcripſiſſe, earumque interpretationem proprium iuris ciuilis nomen habuiſſe? Inde uerò legis actiones à Pontificibus eſſe illatas, eaſq; à Cn. Flauio ſcriba Ap. Claudij in uulgus publicatas iuris ciuilis Flauiani nomen obtinuiſſe, atque alias actiones à Sex. Aelio fuiſſe compoſitas, quarum liber ius ciuile Aelianum fuerit appellatus? Actionibus porrò eſſe adiuncta ſenatuſconſulta, quæ ſenatus conſulibus maxime, aut magiſtratibus illis, per quos haberi ſenatus poterat referentibus decreuit; & cum ſenatuſconſultis connexas eſſe leges, quas populus uniuerſus, conſulibus, uel alio patritio rogante magiſtratu, ut dictatore, atque interrege centuriatis comitijs, unde etiam centuriatæ dictæ ſunt, iuſſit; & ſcripta fuiſſe plebiſcita, quæ plebs tributis comitijs ſine patribus plebeio magiſtratu, nimirum Trib. pl. rogante acce-

cepit; atque edicta fuisse addita, quæ cum magistratus ceteri, ut consules, Aediles, Tribuni, tum potissimùm prætores edixerunt, quæq; tantæ fuerunt auctoritatis, ut iuris Honorarij nomen inuenerint; postremo autem factas fuisse constitutiones, quas constituti principes, quibus datum est ius, ut quod constituissent, ratum esset, intulerunt? Sunt hæc quidem iuris ciuilis scripti primordia, ab institutis Græcorum profecta. Verum ego cum doctissimis sentio uiris, antequàm lex ulla scriberetur, & ciuitates constituerentur, legem fuisse, atque illius cœlum, ac terras tuentis, & regentis Dei æqualem esse. Nolite enim existimare, Auditores, tum denique incepisse legem, cum scripta est: non enim à scriptis originem duxit, sed una cum mente diuina, quæ sine ratione, ac lege esse non potest, semper fuit. Quid? quod non omnia, quæ pro legibus scripta sunt, leges haberi oportet? ecquis enim nominauerit leges Dionysij, Alexandri Pheræi, Phalaridis, aliorumq; immanium tyrannorum decreta? An ne latrocinari, adulterare, testamenta falsa supponere iura erunt, quia hæc uoluntate, ac iussu alicuius tyranni, uel suffragijs, & scitis multitudinis cõprobata proponi publice posiint? Nullo.n.modo separari lex à iustitia põt. Quare quod malũ, id iniustum, quod iniustum, id non legitimũ, quod non legitimum, id ex lege non esse censendum est. Quod autem ex lege est, id sine scriptis legibus obseruare nobis licet: præsertim uerò, si normam legis, id est naturam ipsam sequi uelimus. Etenim quis non intelligat natura nos esse propensos ad diligendos homines, quod aiunt fundamentum esse iuris, eadẽque natura ab iniuria nos arceri angore conscientiæ, fraudisque cruciatu? Id quod summi quondam poetæ fictis fabulis expresserunt, cum Eumenides, quarum & Athenis fanum erat, & apud Romanos lucus Furinæ, speculatrices esse, & uindices facinorum, & sceleris; eòsque, qui aliquid impiè, sceleratèque commiserint, tedis ardentibus agitare, & perterrere dixerunt. Non enim sola pœna à iure scripto proposita ad uexandos malos homines satis est, quæ sæpe amicitia, atque misericordia remouetur, sed sublatis etiam omnibus iudiciorum supplicijs furiarum tedæ ardentes, id est sua quenque fraus, & suus terror, suum quenque scelus, suæ malæ cogitationes, conscientiæque animi insectantur. Quamobrem tametsi nusquam esset

scri-

ſcriptum,perduelles grauisſime caſtigandos, nullaque inueniretur ſcripta pœna parricidarum,nihilque de peculatu, de ſtupris,alijsque criminibus ſancitum eſſet:tamen, ſi quis Iunios, Vitellios,& Aquillios,qui de prodenda regibus patria nefaria, & ſcelerata conſilia habuerunt,ſi quis M. Horatium, qui cum ſua manu ſororem interfectam eſſe confeſſus eſſet, profecto non abſolutus fuiſſet, niſi recens meritum obſtitiſſet facto,ſi quis Coriolanum,T.Romilium,&C. Veturium, qui de furto publico poſtulati fuerunt,ſi quis Sex.Tarquinium,qui uim Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit, aliòsque conſceleratos homines fuerit imitatus; non idcirco minus eum ſpreuiſſe legem,id eſt rationem profectam à rerum natura,& ad recte faciendum impellentem,& à delicto auocantem credendum eſt. Videte igitur,Auditores,quid inter decreta ſcripta,& leges interſit,illa etiam iniuſta eſſe poſsunt: hæ nunquam à iuſtitia recedere poſſe exiſtimantur.illa cum populis, & ciuitatibus orta ſunt: hæ ante populos,& ciuitates fuerunt.illa mutabilia sunt : hæ ſua natura immutabiles. illa ſexcentis è chartis,& commentarijs, & præceptionibus diſcuntur,accipiuntur,leguntur: hæ uero ex natura ipſa arripiuntur,hauriuntur, exprimuntur. ad illa docti,& inſtituti pauci quidam homines:ad has facti, & imbuti ſunt omnes; quæ profecto nulla ſcriptione indiguiſſent, ſi à corruptela malæ conſuetudinis igniculi à natura dati opprimi, & extingui,atque exoriri,& confirmari uitia contraria non cœpiſſent. Quod cum animaduerterent prudentisſimi illi uiri, qui diſperſos homines in agris, & in tectis ſylueſtribus abditos ratione quadam compulerunt in unum, & congregarunt, naturalem iuſtitiam exprimentes iura conſtituerunt.Nam primis temporibus uiuebant homines in ſyluis, ac in ſpeluncis, ſola lege naturæ,minores maioribus obedientes. Quam cum ſpernere cœpiſſent,& cæcam,ac temerariam dominatricem animi cupiditatem ſequentes uiribus corporis abuti uiderentur pernicioſisſimis ſatellitibus,prudentiores quidam plures familias mœnibus,ac uallo ſuo conſilio ſeptas ad uitam inter ſe certo iure,certisque legibus deuinciendam incitauerunt.Cūq; illæ familiæ propter opiniones, moresque diuerſos maximis inter ſe iniuriis afficerentur, communes quoſdam arbitros, & iudices, rectoresq; conſtituere ſunt coactæ, qui ciuitati leges

præſcripſerunt,& populum ad uirtutem,ad decus, & honeſta-tem amplectendam impulerunt. Atque ut plures familiæ in urbem unam ex locis ſylueſtribus ſe retuliſſe dicuntur, ita plures urbes in eandem uoluntatem , communemque legem ſic conuenerunt,ut conſtituta à natura inter homines ſocietas omnino ſit patefacta, & unius ciuitatis beneficentia , liberalitas , bonitas, iuſtitia ad alias etiam ciuitates cœperit pertinere. Ergo nihil aliud peractum eſt,niſi quòd naturæ uires corruptela malæ conſuetudinis obſcuratæ ſcriptis etiam legibus ſunt illuſtratæ. Sed quoniam ſatis de natura, atque origine legis dictũ eſt, nunc de eius neceſsitate, atque utilitate eſt dicendum. Eã enim ita neceſſariam,ita utilem eſſe iudico,ut nihil magis neceſſarium,nihil utilius in hac rerum uniuerſitate inueniri poſſe exiſtimem. Sublata enim lege,non modo urbes, & Reſp. & genus humanum , ſed mundum etiam uniuerſum tolli intelligo. Quod ſi cui dubium uideatur,is cogitet mecum, quidnam futurum ſit, ſi leges à natura ſibi impoſitas ſpernendo, neque cœleſtis ille globus extimus,qui reliquos omnes complectitur, in quo ſunt infixi illi ſempiterni ignes,quæ ſydera, ſtellæq; uocantur,ab ortu commeet ad occaſum uigintiquattuor horarũ ſpatio,neque ſubiecti ſeptem , quos poſsident errantes ſtellæ, quorum primus triginta fere annis curſum ſuum conficit , alter duodecim, tertius quattuor,&uiginti menſibus ſex diebus minus,quartus anno , quinctus tercentum quadraginta octo diebus,ſextus tercentum triginta nouem,ſeptimus uiginti ſeptem,& octo horis,retro contrario motu uerſentur,neque omnino cœlum naturali ſe conuerſione contorqueat, neque cœleſtia ſigna,id eſt, Aries, Taurus, Gemini, quæ tempus ueris conficiunt, Cancer, Leo, Virgo, quæ æſtatis, Libra, Scorpius, Sagittarius, quæ autumni, Capricornus, Aquarius, Piſces, quæ hyemis, aliàq; fulgentiſſima ſydera terras clarisſima luce colluſtrent .
Si enim his naturæ legibus non pareatur,ecquis non uideat,ut concidat omne cœlum,omnisque natura intereat,neceſſarium eſſe? Quid porrò euenturum eſt, ſi ijsdem naturæ legibus reſiſtentes aer,& ignis,mouendi uim,et efficiendi , reliquæ uero elementorum partes accipiendi,& quaſi patiendi,aqua ſcilicet, atque terra,dereliquerint? Si non,quemadmodum natura iuſſit,aer,et ignis ſurſum,terra,et aqua deorſum,ſed contrario mo

tu

tu ferantur? Si cum terra naturali lege infimum locum teneat, hanc inundet aqua, superior sit aer, ignibus altissima ora reddatur, hæc ipsa inter se uelint sedem suam commutare? Nonne sublata lege perturbatio naturæ, & magna confusio sequitur? Atque, ut omittam hæc paullo altiora, quàm quæ à me ipso expectari intelligo, nulla certe ciuitas, nulla Respub. consistere meo iudicio potest, nisi legibus obtemperetur. Quid. n. Athenas clarissimũ quodã Græciæ lumẽ, quid Carthaginẽ totifere Africæ, atq; Hispaniæ imperantem, quid denique Romã ipsam totius fere orbis terrarum dominam perculit aliud, nisi legum contemptus, atq; despicientia? Quid euertit Corinthum, quid Numantiã, quid Assyriorum imperium sustulit, quid Macedonum, nisi iuris ipsius neglectio? ut enim corpora nostra sine elementorum temperamento, & diligenti curatione uiuere diu non possunt: ita Resp. ipsæ sine recto gubernandi ordine, & legum obseruatione cito intereant, necesse est. &, quemadmodum illa maxime corrumpuntur pestilentia, qua nihil humano generi detestabilius est: sic hæ miserrimum exitium patiuntur, cum quibus in tota ciuitate plurimum potentiæ, atque audaciæ est, ij negligunt iura. Quid? quod illorum deterior, quàm harum conditio est? illa enim si non alijs morbis, at certe senectute tanquàm matura, & cocta decidunt poma, & eadem illa, quã conglutinata sunt, natura dissoluuntur: hæ uerò, quia semper obseruare leges possunt, ideo etiam consistere semper possunt. Id quod facillime perspicitur ex præstantissima Venetorum Rep. quæ nulla alia de caussa iustioris imperij infinita iam prope sæcula enumerat, atque æternum habitura esse imperium uidetur, nisi quòd in ea legum est obseruatio tanta, ut nulla certe maior nec in ueteribus Rebuspublicis fuisse, nec in recentioribus inueniri posse uideatur. Hæc illa est, quæ efficit, ut quemadmodum Romani magnitudine, sic Veneti diuturnitate imperij glorientur. Hæc illa est, per quã Veneti Romanis feliciores, qui perpetuo uel cum hostibus, uel cum ciuibus dimicarunt, optatissimæ pacis fructus domi, & foris quotidie percipiunt uberrimos. Hæc denique illa est, cuius uiribus cum paucis quibusdam lustris urbs Roma libera fuerit, Venetiæ quàm antiquissimæ, flos Italiæ, ornamentum Europæ, orbis terrarum theatrum amplissimum, eundem suæ origi-

nis

regione

abbattè Roma

Resp. miserrimũ exitiũ patiuntur cũ iura abijciũ. plurimũ possunt negligunt.

obseruatio le

spatio di anni

nis diem colunt, & libertatis. Quid de ipso genere dicam humano? an cum ei congregatio sit necessaria, & ut homines inter se congregentur, necessariam esse legem constet, in ipso hominum genere legis necessitatem negabimus? ecquis non intelligit, necessarium homini esse, ut legem, quam in se habet, id est, rationem, quæ docet, & explanat, quid faciendum, fugiendumq; sit, tueatur, partem autem, quæ huiusmodi legi resistit, & ipsum hominem huc, & illuc rapit, id est, appetitum frenet? quomodo homo sit appellandus, si illius legis fuerit oblitus, quæ partes ei constantiæ, moderationis, temperantiæ, uerecundiæ dedit, & ab eo negligi non uult, quemadmodum se aduersus hominem gerat? an uero Bargulo Illyrico, Viriato Lusitano, alijsque latronibus æquabiliter prædam dispertientibus necessarias fuisse aliquas leges ad opes firmandas, atque augendas fatebimur: uiris autem bonis uẽdentibus, ementibus, conducentibus, locantibus, aliaque negocia contrahentibus non necessario legibus parendum esse arbitrabimur? Quòd si quodammodo inter illos, multo etiam inter hos magis necessariam uim legum esse, censendum est. Quarum profecto fructum præcipuum esse intelligo, quòd nos Deo quàmsimillimos reddunt. Etenim cum alia omnia in Deo præstantissima, atque optima sunt, tum nihil præstantius, ac melius, quàm duplex ratio, altera, qua rerum omnium notitiam habet, & intelligit ueritatem, altera, qua mundanæ uniuersitatis saluti consulit, & eius quadam procuratione tenetur. Hac duplici ratione, quam legem esse apparet, si non re uera homines ad Dei conditionem accedunt, præsertim dum his infirmis corporum cõpagibus, & his terrenis mẽbrorum vinculis detinentur, at certe, quoad humana patitur natura, uidentur accedere, dum rerum caussas inuestigant, & omnibus rebus sequendam esse naturam contemplantur, atque actiones omnes intuentur, considerant, & perpendunt, vitæ autem degendæ, familiæ custodiendæ. Reip. gerendæ modum ostendunt, & mores informando, propinquum propinquo, ciuem ciui, hospitem hospiti, & omnino hominem homini conciliando, ac populis leges, & iudicia administrando, excellenti quadam voluntate, de ipso genere humano benemerentur: vt, quemadmodum Deus recte à nobis non sapientissimus solum, sed optimus etiam, ac maximus appella-

pella-

pellatur, ita qui leges cognoſcunt, & ſtatuūt, non modo pru dentiſſimi, verumetiam beneficentiſſimi, & doctores excellen tiſſimi merito nominentur. Quid? quod, cum ratio ipſa, qua nihil in omni cœlo, atq; terra diuinius eſt, & in homine ſit, & in Deo, cumque ijs, inter quos eſt rationis ſocietas, ſit etiam recta ratio communis, & cum recta ratio ſit lex, lege conſociatos homines cum Dijs eſſe dicunt? Adde vero, quòd cum inter homines & Deos ſit communio iuris, etiam eiuſdem ciuitatis habentur.i.huius communis ciuitatis, qui mundus uocatur: & cum homines, atq; Dij per communionem iuris ſint eiuſdem ciuitatis, etiam Deorum agnatione, & gente homines teneri exiſtimantur. Videte ergo quantam ex lege feramus vtilitatem, cum ex ea Deorum ſimilitudinem habeamus, & ſocietatem, atque cognationem. quid dicam de pace, quæ legibus comparatur? Sunt ea quidem magna, ac neſcio, an dicam maxima, quæ arma efficiunt: incommoda illa, quæ plurima inferre bellum ſolet, propulſare, imperij fines non ſolum tueri, verumetiam proferre, atque pacis commoda conſeruare: uerum hæc omnia referuntur ad leges, quæ pacis moderatrices ſunt: ut quidquid vtilitatis illinc ferimus, hinc ferre præcipue videamur. Neque uero tacendum eſt, legem vtiliſſimam eſſe, quòd caſtiget improbos, & tueatur bonos. Id quod etiam ſignificatum eſt a poetis illis, qui iuſtitiam, quam animam legis licet appellare, Deam eſſe finxerunt Ioui patri adſidentem, bene agentibus optima quæque pollicentem, vltionem autem malis imprecantem. Atq; eius imaginem antiquis temporibus ita fieri ſolitā eſſe, memoriæ proditum eſt, vt eſſet forma, atq; filo virginali, aſpectu vehementi, & formidoloſo, luminibus oculorum acribus, neq; humilis, neq; atrocis, ſed reuerendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitate: quæ ſcilicet nunquam ſe corrumpi ſineret, nunquā improbis ignoſceret, non blandos ſermones, nō precationem, non adulationē, neq; aliud quidquam huiuſmodi admitteret, iniuſtis terrorem incuteret, iuſtis uero fiduciam præberet, & uultum erga amicos gratum, erga inimicos modeſtum oſtenderet. O uirginem pulchram, & noſtrorum animorum oculis perpetuo intuendam. cuius effigiem præclare à natura expreſſam eſſe uideo in Iulio Cananio Religioſiſſimo Epiſcopo, parente, ac, ſi ita appellare licet, deo noſtræ uitæ, fortu

næ

parentado paterno

si provede si

lex utilis est

siede a

pieno di spavento

fidanza

næ,memoriæ,nominis,atque in Marino Piſaurio, Præſide clariſ ſimo,illo iuris Pontificij,hoc ciuilis optimo cuſtode. Quorum alter ex antiquisſima ortus Canania familia,quam id temporis ex Conſtantinopoli in Italiam ueniſſe conſtat,cum immaniſſi mus Turcarum tyrannus eam urbem cepit,Gulielmum Cana nium maximum iuriſconſultum,& Regienſem epiſcopum imi tatus eam Religionis , & iuris rationem tenuit, ut eum Iulius III. incredibili Pontifex non modo ſapientia , ſed bonitate e- tiam ornatus, ſuorum omnium conſiliorum,& participem, & adiutorem eſſe uoluerit,nos autem, poſteaquàm eſt epiſcopus nobis datus,cum Lutheranæ hæreſis immanitatem repreſſerit, &cerimonias publicas ſanctisſime cuſtodierit,ad uniuerſæ hu ius diœceſis commodum,dignitatemque tuendam,atque augen dam natum , ſemper confeſſi ſimus,& prædicauerimus. Alter ex nobilisſima Piſauriorum familia originem trahens , ex qua

ne uenne

prodijt Lucas Diui Marci procurator, uir nunquam ſatis lau- datus; prodijt Angelus, qui Adriaticæ claſſi præpoſitus apud Mitylenen ſtrenue pro patria pugnando occubuit; prodiit Ni colaus,qui ob ſingularem prudentiam , egregiamq; uirtutem ad Ferrarienſe bellum,quod cum tota Italia geſtum eſt, ſena- tus decreto miſſus pacem patriæ cum dignitate, & amplifica- tione imperij & noſtra omnium,qui tunc in perpetuum Ve- netorum fidei à Deo commiſsi ſumus, felicitate peperit;pro- dijt Benedictus , ciuis optimus, ſenator grauiſſimus, impera-

pieno di spauento

tor clarisſimus, & formidoloſis Turcis formidoloſus, de quo melius eſt tacere , quàm pauca dicere ; prodijt Hieronymus imperator fortisſimus,& prodierunt innumerabiles alij clariſ- ſimi uiri: inde igitur natus Marinus , maiorum ueſtigiis inſi- ſtens, admirabilem in Rep.adminiſtranda prudentiam, atq; iu ſtitiam ſemper oſtendit,nunc uero cum clarisſimo uiro,Paul- lo Baduario Quæſtore uigilantisſimo,& Ghelino Ghelinio,ui ro excellentiſſimo,& Vicario omnium, quos unquam uideri- mus, humaniſſimo,ſe integerrimum nobis , & clementiſſimũ præſidem præbet . Verum de his iuſtitiæ luminibus dabitur fortaſſe alius commodior dicendi locus: hic nobis , quemad- modum propoſitum eſt,attingendæ ſunt laudes legis,qua nihil utilius humano generi datum eſſe exiſtimo. Quæ enim res a- lia homines ad uirtutem inflammat,hortatur ad decus , reuo-

cat

cat à flagitio ? Quæ uis alia efficit,ut auguste, & sancte uene remur Deum,patriæ,quæ communis est omnium nostrum parens, seruiamus, parentes,à quibus uita,patrimonium , libertas,ciuitas nobis tradita est,charissimos habeamus,uxores amemus,ac liberos educemus? Quæ uirtus alia docet,clientelæ,cognationis,affinitatis,amicitiæ rationem habendam , promissa, pacta,conuenta esse seruanda,proditiones,insidias,seditiones, stupra,corruptelas,adulteria,incesta uindicanda? Quod bonũ aliud pupillos,&uiduas tuetur,pauperes seruat,innocentes,qui potentium opibus circumueniri,atque urgeri uidentur,consolatur? Quæ manus alia uoluptatibus bonorum imitatricibus, malorum autem matribus omnium,& doloribus , quibus humanæ sæpe mentes obcæcantur,quasi immanissimis belluis ad hibet frena? Deniq; , ne pluribus , quæ in promptu sunt,morer, cum in animis nostris insita sit , atque innata imperandi cupiditas, nihil profecto aliud ad ipsum imperium comparandum lege aptius inuenitur, cum per eam nobis parere duces , nobis reges obedire, nobis imperatores ipsi obtemperare uideantur: ut merito iurisconsulti duces ducum , reges regum , & imperatores imperatorum sint appellandi . Quamobrem cum manifestum sit, legem dei munus esse, & rectam rationem populorum ætate, ac ciuitatum seniorem, ac ita necessariam, vt sine ea nec hominum vniuersum genus, nec Resp. ulla stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus possit, tam uerò vtilem, ut sit vtilius nihil; reliquum est, ut,quamuis ea,quæ dicta sunt, inflammare satis hos nobilissimos iuuenes ad sequẽdum honestissimum legum studium potuerint , tamen tuendi officij mei caussa,familiarius agendo, eos breui cohortatione de huiusmodi retinendo studio admoneam . Vnde autem initium sumam? Vobis ne proponam priuati commodi rationem,& diuitias magnas,quas legum , ac iuris cognitio afferre iuris perito in ciuitate existimatur ? An dicam uobis nihil iurisprudentia ad gloriam consequendam , & ad honores adipiscendos opportunius esse? Fiunt enim iuris periti ditissimi,& maximi oratores , ac Rerump. gubernatores existunt . Nam falluntur mea quidem sententia illi, qui eloquentiam ciuili sciẽtia perfici non putant:& nemo est, qui ignoret, summas opes, & Rerump. administrationem legum studiosis propositam es-

ſe. At laborioſum eſt hoc ſtudium, fateor: ſed non idcirco de
ſerendum; niſi forte uirtutem, quia eam per labores iter face
re ſummi quōdam poetæ fictis prodiderint fabulis,& gloriam,
quòd ijdem laborem parentem eius appellarint, & bona om-
nia, quoniam alij quidam affirmarint ea hominibus à Dijs im
mortalibus nullo alio niſi laborum pretio uendi, ſpernenda
nobis eſſe cenſeamus. Sed profectò ita eſt,ingenioſiſſimi iuue
nes, quò quidq; præſtantius eſſe, eò laborioſius uidetur. An
vero eximia ingenia veſtra,& iuuentutis robur in umbra deli-
teſcere,& in ocio permittetis;& Demoſthenem uobis non pro
ponetis, quem tam ſtudioſum fuiſſe memoriæ proditum eſt,
ut opus immortale tractans, doleret, ſi quando opificum, qui
rei viliſſimæ ſtudeberent, antelucana forte uictus eſſet indu-
ſtria? An tot excellentiſſimos doctores,qui,tanquàm lucidiſſi-
ma ſydera, patriam colluſtrant noſtram, uobis non imitādos
cenſebitis? Etenim, ut aliarum artium doctores omittam, de
quibus tunc dicendi erit commodus locus, cum de Medicinæ,
ac Philoſophiæ laudibus orationem habebo, quemadmodum
illis,quibus ὄργανον Ariſtotelis indies explano, pollicitus ſum,
& iuris peritos tantum ex ordine temporum,cum inſignia re-
tulerunt, commemorem: habetis, quem imitemini, DOMI-
NICVM CAMPVM, virum ornatiſſimum, quem tan-
ta prudentia præſtare conſtat,ut etiam ſuo exemplo declaret,
quantum iuris cognitio ad rem familiarem tuendam, atq; am-
plificandam ualeat. Habetis IO. BAPTISTAM IAN-
CAROLVM, virum cum iuris doctiſſimum, tum in uer
bis grauiſſimum, in ſententijs acutiſſimum, & omnium artiū,
quæ ad humanitatem pertinent,cognitione ornatiſſimum,qui,
quanta prudentia, æquitate, clementia, integritate & Tauri-
ſi, & Brixiæ, & Veronæ, & Patauij maleficiorum Iudex, &
Feltri, & in ciuitate Foriiulij, & Tauriſi etiam, ac Patauij Vi-
carius in iudicando ſit vſus, cum nec obſcurus, nec varius ſer-
mo, ſed & clariſſima,& una omnium vox Rhodigium pertu-
lerit, ueſtrum ignorare arbitror neminem: ut gloriari merito
poſſit, ſe ſummos honores hominem per ſe cognitum, ſine
ulla commendatione maiorum uirtutibus ſuis clariſſimis eſſe
adeptum. Habetis ANTONIVM MARIAM FVL-
GINEVM, quem, niſi ordinem temporum ſecutus eſſem,
cum

cum propter ætatem, tum quòd huius ciuitatis gubernacula hoc anno sibi, quemadmodum sæpe antea, summa omnium ciuium uoluntate tradita, cum maxima sua laude tractat, ceteris antepo suisem, uirum, & iuris, & litterarum, & antiquitatis bene peritum, qui & adolescens dixit, & senex consulitur plurimum, in quo summa non uitæ solum, atque naturæ, sed orationis etiam comitas, & incorrupta quædam latini sermonis integritas laudatur, qui tanta memoria est, quantam in nullo coguouisse me arbitror, vt quæ etiam ab adolescentia uiderit, legerit, scripserit, ea nunc memoriter narret, qui denique tanta discendi cupiditate semper exarsit, ut in nullo unquam flagrantius studium animaduerterim, cum uel in ipsa ætate ingrauescente peruolutandis libris multas traducat noctes. Vobis quoque proponitur IO. FRANCISCVS DYRRACHIVS, uir præstantissimus, qui plurimis Fortunæ telis perculsus in maximis semper calamitatibus se doctrinæ subsidio est consolatus, eiusque ictus sic tulit, ut non ab ea uictus esse, uerum eam uicisse omnibus uideatur. His adijcitur BERNARDINVS FORNAGERIVS, eques magnificus, in quo tantus animi splendor, & tanta magnitudo semper fuit, ut sibi omnia, quæ clarorum virorum essent, non dubitarit asciscere, eaque omni dignitate obtinuerit, quique tantam magnificentiam, & tantam fortitudinem ostendit, cum in florentissimo gymnasio Patauino eius clarissimæ vniuersitatis, quæ iuri nauaret operam, Rector fuit, ut omnibus se præbuerit amabilem, atque admirabilem. Adduntur etiam duo religiosi viri, FRANCISCVS CARRARIA, & LAVRENTIVS ZERBINATVS, quorum alter ijs moribus, eoq; religionis cultu præditus est, ut nullus sit honor tantus, qui in eum collatus non uideatur ei, qui contulerit, magnam esse iudicij laudem allaturus: alter & comes, & eques propter singularem animi sui præstantiam factus est. Nec uobis paruum ad uerum decus incitamentum esse debet HERCVLES BELLONCIVS, quem etiam Cosmographiæ scientia mirabiliter delectari scio, quem cum prudentia, tum eloquentia præstare tanta manifestum est vt, si velit, (vult autem nunquam, propter summam integritatem, atque innocentiam suam) caussam inferiorem dicendo

facere ſuperiorem posſit, ea uero grauitate & iuris cognitione, eſſe ornatum, ut, cum primum ad munus iudicis obeundum animum appulit, ei deſiderium explere ſuum facillimum fuerit, atque Brixiæ iuris Iudex electus ſit, maioreſque indies honores maximis ſuis uirtutibus conſecuturus eſſe videatur. Neque hoc loco prætermittendus eſt IO. GASPAR FRACHETTA, uir cum prudentia, & diligentia: tum omni uirtute perquàm excellens. Ac ſimul commemorandus eſt ANDREAS NICOLIVS, ex quo manifeſto apparet hominis decus ingenium, & ingenij ipſius lumen eſſe eloquentiam, qui eſt diligentiſſimus inueſtigator antiquitatis, quem ego cum audio, uel de iure ciuili, & pontificio, vel de illis artibus, quæ ad humanitatem pertinent, diſputantem, ita contentus ſum, ut melius non quæram, qui vitium vocis, quæ ſubrauca natura eſt, in bonum conuertens, & geſtu emendãs, habet flebile quiddam in quæſtionibus, aptumque cum ad fidem faciendam, tum ad miſericordiam commouendam, qui denique pro ueritate, pro ciuium auctoritate, pro ſtatu ciuitatis nullum uitæ diſcrimen ſibi vnquam vitandum putauit. Neq; tacebo NICOLAVM CAMPAGNELLAM, qui paternam gloriam conſequitur, & naturalem quandam habet in dicendo auctoritatem, & rebus inueniendis omnino acutus eſt. Et dicam uobis, præſertim in uitæ ratione, IO. CASTELLIVM imitandum, cum quo, nec continentia, nec pietate, nec vllo genere virtutis multos exiſtimo conferendos, quique cum fratres illos religioſos, & ſanctos, non vmbratilis, & delicatæ, ſed horridæ, atque acerbæ vitæ, & antiquæ Religionis maximũ exemplar, quos Capucinos appellant, ad hanc vrbem recipiendos curauerit, diuini ſe cultus omnino ſtudioſum, & amantẽ oſtendit. Neque præteribo HIERONYMVM DELAITVM, qui ad iuris ciuilis cognitionem etiam illius quaſi contractæ, & aſtrictæ eloquentiæ. i. dialecticæ ſcientiam adiunxit, vt illa dialectica dilatata, ideſt eloquentia commodius uteretur. Nec ſilebo IO. BAPTISTAM DEDVM, qui cum iunior orſus ſit in foro dicere, celeriter ad maiores cauſſas propter lumen ingenij ſui adhiberi cœptus eſt. Atque addam SYLVESTRVM SYLVESTRIVM, qui admodum adoleſcens, quattuor annorum ſpatio doctoris in-

ſignia

ſignia conſequutus, illud præſtantiæ ſuæ ſpecimen dedit, ut ad maximam iuris prudentiæ gloriam peruenturus eſſe uideatur. Addam GASPAREM TISVM, acutum rebus inueniendis, nec minus verbis expeditum, fortem uero actorem, & vehementem. Addam LVDOVICVM NASELLVM, cuius laudes tot, tantæq; ſunt, ut neq; unde incipiam, neque, ſi inceperim, vbi finem inueniam, prorſus ignorem. Addam denique IO. ANTONIVM MASPORIVM, doctum iuuenem, non ſine facetijs, uerbis nec inopem, nec abiectum. Quamobrem, cum, & amplisſima uobis ſint propoſita præmia, neque uobis deſit ingenium aptisſimum, atque ætas opportuniſſima ad diſcendum, & habeatis doctores plurimos, atque ornatiſſimos ad imitandum; cauete, ne uobis ipſi deeſſe uideamini: vos enim in tanta doctorum multitudine, & ætatis opportunitate, atque ingenij habilitate, tantis commodis, & honoribus per ciuilis ſcientiæ ſtudium comparandis indormire non decet.

Habita Rhodigij, cum ibi publice doceret, Anno M.D.LXVII.



ANTONII RICCOBONI, DE CONSOLATIONE EDITA SVB NOMINE CICERONIS,

Prima Disceptatio.



Extus iam agitur mensis, cum ego ad Hieronymum Mercurialem, Medicum clarissimum, & Comitem perillustrem, de consolatione edita sub nomine Ciceronis, in multis, & magnis, quæ me tum publice, tum priuatim occupatum, atque impeditum tenere solent, negocijs raptim, ut potui, scripsi ea, quæ satis patrono meo posse facere arbitrabar, quæque auditoribus meis non nihil utilitatis allatura esse uidebantur. Qua de re cum audiuissem magnos per totum terrarum orbem clamores editos esse, & contra multos in hac clarissima urbe disputassem, qui magis auctoritate non nullorum grauissimorum hominum librum esse Ciceronis, partim refellendi, partim gratificandi studio, partim aliis de caussis affirmantium, quàm argumentorum niti firmitate mihi uisi sunt: tamen, ut uerum fatear, nihil me magis in huiusmodi caussa perturbauit, & torsit, quàm quòd ornatissimum uirum, à secretis Illustrissimi Veneti Senatus, fa-

ćto

cto meo non parum offenſum eſſe, non nulli dictitarunt, & in
uulgus iactarunt. Cum enim ſcirent, quod ego ſine dubio i-
gnorauerám, eum eiuſmodi conſolationem edendam tradidiſ-
ſe, ipſum à me, quod apertiſſime negaui, & nego, minus hono
rate ſignificatum eſſe diuulgarunt; quem ut primum uiri qui-
dam clarisſimi mihi nominarunt, næ magnum dolorem con-
cepi, ſtatimque reſpondi, ſi eam rem nouiſſem eius ipſius inte-
reſſe, hominis mecum ab ineunte ætate eorundem ſtudiorum,
eiuſdemq. præceptoris, quem publice ſimul audiuimus, conſue
tudine, quamuis poſtea locorum interuallo, & occupationum
uarietate intermiſſa coniuncti, ac propter dignitatem, & aucto
ritatem ſuam magis mihi honorandi, quàm ullo modo à me ab
alienandi; me mihi ab hoc facto fuiſſe temperaturum. Verum,
cum alia omnia cogitaſſem præter quàm eius offenſionem; in
maxima maleuolorum hominum admurmuratione eam cepi
conſolationem, quòd cum fama ſit, haberi Venetiis manuſcri
ptum conſolationis librum, trecentorum prope annorum anti
quitatem præ ſe ferẽtem, potuerit uir prudẽtisſimus exiſtimare
locutum eſſe me non de eo, qui librum edendum tradiderit,
ſed de eo, qui abhinc trecentos annos fortaſſe confinxerit; ut
nemo profiteri debeat ſe hac de re ſuccenſere, niſi qui ſe ip-
ſum ſimulaſſe iſtam conſolationem confiteatur, & ſimul mihi
cauſſæ uictoriam concedat. Acceſsit ad moleſtiam meam, quòd
dum putarem mihi inter ceteros in hac cauſſa fauturum Caro
lum Sigonium Mutinenſem, uirum doctisſimum, ac doctrina,
& eloquentia ſua clarisſimum, quem ſemper habui ſummum
rerum mearum patronum, ecce mihi litteræ allatæ ſunt, quibus
ſignificabatur, dixiſſe eum, & ſcripſiſſe multis, aut Ciceronis,
aut alicuius Cicerone maioris iſtam eſſe conſolationem. Quod
ita miratus ſum, ut qui maximè; diuque ac multum dubitaui,
an ea uox de uiro ſapientisſimo credenda eſſet; quoniamque
litteras eius hac de re non uidebam, clara uoce negabam id di
cere talem uirum potuiſſe. Poſtea uero quàm clarior, & notior
eius opinio facta eſt, uim ſæpe mihi attuli, an poſſem animo
meo perſuadere, quod ipſe putaret; cumque, quò magis cogi-
tabam, eò magis mihi in priſtina mea ſententia permanendum
eſse intelligerem: tamen uide, quid hominis auctoritati tri-
buam, maluiſſem profecto, ut Cicero cum Platone, ſic ipſe cũ
co

eo errare, quàm cum tam multis uera ſentire, meque eius par tibus aggregaſſem (honeſtus enim eſt error magnos duces ſe quentibus, ut ait Quinctilianus) ſi mihi licuiſset à meo ipſius iudicio iam edito recedere. Cui quando ipſe multas erroris te nebras duabus luculentiſſimis orationibus obiicere conatus eſt, quorum altera conſolationem, de qua controuerſamur, plus nimio laudat, atque in cœlum effert: altera in meis præci pue coniecturis refellendis uerſatur, quoniam relinquere au-ctoritatem, ſequi rationem, neceſse habeo, non ut cum homi-ne amiciſsimo, & quidem præſtantisſimo, contendam, ſed ut ueritatem defendam, quæ omni eſt hominum dignitati præfe-renda, cuiuſque tanta eſt uis, ut ab iis interdum, quos chariſſi-mos habemus, quibuſque omnia ſumma tribuimus, diſſentire nos cogat, dum uehementi, honeſtoque, & admirabili eius inda gandæ ſtudio ferimur: cauſsam meam agam, atque ita agam, ut à quorundam aliorum mordacibus conuiciis, quibus me lancinare conantur, me protegam. Ac primum ad reprehen-ſiones aduerſariorum in uniuerſum reſpondebo. Deinde eas ſingulas, quæ de rebus allatæ ſunt, refellam. Tertio agam de uer bis. Poſtremo ad ea, quæ in priore meo iudicio properans ſcri pſi, alia quædam adiungam; quæ omnia ſi mihi ſoluta fuerint, non uerebor, me in eorum caſtra uictum conferre, qui contra me pugnant: ſin contra aduerſarios aliquid habuerint robo-ris, dabitur mihi iuſta excuſatio, ut in prima ſententia perma-neam, donec ueriora, uel probabiliora afferantur. Neque uero clam me eſt, quantum ſudoris, uel potius ſanguinis mihi fun-dendum ſit, in tractanda re maxime controuerſa, ac pleniſſima diſſenſionis: tamen Deo bene fauente, quid meæ ualeant uires, non inuitus experiar. Iam cum de eo, in quo generatim repre hendor, hæc prima futura ſit Diſceptatio, ad id accedo. Repre-hendit enim me Sigonius in uniuerſum, quòd Ciceronis no-mine eum librum priuare conatus ſim, quem propter præſtan tiam ſuam ab ullo recentiorum factum eſse, uerisimile non eſt; ac quærit, quod tantum noſtris, proximiſuè temporibus hominis ingenium, quæ tã ſingularis induſtria, quod tam acre ſtudium, quæ tam accurata eſſe diligentia potuerit, quæ Cicero nem tam perite, tamque artificioſe ſimularit. Fuit, fuit Sigoni, de nomine auctoris Pataui ad aures meas non ſemel inſuſur

ratum:

ratum: ſed huiuſmodi ſuſurro ſemper obſtiti, quòd hominem pluris facerem, quàm vt tam ſæpe laberetur, ac de multis eius orationibus vnam quamlibet dicendi grauitate, & elegantia iſti conſolationi anteferrem. Nunc, vt verum fatear, ſi veras eſſe tuas defenſiones exiſtimarem, vt nulli in ea nec ſententiarum, nec verborum errores, quod probandum ſuſcepiſti, inuenirentur, coniectura ducerer ad ſuſpicandum, fieri poſſe, vt vox illa de auctore vera eſſet. Quis igitur potuit eſſe tantus, & tam præſtans auctor? quis? profecto ſi non tantus, & tam præſtans, ſed longe maior, & præſtantior requiratur, facile poſſe etiam digito monſtrari videtur. Sed nunquam ero tam imprudens, vt quos errores in iſto imitatore notaui, eos tanto viro tribuẽdos cenſeam. Tametſi enim nemo eſt tam lynceus, quin quandoque offendat, & naturæ noſtræ imbecillitas non patitur, homines vbiq; lynceos eſſe, ſomnuſque non nunquam viris alioquin vigilantiſſimis obrepit, ac nonnulli maximè litterati aſſiduitate laboris defatigati diligentiam, qua vna litterarum ſtudia conſtant, non ſatis ad extremum ſeruant: non faciam tamen, vt tantum reprehendere uirum audeam. Sed ſolum, quo modo de eo ſuſpicari poſſem, niſi hanc ipſam conſolationem negligentius fuiſſe ſcriptam exiſtimarem, breuiter aperiam. Videretur enim ipſa ei iure attribui poſſe, è cuius domo prodijſſe, quique illuſtria dediſſe documenta exiſtimatur, quàm excellat in Cicerone imitando, ſeque ad eius imitationem ita effingendo, ut contendere quandoque cum eius laude ſane pulcherrima poſſe videatur. Cuius nam è domo rogas? dicam aperte, CAROLI SIGONII MVTINENSIS, cuius familiares eam diuulgarunt. Satis enim conſtat, Franciſcum Vianellum cum Sigonio ſumma eſſe familiaritate coniunctum, qui ipſum olim in Xenodochio, quod ad Di. Marci erat, & in quo tunc optimarum artium explicatores ex publico decreto profitebantur, multos annos vna mecum, & cum multis alijs litterarum ſtudioſis publice cum maxima ſua laude, ac prope incredibili omnium cum admiratione, vt ſolet, docentem audiuit. At ex Vianelli, & Sigonij litteris apparet, editam eſſe conſolationem, priuſquàm viderit Sigonius. Id non ego, ſed alij parum credunt, illaſq; litteras fingi potuiſſe argumentantur. At habet Vianellus eius antiquiſſimum contextũ ab hinc

trecentos,& plures annos factum. Ne id quidem credunt, nisi uideant,& putant ita esse uerum de hoc contextu, ut de alijs multis Ciceronis libris, quos Typographus, vel Librarius is, qui consolationis librum edidit, se editurum fuisse professus est, nisi ea fuisset interturbata. Eant, inquit, Patauini Doctores, & suis se iudicijs consolentur. Dum enim increduli mihi opus venditanti,& ad annos triginta priuilegium Illustrissimi Veneti Senatus habenti,negocium facessunt, eam laudem egregiam, & ampla referunt spolia, ut eloquentiæ studiosos alijs Ciceronis libris, de Repub. de gloria, Hortensio, & consimilibus priuent;quos mihi patroni mei edendos traderent,ut polliciti erant, nisi tantæ turbæ concitarentur. O facinus indignũ, & nefarium crimen, si dum in litteraria Repub. sentẽtiam, qualiscunque esset, aperui, putans liberi hominis esse pro viribus in commune consulere, spretis etiam ineptorum quorundam obtrectationibus, tantum detrimenti litterarum studijs attulissem. Vera narro, nihilque fingo: id enim à Librario dictitari mihi quidam fide dignissimus affirmauit: etiam si postea eam famam de alijs Ciceronis libris non sine aliquorum risu percrebescentem, ita Vianellus per litteras ad Sigonium declarauit, vt ingenue confessus sit, non esse eos M. Tullij, sed aliquorum veterum scriptorum, quos tamen ne ipsi quidem Sigonio id litteris flagitanti adhuc nominatos fuisse constat;quosque cum se, ut scribit Sigonius, ex ipso antiquitatis promptuario proditurum propediem profiteatur, sine dubio si id fecerit, maximam ab omnibus litterarum studiosis gratiam inibit. Sed, ut ad propositum redeam, non solum Vianellus Sigonij familiaris eum librum typis imprimendum tradidit: uerum ẽt alter eiusdem Sigonij amicus multis legendum præbuit, nempe Ioannes Sarius Zamoscius Polonus, is, quem ipse libri secundi de iure Italiæ capite decimoquincto eximiæ doctrinæ, excellentisque ingenij iuuenem appellauit; & cum quo sibi fuisse consuetudinem, ac familiaritatem significauit, quippe cui dubitationes proponenti libenter declararet, & cum quo maximam doctrinam suam communicaret; quemque in familiarissimis, atque intimis eius esse, Paullus Manutius libro sexto Epistolarum ad Petrum Miscouium scripsit. De eo igitur meminit vir præcellentissimus, & præclarissimus Ioannes Crato

litteris

litteris datis ad Hieronymum Mercurialem, quas ab ipso Mercuriali patrono meo mihi concessas, vt scriptæ sunt, recitabo, vt simul viri eius, quem idem Manutius libro nono Epistolarum singulari doctrina, ac sapientia virum nominauit, de hac edita consolatione omnibus opinio pateat. Ioannes Crato Hieronymo Mercuriali S. D. Librum de consolatione Cancellarium Zamoscium Regni Poloniæ ante multos annos scriptum habuisse pro certo scio. Iudicij rationes de eo ad te perscriptas misit mihi Scutellarius. Eas ad meum iudicium non reuoco. In eam sententiam, ne Ciceronis libellum, qui in Ciceronis nomine apparet, putem, facile adducor. Sed de imitatione Ciceroniana à tuo Riccobono dissentio. Diu autem hæc studia elegantiæ, & puri, latique sermonis, non uoluntate, uerum necessitate, quam mihi misera mea seruitus attulit, abieci. Ad eā nunc redire, cum in cœlum via sit quærenda, & munienda, non debeo. Riccobonum ut à me salutes, peto. vale. Vuratislauiæ. Octauo Id. Sept. 1583. Zamoscius igitur familiarissimus, atq; intimus Sigonij, librum de cōsolatione ante multos annos scriptū habuit; à quo habuerit, aliorum sit coniectura: cū Crato nō putat Ciceronis, ēt si de imitatione Ciceroniana à me dissētiat, fortasse quia ego eius scriptorē fuisse Ciceronis imitatorē scripserim, ipse uero aliter sentiat. Quid? quòd egregia, & præclara ingenia Mutinensia, quandoque in eo se exercuerunt, ut ueteres scribendo repræsentarent? Nam, ut prætermittam pulcherrimas Ludouici Casteluetrii, aliorumque Mutinensium imitationes, & id tantum attingam, quod ad rem, qua de agimus, pertinet, nonne etiam Iacobus Sodoletus, is, qui S. R. E. Cardinalis fuit, Ciceronem in obitu Tulliæ filiæ suæ se consolantem scriptis suis expressit? Atque is est Sadoletus, cuius exēplum iam tum, cum ætate floreret, secutum se esse Sigonius ad Paullum Sacratum scripsit, ut legitur libro sexto epistolarum ipsius Sacrati. Eius autem consolationem, ut uerum fatear, nōdum uidi: sed commemoratam animaduerti in epistola quadā, quam Ioannes Sambucus, is, quem Paullus Manutius litteris suis ualde exornauit, summi Imperatoris historicus clarissimus, hac de re dedit ad Ioannem Michaelem, amplissimum D. Marci procuratorem, apud eius maiestatem pro Serenissimo Venetiarum Principe Legatum illustrissimum; quamque ego à Bar-

tholamæo Syluatico Patauino, Illuſtrisſimi Senatus Veneti iuriſconſulto celeberrimo, ad Aloyſium filium, egregijs animi bonis iuuenem ornatiſſimum, auditorem meum miſſam, & mihi traditam totam recitabo, ut præter teſtimonium de Sadoleto, ipſum quoque de ſuppoſita conſolatione mecum ſentire, ſimul conſtet. Illuſtriſſimo uiro, Ioanni Michaeli. Di. Marci procuratori, & patrono ſuo omni obſeruantia colendo, Ioannes Sambucus, S. D. Percurri, nulla fere anima recepta, de conſolatione libellum, Ciceronis maieſtati parum feliciter adſcriptum; ex quo auctoris ingenium ſolutum, ad Ciceronis exemplum labore, atque exercitatione magis, quàm natura, & indolis affinitate comparatum perſpexi. Verba ſingula, & coniuncta, pura, latina, exquiſita: conſecutiones non item, & ambitus uſitatos, minusque clauſulas aptas comperi: numerum ſententiarum nimis conglobatum, ac frequentem, epilogis haud loco idoneis munitum, hyperbata, traiectiones uerborum inſolentes, uniuerſam ſtructuræ rationem neglectam animaduerti. Addam, à uulgatis grammaticorum regulis interdum ſcriptorem diſceſſiſſe. Philoſophica ſunt, atque teſtata, quæ ponit. oratio, genusque dicendi atque æmulatio ad exemplum iuuentutis, atque ſtyli formandi commendationem accõmodata. Credo ego huius imitatorem ſuperiori proxima ætate uixiſſe; & cum Tullii tot libri nondum uulgo comparuiſſent, tentare ipſum, ingeniumque ſimilitudine Ciceronis periclitari uoluiſſe. Laudandus conatus: quæ uitioſa uidentur, redigenda ad fontes: ſtudiique ſimilitudo non excludenda à ſcholis. Iudicium illius magni uiri probo. Ciceronis ille uolumina uerſauit, & ut obſeruo, ita ſequitur, ſubegitque, ut laudem ſcribendo conſecutus ſit præclaram, ſed cuperem non coniecturis modo, & collatione fragmentorum, ſimiliumque locorum comportatione, uerum artificij notatione interim apertius ageret. Mitto Sadoleti repertum ſcriptum eiuſdem argumenti, quod ille admodum iuuenis ſtylo roborando, & ex Cicerone formando exaraſſe uidetur; quod non minus, quàm adulterinum æſtimo, meque illuſtriſſimæ magnificentiæ tuæ commendo. Ipſis Kal. Quinctil. M. D. LXXXIII. Eſt Sambucus eiuſdem opinionis, cuius ego ſum, fictam eſſe conſolationem: ſed pauca me ſcripſiſſe putat, ad ea, quæ contra ipſam afferri potuiſſent: quod uel ego

inge-

ingenue fateor,cum omnia propter præproperam quandam festinationem tunc complecti nequiuerim. Sat tamen habeo, ut intelligatur, id, quod mihi uisum eit, multos grauissimos uiros censuisse. Si enim auctoritatibus hanc caussam confirmandã putarem, præter Cratonem, & Sambucum, esset mihi auctor inter alios innumerabiles, omnium honestarum artium uindex, ac patronus, Gulielmus Sirletus Cardinalis, quem in litteris oculatissimum, non esse hoc, de quo quæstio est, Ciceronis opus existimare, ad me perlatum est: esset M. Antonius Muretus, ingenio, doctrina & eloquentia præstantissimus, quem dixisse, hanc esse exercitationem iuuenilem, & parui faciendam, quod etiam Sambucus litteris commendauit, certior factus sum; esset Petrus Victorius, is, qui maximam sibi apud omnes in politiore Humanitate auctoritatem quotidianis laboribus, atque assiduis uigiliis suis, & quidem perillustribus, comparauit; quẽ tam parui hunc librum fecisse, à multis renuntiatum est, ut ne legere quidem uoluerit, quemque nondum lecto libro, opinionem iam concepisse meæ potius, quàm aliorum, congruentem, & similem, à nonnullis scriptum est: essent integræ ciuitates, integræ prouinciæ: esset ille ipse, qui contra me disputauit, Sigonius, qui litteris ad me datis maiorem doctorum hominum partem mecum sentire, seque huiusmodi argumentum tractasse, tanquàm παράδοξον, confessus est. Sed ut auctoritates mittamus, quæ sine dubio innumerabiles sunt, & ad suspicionem, quam nonnulli de Sigonio habent, quamuis nostro quidem iudicio falsam, redeamus, quemadmodum Sadoletus Ciceronẽ se consolantem imitando effinxit, ut ex litteris Sambuci compertum est: sic Sigonius, qui Sadoleti vestigijs insistere maximè studuit, vt litteris ad Paullum Sacratum missis significauit, potuisse simile quiddam facere nonnullis videtur: hæcque opinio multo magis percrebruit, non solum, cum ipsam consolationem ordine ab eo excogitato fuisse perscriptam homines animaduerterunt; verum etiam, cum eum de ipsa tantopere laborare, tanquàm de re sua, obseruarunt, & duas præclarissimas eius orationes hac de re editas esse intellexerunt; in quibus ipse tanta sententiarum grauitate, tanta verborum copia, tam claris, & illustribus orationis luminibus Ciceronem ipsum expressit, vt se longè magis idoneum ad eum simulandũ, quàm

ille fuerit imitator, facile declarauerit. Mitto illa, quæ ex Ciceronis orationibus in perſona ſua imitatus eſt, vt inter cetera locum illum; Quo tandem ſeculo hoc homines acutisſimi diſſerunt? nempe illo, quo multa eius generis alia felici doctorum hominum diligentia exierunt: qui eſt ſimilis illi in oratione pro Milone; In qua tandem vrbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea, quæ primum iudicium de capite vidit M. Horatij fortiſſimi viri. In qua imitatione Cicerone modeſtior fuit Sigonius, acutiſſimos nominans pro ſtultiſſimis: & illa verba; Quærant alia argumenta, ſi qua poſſunt, neque.n. his, hoc opus Ciceronis non eſſe, aliquando poterunt extorquere: quæ ſimilia ſunt illis in oratione pro Archia; Quære argumenta, ſi qua potes: nunquam enim hic, neq; ſuo, neq; amicorum iudicio reuincetur; & alia quàm plurima, quæ vt lõgiſſimum eſſet enumerare omnia, ſic iuniores obſeruare diligenter debent, vt à viro grauiſſimo, eiuſq; ſimilibus modum condiſcant imitandi, nec faciant, quod quidam imperiti, qui fruſtra vndiq; libros compilant. Sed de ratione imitationis alio loco: nunc, quam inſigniter ille Ciceronem loquentem, ſuamque quodammodo cauſſam agentem induxerit, ut non alius ipſum imitans, ſed verè ipſemet Cicero loqui videatur, breuiter obſeruandum eſt. Cum enim Cicero voluntatis ſuæ teſtimonium, atque argumentum pluribus in locis, quaſi de induſtria conſignatum, teſtatumq; reliquiſſet, illud Sigonius in perſona eius ſic expreſſit; Librum ſcripſi, in quo memet de morte filiæ conſolatus ſum: in quo pluribus uerbis humanæ vitæ miſerias deploraui; omnes ſententias philoſophorum collegi, qui mortem bonis omnibus præditam, malis omnibus vacuam oſtenderunt; itemq; omnia clariſſimorum noſtræ ciuitatis uirorum exempla, qui aut obitum ſuorum conſtantiſſimè pertulerunt, aut ipſi mortem fortiſſimè oppetierunt: in quo animorum immortalitatem, atq; eorum, qui ſe in vita iuſtos, caſtos, atque integros præſtitiſſent, beatitudinem demonſtraui. Quare merito eos à Græcis, tanquam Deos conſecratos, cultoſq; oſtendi; ac propterea eorum exemplo filiam meã optimam conſecraui; &, quam omnium Græcorum, ac Latinorum ingenijs ad immortalitatem nominis celebratam, eandẽ dedicato etiam fano poſteris colendam, venerandamq; propoſui.

ſui.Hæc autem omnia adeo variè, copioſè,ac diſertè perſtrin-xi, vt nulla à quoquã adhuc conſcripta ſit conſolatio huiuſmodi.O præclarum imitatorem.Si hic totus locus apud Firmianũ, vel alium quempiã reperiretur, quis eum non ſolũ ſcriptoris auctoritate,qui ipſum citaret,verùm etiam elocutionis ſplẽdore,& elegantia pro Ciceronis uerbis non reciperet? Sed operæ preciũ eſt videre,vnde illa ſuis verbis expreſſa Sigonius ſumpſerit. Sic enim legitur de Ciceronis conſolatione, & de uitæ humanæ deploratione in 1. Tuſc. Quid neceſſe eſt,cùm id agã, ne poſt mortem miſeros nos putemus fore,uitam etiam efficere deplorando miſeriorem ? fecimus hoc in eo libro , in quo noſmetipſos,quantum potuimus,conſolati ſumus. De ſententiis philoſophorum libri duodecimi ad Att. epiſtola uigeſima; Neque tamen progredior longius, quàm mihi doctiſsimi homines concedunt; quorum ſcripta omnia,quæcunque ſunt in eam ſententiam,non legi ſolùm, quod ipſum erat fortis ægroti,accipere medicinam,ſed in mea etiam ſcripta tranſtuli, quod certè afflicti, & fracti animi non fuit. De exemplis clariſsimorum uirorum in tertia Tuſc. Quid ? qui non putant lugendũ uiris? qualis fuit Q. Maximus efferens filium conſularem,qualis L. Paulluſ duobus paucis diebus amiſsis filiis,qualis M.Cato,prætore deſignato filio mortuo,quales reliqui, quos in conſolatione collegimus . De animorum immortalitate in prima Tuſculana;Hæc natura & deorum eſt,& animorum. hanc nos ſententiam ſecuti his ipſis uerbis in conſolatione hæc expreſſimus; Animorum nulla in terris origo,& quæ ſequuntur. Itẽ; Qui ſe integros,caſtoſq; ſeruauiſſent,his ad illos , à quibus eſſent profecti,reditum facilem patere. De conſecratione filiæ libri eiuſdem ad Att.epiſtola decima ſeptima;Ego,quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit, profecto illam conſecrabo omni genere monimentorum ab omnium ingeniis ſcriptorum,& Græcorum,& Latinorum. De fano epiſtola trigeſima quarta;Fanum fieri uolo:neque hoc mihi erui poteſt.De excellentia conſolationis, epiſtola decima tertia ; Affirmo tibi nullã conſolationem eſſe talem. Quis per Deum immortalem hæc omnia exprimere melius potuiſſet,quàm Sigonius fecit ? Idem eiuſdem Ciceronis perſonam ſic repræſentauit; Quod factitare Demoſthenem obſeruaui,ut eadem uerba,quoties aptè caderent,

derent, adhiberet, id nunquam in animum induxi, ut facerem: quòd ea res miram ingenii tenuitatem, & nimiam uerborum inopiam indicaret; quibus ego ſic abundaui, ut C. Cæſar me copiæ inuentorem, ac principem bene de nomine, ac dignitate populi Rom. meritum appellarit. Quamquam autem de induſtria ab hoc inſtituto refugi: tamen cum in conſolatione perbellam quandam ſententiam de animis, non, unde cetera, genitis intuliſſem, uſque adeò illam probaui, ut de eadem re poſt in prima Tuſculana diſceptans iiſdem uerbis repetiuerim: quod elegantius, ac rotundius dici non poſſe cenſuerim; meque è cõſolatione ipſa ſumpſiſſe teſtatus ſim. Hiccine, quæſo, eſt Cicero, qui locutus eſt, an Sigonius ſub perſona Ciceronis? profecto, niſi ſcirem eſſe Sigonii uerba, ea facilius nomini Ciceronis concederem, quàm totam illam præter fragmenta interiecta conſolationem; quemadmodum etiam illum alium locum; Deſinite mihi maledicere, & quæ mea ſunt, mihi detrahere: quæ uos pro alienis damnaſtis, pro certo mea ſunt, priora ex libro meo de conſolatione, amici mei Lactantii auctoritate firmata, atque omnium adhuc aſſenſione probata: poſteriora ad uerbum ex ſecundo meo de finibus. Nonne meam conſuetudinem perſpexiſti, ut ſi res poſtulet, eaſdem ſententias, atque eadem dicendi genera repetam, neque id luminibus eloquentiæ meæ officere poſſe ducam? Quod uos in primis homo quidem Hiſpanus, ſed mei in primis obſeruantiſſimus potuit docere Quinctilianus. Cum his Sigoniani Ciceronis uerbis conferantur, ſi placet, inſigniores iſtius conſolationis loci, non facile mea quidem, ſententia inuenietur, qui eis merito poſſit anteferri. Cum igitur tam eleganter, tam polite, tam admirabiliter Sigonius Ciceronem, Sadoleti ciuis ſui ueſtigiis inſiſtens, imitari conſueuerit, profecto conſolationem ex manibus amicorum, & familiarium eius profectam, quam Crato, Sambucus, Sirletus, Muretus, Victorius, aliique innumerabiles, & totæ ciuitates, ac totæ prouinciæ Ciceronis eſſe negant, & ipſe quoque Sigonius ſe tanquàm Ciceronis, loco paradoxi, defendiſſe affirmat, eidem Sigonio, vt nonnulli faciunt, attribuerem, ſi tam polite, tamque artificioſe ſcriptam comperiſſem, quàm ipſe litteris mandauit: cum præſertim in aliquem eorum, qui eius libri fragmenta collegerunt, quorum alter habuit familia

res, &

res,& intimos illos, qui priores eum habuerunt, & cum ceteris communicarunt; alter, quemadmodum in priore meo iudicio notaui, quosdam fragmentorũ locos ita correxit, vt in eiusmodi libro leguntur,atq; ortus est in Polonia, vbi quoq; is in manibus nobilissimi Poloni ante editionem manuscriptus conspectus est, facilius, quàm in ceteros posse cadere coniectura videatur. Qui enim huiusmodi fragmentorum negocium susceperit,& necesse habuerit omnia loca percurrere, vbi mentio talis consolationis fieri potuit, atque intellexerit, Crantorem, Theophrastum, Xenocratem, de luctu minuendo commentarios conscripsisse; is profecto minus difficulter, quàm alij, nõ solum exprimere potuisse existimatur sub nomine Ciceronis, quidquid Ciceronem disputasse ex alijs eius libris, & aliorum omnium auctoritatibus constat: verum ẽt fingere, se habuisse prudentes de luctu minuendo cõmentarios,ex quibus præcepta collegerit ad leniendã doloris acerbitatem,& legisse veteres vel de luctu,vel de morte scriptores,Xenocratem, Theophrastum, Crantorẽ,quos tamen non legerit,& sumpsisse ex Theophrasti libro sententias,quas ex arbitrio formauerit; præterea persequi oĩa consolandi genera,quemadmodũ Cicero fecerat;& noua dicta,prout libuit, prodere; ac fragmenta etiam prius non collecta,& postea inuenta interiicere,eorumque non nulla secare,atque in ea inserere,quæ liberet. Testimonia igitur illa tum Ciceronis,tum ceterorum omnium, non magis meo quidem iudicio probant,Ciceronis librũ esse, quàm imitatorem in eo diligentem fuisse,ut omnia complecteretur, quæ ab omnibus citata essent.Quod difficile quidem,& laboriosum fuit, non tamen eiusmodi,vt fieri aliquo modo ab homine industrio potuisse non uideatur; maxime verò ab eo, qui fragmenta collegisset, vel certe collecta diligentissimè animaduertisset,atque omnem de libro mentionem inuestigasset, omnesq; ea de re scriptores excussisset, ac totam consolandi materiam animo perlustrasset. Quamobrem satis apparet meam longè aliam, quàm Sigonij, sententiam esse,si modò verè ita sensit, ut in orationibus dixit,quod mihi non probatur,& non potius aliud sentiens hoc ipsum argumentum tractauit, vel, vt ad me scripsit, tanquàm παράδοξον,vel, vt ipse litteris editis confitetur; ut amicis gratificaretur, uel fortasse, quia indignum auctoritate

ſua iudicauit, ab ea ſententia recedere, quam prius dixiſſet. Solent enim, inquit Cicero pro Quinctio, homines nobiles, ſeu rectè, ſeu perperam facere cœperunt, ita in vtroque excellere, vt nemo noſtro loco natus aſſequi poſſit. Satis conſtat, cum Sigonius ſcripſerit, omnia, quæ Cicero de ſe, aut alij de ipſo tradiderunt, à nemine alio, quàm à Tullio, eodem modo ſcribi, aut dici potuiſſe, me longe aliter ſentire. Satis perſpicuum eſt, ſi meliorem hanc conſolationem iudicarem, quid Sigonio reſponderem, illud ſe protuliſſe affirmanti, hunc librum aut Ciceronis, aut certè præſtantiſſimi alterius videri ſibi eſſe ingenij; ac quærenti, ecquando aliàs, noſtris, proximiſue temporibus homo tum acri inſtructus ingenio, aut tanta præditus induſtria fuerit, qui Ciceronem tam peritè, tamq; artificioſè ſimulare potuerit. Probarem enim illorum vocem, qui aiunt fuiſſe librum à Sigonio confictum, vel exercitationis cauſſa, cum iuuenis eſſet, & Sadoleti exemplum talia facientis ſequeretur, etiam ante fragmentorum editionem: vel poſtea, ut experiretur, an pro Cicerone haberi poſſet. Diceremq; præſtantiſſimũ illud alterum ingenium fuiſſe Sigonij. Cumq; Bembos, Naugerios, Victorios, Muretos, alios multos, ſuperiore proxima, & noſtra hac ætate optimos Ciceronis imitatores nominare poſſem; Sigonium tamen hac in re ceteris omnibus anteferrẽ. Sed tantum abeſt, ut ipſum huiuſmodi imitationis auctorem fuiſſe exiſtimem, ut eam alicui tribuam non Cicerone maiori, ſed ne cum Cicerone quidem, immo ne cum Sigonio quidem comparando, non præſtantiſſimo ingenio, ſed cui multa ad ſingulaeem illam præſtantiam defuerint, quæ à Sigonio tantopere celebratur. Quod ſpero me multo magis probaturum, ſi prius ſingulas Sigonij reprehenſiones aduerſus me editas ſine vlla pertinacia refellero. Quoniam vero huic primæ parti eſt ſatisfactum, ad ſecundam cauſſam eſt accedendum.

Antonij



ANTONII RICCOBONI, DE CONSOLATIONE EDITA SVB NOMINE CICERONIS,

Secunda Disceptatio.



FATEOR longè mihi aliud euenisse, quàm Sigonio euenerit. Is enim dicit, se accepto libro, de quo quæstio est, primùm obstupuisse, atque alienum esse aliquid propter suspiciosam humanam naturam duxisse: deinde, ut legere multis audientibus cœperit, ac sententiarum grauitatem, verborum splendorem, ac singularē totius compositionis lenitatem sine vlla negociorum repugnantia senserit, illicò ad contrariam sententiam inclinasse: atq; in ea post firmius perstitisse, postquàm rem per ocium, ut sedatiore, sic intentiore mente, ac cogitatione lustrarit. Ego uerò cum superiori proximo anno plurimum mihi gaudij attulisset illustrissimus Di. Marci Procurator Venetus, Ioannes Michael, maximus litterarum patronus, quem honestatis, amplitudinisq; gratia nomino, affirmans eum librum Venetias delatum

esse, qui certo Ciceronis esse crederetur, primum accepto eo multo magis gauisus sum, vt par erat, nihilq; habui dubitationis, quin ipsius Ciceronis esse posset, ut nec de Liuij quidem, ac Paterculi historijs, nec de eiusdem Ciceronis oratore, ac Bruto, atque ipsis ad Att. & aliquot ad Brutum epistolis memoria patrum nostrorum & nostra inuentis dubitari intelligebam. Deinde ut primum legi, & nec sententias, nec uerba Ciceronis maiestati congruentia, totamq; compositionem solutam, & Ciceroniano uinculo minimè nexam, non sine aliqua rerum repugnantia comperi; statim contrariam opinionem concepi, caussasq; aliquot, cur ita opinarer, petenti Hieronymo Mercuriali, uiro clarissimo, aperui, atq; in eo, quod prius animo comprehēderam, perseueraui, postquàm re diligentius, atq; acrius per has publici muneris uacationes explorata, & perspecta, plura alia inueni Ciceronis nomini repugnantia, quæ postea exponam, & ne ijs quidem, quæ hoc mense eruditissimus Sigonius aduersus coniecturas meas litteris consignata in lucem, & aspectum hominum produxit, de sententia decessi. Cur autem non decesserim, cum hac disceptatione declarandum, atq; explicandum sit, priusquàm ad singula, quæ mihi obiecta sunt, respondeam, vt iunioribus gratificer, Rhetorū more totam caussam constituam. Intentio enim Sigonij est, Liber de consolatione nuper editus Ciceronis est. Depulsio mea, Ciceronis non est. Quæstio coniecturalis. Vtrum sit, necne. Ratio, Quia nec res, nec verba continet Ciceroni congruentia. Firmamentum, Immo verò continet. Iudicatio generalis iuridicialis, Vtrum contineat, nec ne. Iam, ut meam rationem confirmarem, octo coniecturas adducebam, de rebus quidem quinque: at tres de uerbis. Prima de rebus fuit, quòd in principio sententia est imperfectior, quàm vt Ciceroni tribui debeat. Altera, quòd, quæ in hoc libro vituperata est Senectus, in Catone maiore sine vlla excusatione laudata est. Tertia, quòd adhibita sunt multa in alijs etiam locis vsurpata, cū parua mutatione, & magna plerunq; deprauatione. Quarta, ꝙ inserta sunt fragmenta eodem ordine, quo à fragmentorum inuestigatoribus edita sunt, & interposita quædam, quæ non sunt Ciceronis, & addita non nulla, quæ rei ueritati repugnant. Quinta, quòd quædam exempla clarissimorum uirorum aliter cōmemo-

memo-

memorata ſunt, quàm à Cicerone fuiſſe narrata uideantur; & quædam prolata, quæ incertum eſt, an ab eo comprehenſa fuerint. Quod attinet ad uerba, prima coniectura erat, quòd quædam eſſent minus Ciceroniana. Altera, quòd alia minus proprie dicta. Tertia, quòd non nulla minus latina. Quas omnes Sigonius reprehendit. Quomodo autem reprehenderit, & quid ad ſingulas eius reprehenſiones reſpondeam, operæ precium eſt explicare. Tota igitur controuerſia eſt de qualitate rerum, & uerborum, quæ in hac conſolatione continentur. Hac autem diſceptatione de rebus, ſequenti de uerbis agemus.

I. Ac reprehendit quidem primùm Sigonius, quòd ſcripſerim, ſi Cicero principium illud feciſſet, Quamquam recentibus morbis medicinam adhibere uetant ſapientes, eum in quarta Tuſculana fuiſſe id ſignificaturum, ubi eius ſententiæ, quæ fuit Chryſippi, mentio facta eſt, ipſamque aliqua muniri ratione ex præcepto Ariſtotelis debuiſſe, tamquàm controuerſam. Sed, ut ordine conuerſo agam, contendit ille, non fuiſſe neceſſe Ariſtotelis uti præcepto, duabus rationibus. primùm, quia ſententia erat probabilis. nam probabile, auctore eodem Ariſtotele in Top. dicitur illud, quod ab omnibus, aut pleriſque, aut certè à ſapientibus, & ab his, aut omnibus, aut pluribus, aut maximè probatis approbatur; & illa firmatur ſapientiſſimorum hominum auctoritate; Hippocratis, qui dixit, Concocta medicari, & mouere, non cruda, neque in principiis, modò nō turgeant, plurima uerò non turgent: Platonis in Timæo, cuius uerba ſunt; Morbi, niſi pericoloſiſſimi ſint, medicamentis non ſunt irritandi, nec difficile malum pharmacis inſtigandum: Chryſippi, qui uetuit ad recentiores quaſi tumores animi remedium adhibere: Plinii, qui ait; Crudum uulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultrò requirit. Præterea, quia etiam Plutarchus, & Seneca in exordiis cōſolationum ſuarum eandem ſententiam nulla ratione fultam adhibuerunt. Plutarchus ſic, Quando peritiſſimi medici confertim ingruentibus uitioſorum humorum fluxionibus non ſtatim medicamenta applicant, ſed tumorem inde ortum patiuntur foris illitis remediis ipſum ultrò concoctione quadam emolliri. Seneca ita; In morbis quoque nihil eſt magis periculoſum, quàm immatura medicina. Hæc Sigonius; quæ non

ſatis

ſatis ſcio,an ei ſint concedenda. An uerò ſic argumentatur,ſententia eſt probabilis,ergo nulla indiget ratione? Quomodo id conſequitur? Quot ſunt probabilia, quæ niſi habeant rationẽ adiunctam,abſurda uideantur? Probabile quodammodo erat, Non poſſe mentiri quemquam,aut contradicere, neque duas de rebus iiſdem contrarias orationes habere,quia id probabatur Antiſtheni: & fortitudinem,ſapientiam,iuſtitiam, idem eſſe,neque nos natura iſtarum rerum quidquam habere,ſed unã eſſe ſcientiam,qua hæc omnia traderentur,quia Protagoræ:& nihil in rerum natura eſſe,quod ſit, quia Gorgiæ: & eadem tũ poſſe, tum non poſse fieri,quia Zenoni:& omnia,quæ ſunt in hac rerum uniuerſitate,eſſe unum,quia Meliſſo: & omnia moueri,ac continenter fluere , & ſemper fieri, nihilque unquam eſſe,& contraria eadem eſſe, quia Heraclito : & quidquid eſt, immobile eſſe,& unum,quia Parmenidi: & ſanitatem non eſse bonum,quia Chryſippo:& alia huiuſmodi quàm plurima;quæ aliis philoſophis placuerunt . ea tamen omnia egebant ratione,ut crederentur . Cumque Ariſtoteles egit de addenda , uel non addenda ſententiæ ratione,ſine dubio non ſimpliciter intellexit,quod Sigonius ſignificat,tunc rationem non addendã, cum aliquo modo ſententia probabilis eſset,addendam, cum probabilis non eſſet: ſed ſententias eſſe ratione muniendas , ſi controuerſæ uideantur, aut præter opinionem , ſi obſcuræ , ſi contra ea,quæ in ore multitudinis ſunt poſita. Iam illam ſententiam,Non debere medicinam recentibus morbis adhiberi, non negaui,ut notat Sigonius,probabilem eſse: ſed ſcripſi prolatam eſse contra illud,quod ore omnium contritum,& peruulgatum eſt,Principiis obſta : & idcirco tãquàm controuerſam, & aliquantulum obſcuram,fuiſse aliqua ratione fulciendam . Itaque notaui melius feciſse Ciceronem in quarta Tuſc. qui non nullam Chryſippeæ ſententiæ rationem ſignificauit ; melius Plinium,melius Ouidium; quemadmodum etiam melius fecit Hippocrates,qui rationem aphorismi tantopere contra me non ſolùm à Sigonio,ſed etiam à plurimis aliis decantati, uidetur ſignificare in illa exceptione,Modò non turgeant: plurima uerò non turgent ; ut intelligatur pleroſque uitioſos humores in principio nõ medicandos,nec ullo auxilio mouendos ; prius quàm cocti fuerint,quia plerique non turgent,nec ſuopte cientur

tur impetu ita, ut ſtatim rem e lium requirant. melius denique fecit Plato in Timæo, qui ad ſententiam ſuperius notatã illam rationem pluribus uerbis expreſſam adiunxit; Omnis nã que morborum conſtitutio animalium naturæ quodammodo ſimilis eſt. Sanè animalium compoſitio ab ipſo generationis exordio certis temporum curriculis terminatur: idque & genus uniuerſum patitur, & animal unumquodque ab ortu fatale uiuendi ſpatium in ſe ipſo exceptis neceſſariis paſſionibus continet. Etenim trianguli ab ipſo initio ſingulorum uim poſsidentes uſque ad certum tempus ſufficienter ad uſum uitæ cohærent: ultra id nemini uita prorogatur. Idem quoque conſtitutionis modus languoribus conuenit; quos ſiquis contra fatalem temporis curſum pharmacis amputare contenderit, ex paruis ingentes, ex paucis multi euadere conantur. Quod attinet ad Plutarchum, & Senecam, illius quidem ſententia in conſolatione ad Apollonium enthymematica uidetur, quæ habeat incluſam rationem, ita ut intelligatur, ingruentibus uitioſorum humorum fluxionibus ex conſuetudine præſtantiſſimorum medicorum non ſtatim medicamenta applicanda, quia prius tumor, inde ortus, ſit ipſe ultrò concoctione quadam emolliendus, & ad maturitatem perducendus. Huius uerò ſententia in Cõſolatione ad Albinã matrẽ accipit uim rationis ex ſuperioribus uerbis. Sic.n. legitur; Sciebã dolori tuo occurrẽdũ nõ ẽẽ, ipſa eum ſolatia irritarent, & accenderent. Nã in morbis quoque nihil eſt magis ꝑiculoſũ, nec ꝑnicioſũ, quàm immatura medicina. Cur igitur medicina immatura eſt pernicioſa, & periculoſa? nempe, ut declarant ſuperiora verba, quia morbos irritant, & accendunt; quæ ratio addita non eſt, quia ſatis intelligebatur. Denique, vt Plutarchus, & Seneca Ariſtotelis præceptum non ſeruauerint, quod putat Sigonius, ſtatim ne ſequetur, alijs ſeruandum non eſſe? Atque hæc omnia eò pertinent, ut illa ſententia initio conſolationis poſita admittatur, tamquàm probabilis & uera, ſed in eo imperfecta, quòd ſuam non habeat adiunctam rationem. Quid? ſi oſtendero, illam ipſam nec probabilem, nec veram eſſe, nec illorum quidem, quos citat Sigonius, auctoritate ſatis firmatam? primum autem obſeruãdum eſt, differre quodãmodo inter ſe ἰᾶσθαι καὶ θεραπεύειν, id eſt, medicinam adhibere, & φαρμακεύειν, ideſt, medicamento

purgante

purgante uti. id .n. significare φαρμακεύειν, doctissimi homines obseruarunt. Illud est genus, & pertinet. ad omnes partes Medicinæ, quæ commemorantur tres, διαιτητική, χειρουργική, καὶ φαρμακευτική, quarum prima victus ratione, altera manu, tertia pharmacis medetur: hoc verò est illius species, & pertinet tantum ad eam partem, quæ pharmacis vtitur. Iam falsum est illud, vt generatim dicatur, recentibus morbis medicinam non esse adhibendam: semper enim aliqua medicina conuenit, si non tertia, aut secunda (non.n. sæpe initiis morborum pharmaceutica, aut chirurgia adhibenda est) at saltem prima; vnde illud apud Ciceronem ad Att. Diæta curari incipio: chirurgiæ tædet; & in quolibet morbo sui dantur medendi gradus, ut ferè prius præparentur humores, deinde vehementioribus remedijs curentur; quæ omnia pertinent ad rei medicæ rationem. Quare simpliciter dicere, Medicinam adhibere vetant sapientes, est tam falsum, quàm quod falsissimum. tametsi enim vetant adhibere medicinam purgantem, non tamen prohibent, quominus aliqua medicina adhibeatur. alioqui tollerent excellentiam Medicinæ, quæ in principiis morborum maximè cognoscitur. Quò spectat aphorismus Hippocratis vndeuigesimus in libro secundo; In principiis morborum, si quid mouendum uidetur, moue. Ratio est in sequenti aphorismo; Circa initia, finem morborum remissiora sunt omnia: in uigore uehementiora. At illa sententia probatur Hippocrati, Platoni, Chrysippo, Plinio, Plutarcho, Senecæ, ut apparet ex uerbis illorum superius notatis. Immo uerò non probatur, si diligentius, quid senserint, inuestigemus. Nunquam .n. indicarunt in uniuersum, medicinam recentibus morbis non esse adhibendam: sed aliquam non conuenire. Cum enim Hippocrates scripsit, concocta medicari, ac mouere, non cruda, neque in principiis, locutus est, non de omni medicina, sed tantum de purgante, quæ si in principiis prohibetur, non idcirco excludit alias. Non enim ait ἰᾶσθαι, sed φαρμακεύειν, id est, non simpliciter medicari, sed remedio purgante medicari. Plato quoque in Timæo egit tantum de Pharmaceutica, in hûc modum; Morbi nisi magna habeant pericula, non sunt irritandi pharmacis. Sed non ob id uetuit alias medendi rationes. Itaque subiunxit; Quapropter diligentia uictus corrigendi, &

gubernandi

gubernandi sunt morbi, prout cuique datur otium, neque difficile, infestumque malum pharmacis instigandum. Præterea Chrysippus agens de recentibus quasi tumoribus animi significauit eandem esse rationem tumorum animi, & tumorum corporis; ut, quemadmodum illi non sunt statim pungendi, sed prius illito aliquo unguento molliendi: sic hi non statim requirant consolationem, sed prius præparationem quandam ad ipsam consolationem; quæ præparatio pertinet ad artificiũ quoque oratorium, vt qui vult consolari, prius ad mœrentis affectum se accommodet, quàm ad officium accedat consolandi. Itaque non omnem videtur medicinam sustulisse, sed tantum indicasse, potentissimum remedium non esse initio admouendum. Et Plinius, tametsi tradidit, crudum vulnus medentium manus reformidare, ne statim ferrum admittatur, & dolor augeatur: non tamen negauit ipsum crudum vulnus alicuius vnguenti gaudere emollitione. Et Plutarchus non simpliciter egit de omni medicina, sed de Pharmaceutica sic; Neque statim applicant ex pharmacis auxilia, sed sinunt grauedinem inflammationis foris applicatis remediis ipsam per se accipere emollitionem. Cum ergo docuerit non applicari pharmaca, aperuit tamen aliqua externa remedia adhiberi; vt aliqua prorsus medicina opus sit, quamuis non Pharmaceutica. Postremò Seneca scripsit, in morbis nihil esse magis periculosum, nec perniciosum, quàm immaturam medicinam, id est, præter tempus præbitam, quemadmodum si pharmaca initijs morborum præbeantur, quibus tunc uti non oportet, cum tamen aliqua alia medicina, saltem præparans, etiam incipientibus morbis, tempestiua esse posit. Ex quibus satis meo quidem iudicio patet, illam sententiam generatim prolatam de medicina recentibus morbis non adhibenda, minimè probabilem, minimeque ueram esse. In priore autem parte reprehensionis de Ciceroniana consuetudine citandi priores libros in posterioribus, cum res aliqua illorum in his poneretur, quid est, quòd diutius immorer, cum ego quoque paruum in ea re momentum collocauerim? Scripsi enim sic; Sed si id aliquem non mouet, quòd potuerit Cicero de eadem re in duobus, uel pluribus libris agere, etiam sine ulla mentione repetitionis: at saltem mouere debebit locorum cum parua mutatione, & magna plerunq; depra-

uatione multitudo. Quid erat igitur, quòd de re confeſſa tam multa notarentur? Accedit, quòd eam rem obſeruaui non tam quàm neceſſariam, quæ perpetuò ſeruaretur, ſed ut ueriſimilẽ, quæ plerunque ita ſe haberet apud Ciceronem, maximè uerò de libro conſolationis, cuius ſententias cum oblata eſt occaſio commemorandi, ſolitus eſt mentionem facere eius ipſius libri, ut exemplis probaui. At Cicero non potuit ſcribere, Quod vetat Chryſippus, ut in conſolationis principio ſcripſimus: quia hic non nominarat Chryſippum, ſed ſapientes, quæ vox cadere in alios etiam poterat, quàm Chryſippum. in quos alios cadere, ſi ſententia erat Chryſippi? prætereà, cur nõ potuit ſignificare, illam ſententiam poſitam in principio fuiſſe Chryſippi, etiam ſi ſapientes nominauerat pro Chryſippo? illud autem, Vt in conſolationis principio ſcripſimus, non referebam ad illud, Quodque vetat Chryſippus; ſed ad illud, Ad recentes quaſi tumores animi remedium adhibere; vt ſignificaretur in eo principio ſcriptum eſſe, non Chryſippum uetuiſſe, ſed recentibus morbis medicinam non adhibendam. Iam diſtinguat, quid, & quantum uelit, non repugnabo: dixi enim, me ea de re nolle contendere, ac laborare, quam ipſemet alias conceſsi; ut potuerit Cicero (repeto enim uerba mea) de eadem re in duobus, uel pluribus libris agere, etiam ſine ulla mẽtione repetitionis. Colligebam enim uerisimilia, ut plura coaceruata in re maximè dubia uim aliquam afferrent argumentationi: at non eram tam imperitus, ut putarem uerisimilia eſſe neceſſaria, & eodem modo ſemper ſe habentia. Nunc uenio ad ſecundam reprehenſionem.

II. Scripſeram, auctorem imitationis, cum ageret de conditionibus ætatum, mirè ſenectutem uituperaſſe; idque ſi feciſſet Cicero, eum in libro de ſenectute, quem paullo poſt ſcripſit, ſe excuſaturum fuiſſe, ubi ipſam ſenectutem magnis laudibus extulit, & à quattuor illis accuſationibus defendit. Apertè confiteor, inquit Sigonius, me huius argumenti uim non perſpicere; Si Cicero in conſolatione ſenectuti maledixiſſet, poſt in Catone eam laudans excuſationem adhibuiſſet. quippe non uideo, quomodo Cato, qui apud Ciceronem ſenectutem ab illis quattuor criminibus uindicauit, ſe excuſare potuerit, quòd Cicero eam in conſolatione uituperaſſet. Ohe, deſinat

tandem

tandem amicus sic cauillari. esset uero caput meum tota dignum Anticyra, si id fieri potuisse existimarem. Quid? nonne ille dialogus est eiusdem Ciceronis, cuius fuit consolatio? nonne potuit Cicero in procemio se excusare, quemadmodum in procemio libri primi de Oratore se excusauit de commentariolis suis inchoatis, atque rudibus, qui sibi puero, aut adolescenti exciderant? nonne potuit etiam sub persona Catonis non nominatim, sed in uniuersum, eam adhibere excusationẽ, ut diceret, in consolationibus, ubi agitur de conditionibus ætatum, solere senectutem uituperari, sed id fieri, ut caussæ seruiatur, uerè autem omni laude esse dignam; ut scilicet prudens lector, qui, & consolationem, & illum dialogum esse Ciceronis non ignoraret, quò illa uerba tenderent, posset animo comprehendere? Quid? quòd idem negat, fuisse ullam purgationẽ necessariam, quia defensio Catonis accusationi Ciceronis nõ repugnauit? Id fortasse uerum, si de uero agatur Cicerone, quem nusquam apparet senectutem in sua accusasse consolatione, etiam si miserias humanæ uitæ deplorauerit; quod alijs multis argumentis, quàm incommodis ingrauescentis ætatis ex Axiocho uel Platonis, uel Aeschinis (Diogenes enim Axiochũ esse huius, non illius ostendit) repetitis, potuisse facere uidetur; quemadmodũ fecit Plinius in procemio libri septimi, ubi miserias hominum nulla senectutis habita mentione recenset; cuius loci, quamuis notissimi, uerba omnia placet hic recitare, ut intelligatur, quot, & quantæ miseriæ possint commemorari etiam sine senectutis commemoratione. Hominis, inquit, caussa uidetur cuncta alia genuisse natura, magna, & sæua mercede contra tanta sua munera, ut non sit satis æstimare, parens melior homini, an tristior nouerca fuerit. Ante omnia unum animantium cunctorum alienis uelat opibus: ceteris uariè tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, uillos, setas, pilos, plumam, pennas, squammas, uellera. Truncos etiam, arboresque cortice, interdum gemino, à frigoribus, & calore tutata est. Hominem tantum nudum, & in nuda humo, natali die abijcit ad uagitus statim, & ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus uitæ principio. At Hercule risus præcox ille, & celerrimus ante quadragesimũ diem nulli datur. Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidẽ

inter nos genitas uincula excipiunt, & omnium membrorum nexus. Itaque feliciter natus iacet, manibus pedibusq; deuinctis flens, animal ceteris imperaturum: & à supplicijs uitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natum est. Heu dementiam ab his initiis existimantium ad superbiam se genitos. prima roboris spes, primumq; temporis munus quadrupedi similem facit. Quando homini incessus? quando uox? quando firmum cibis os? quandiu palpitans uertex, summæ inter cuncta animalia imbecillitatis indicium? Iam morbi, totq; medicinæ contra mala excogitatæ, & hæ quoque subinde nouitatibus uictæ. Cetera sentire naturam suam, alia pernicitatem usurpare, alia præpetes uolatus, alia uires, alia nare: hominem scire nihil sine doctrina, non fari, non ingredi, non uesci: breuiterq; non aliud naturæ sponte, quàm flere. Itaque multi extitere, qui non nasci optimum censerent, aut quàm ocyssimè aboleri. Vni animantium luctus est datus, uni luxuria, & quidem innumerabilibus modis, ac per singula membra: uni ambitio, uni auaritia, uni immensa uiuẽdi cupido, uni superstitio, uni sepulturæ cura, atque etiam post se de futuro. Nulli uita fragilior, nulli rerum omniũ libido maior, nulli pauor confusior, nulli rabies acrior. Denique cetera animantia in suo genere probè degunt: congregari uidemus, & stare contra dissimilia: leonum feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes: ne maris quidem belluæ, ac pisces, nisi in diuersa genera sæuiunt: at Hercule homini plurima ex homine sunt mala. Hæc ille. Videat ergo Sigonius, quàm firmum sit argumentum illud; Cicero humanæ uitæ miserias in consolatione deplorauit. Igitur senectutis accusationem intulit. Sin de simulato agatur Cicerone, breuiter uideamus, an id uerum sit, quod dixit Sigonius, nullam repugnantiam esse inter disputationem istius consolationis de senectute, & illam Ciceronis in Catone maiore. Quid ergo dicit iste? Senectutem esse incommodorum, ac miseriarum, languoris, calamitatisq; plenissimam, & hoc modo uoluptatis expertem. Audiamus uerba eius: sic enim facilius persuaderi nobis patiemur. Quid ego, inquit, de senectutis incõmodis, ac miseriis loquar? quas plurimas esse, & grauissimas, & nomen ipsum languoris, calamitatisque plenissimum indicat, & adspectus ipse senum hominum patefacit. Quid Cicero sub persona Catonis? In eo se-

nectutẽ

nectutem fortunatam esse, quòd à uoluptate, re uitiosissima, sit aliena; quòd, si quid detur uoluptati, epulis modicis delectari possit; quòd, si non habeat tantam titillationem, ne tantam quidem habeat desiderationem, quantam adolescentia; quòd maximam capiat iucunditatem in ocio ex pabulo studii, atque doctrinæ, ex agritultura, ex auctoritate, qua prædita est, quæ superat omnes adolescentiæ uoluptates; quòd, si qua uitia uideatur habere, morositatem, anxietatem, iracundiam, difficultatem, illa sint morum uitia, non senectutis. Quid præthereà iste simulatus? Miseros esse senes, quia corpus habeant infirmum: eius enim uerba sunt; Senem uidere trementem, incuruum, canum, imbecillum, infirmum. Quid Ciceronianus Cato? Senum miseriam nullam esse, si uires adolescentum non habeant, quemadmodum ne adolesentum quidem, si non taurorum, aut elephantorum; atque, si ulla miseria senectuti accidat propter defectionem uirium, id adolescentiæ uitiis effici sæpius, quàm senectutis; sì que multi senes sint plus nimio imbecilles, id non proprium senectutis esse uitium sed commune inualetudinis. Addit ille, Ex eo manare quoque senum miseriam, quòd non procul absint à morte. Id enim significatur his uerbis; Quid est aliud senem uidere, quàm cernere morientem uiuum, aut uiuẽtem mortuum? Addit hic, Ne ob id quidem miseros esse senes, quòd non procul absint à morte, quæ omni ætati est communis, quæ habenda est in bonis, quæ non timenda, quæ ex animorum immortalitate affert felicitatem. Postremò ille, Magnã esse senectutis miseriam, quòd auocet à rebus gerendis. Sic .n. apud illum legitur; Ac, si non nullis uisum est, magnam esse senilis ætatis consolationem, prudentiam usu rerum quæsitã. quæ illius ætatis propria est; eosdem illos fateri oportet, ex eo ipso fonte manare etiam ad senes non minimum doloris, atque molestiæ. Qui enim se prudentem, rerumque agendarum peritum agnoscit, cur non doleat, quæ optimè intelligit, præ ætatis uitio optimè etiam perficere non posse? &, si patriam diligit, cur non angatur, quòd, quam consilio iuuat, opera etiam iuuare non possit? eò que maior prudentium dolor est, quòd optimorum cõsiliorum fructum nulla alia ratione percipi posse, quàm, si optime ad exitum perducantur, intelligunt. Quòd nisi vir optimus, patriæq. amantissimus ad agendum accedat, prorsus

ſus inania ſint futura. Hic uerò, ſenes ſat habere, ſi ea agant, quæ ſenibus conueniunt, quæque uel infirmis corporibus animo tamen adminiſtrantur. Nunquam mihi auctoritate ſua perſuadebit Sigonius, hæc inter ſe conuenire. Quòd ſi Cicero cauſſæ ſuæ ſeruiuiſſet, ut modò ſenectutem uituperaret, & accuſaret, modò laudaret, & defenderet, mihi certè uériſimile eſt, eum aliqua excuſatione fuiſſe uſurum, ut feciſſe in Lælio notaui, & quidem uſurũ, ut ſuperius dixi, aut in prooemio, quod in huiuſmodi quæſtionibus eſſe ſeparatum, & omnia complecti poteſt, aut per occultam quandam ſignificationem: ut occulte quoque ſignificaſſe hic egregius imitator dialogum de ſenectute poteſt exiſtimari, qui, ut legerit Ciceronianam in ſenibus prudentiæ commendationem, uidetur uoluiſſe Ciceroni reſpondere illis uerbis; Ac, ſi nonnullis uiſum eſt magnam eſſe ſenilis ætatis conſolationem, prudentiam uſu rerum quæſitam, & quæ ſequuntur, quibus oſtendit, ſenes quidem eſſe prudentes, ſed dolere, & angi, quòd quæ prudentia dictat, efficere non poſſint. De ea uero ſententia, Quia communi, & præcipua hominis conditione non uteretur, aliorum, qui ipſam reprehenderunt, non meum eſt reſpondere. Sequitur cauſſa de multis Ciceronis locis cum parua mutatione, & magna plerunq; deprauatione in ſimulatam Conſolationẽ inſertis, qui ad tertiam Sigonii pertinent reprehenſionem.

III. Conatur enim demonſtrare, rectisſime factum eſſe, ut hiſtorias, ut fabulas, ut uerſus, ut ſententias multas Cicero repetiuerit. Quod ne ego quidem negaui: ſed tantum obieci, multa fuiſſe leuiter immutata, & plerunq; deprauata. De quo ſi quis dubitet, is mea audiat uerba ſuperius quoq; recitata; Sed, ſi id aliquem non mouet, quòd potuerit Cicero de eadem re in duobus, uel pluribus locis agere, etiam ſine vlla mentione repetitionis: at ſaltem mouere debebit locorum cum parua mutatione, & magna plerunq; deprauatione multitudo. Id vt appareret, multa ante lectorum oculos propoſui, ex quorum collatione facile cuiq; poſſe patere arbitrabar, quanto eſſet imitator Cicerone inferior. Quod quoniam tantum abeſt, vt Sigonius confiteatur, vt potius iſtam conſolationem, ſi cum multis Ciceronis libris conferatur, aut paribus, aut clarioribus orationis luminibus illuſtratam eſſe contendat; danda opera eſt, ut

id,

id, quale sit, intelligamus. Ac excusat quidem Sigonius in Cicerone earundem rerum aliquot verbis paullulum immutatis repetitionem, quod repugnare illi admirabili ingenij amplitudini, ac singulari verborum copiæ videtur, de qua sic ipsum loquentem, & gloriantem inducit; Quod factitare Demosthenem obseruaui, vt eademmet uerba, quoties apte caderent, adhiberet, id nunquam in animum induxi, vt facerem: quòd ea res miram ingenij tenuitatem, & nimiam verborum inopiam indicaret; quibus ego sic abundaui, ut C. Cæsar me copiæ inuentorem, ac principem bene de nomine, ac dignitate populi Rom. meritum appellarit. Præterea uult eum in hoc libro se met superasse, & ornatiorem fuisse, quàm in ceteris libris: & tamen quandoque eum purgat, quòd ipse præ doloris magnitudine suorum dicendi præceptorum memoriam abiecerit. Ego uero affirmo hunc ipsum imitatorem Cicerone longe inferiorem fuisse in historijs, fabulis, uersibus, sententijs imitatione exprimendis. Neque uero omnia perpendam, quæ in meo iudicio narrata sunt, quorum pleraq; satis patent: sed præcipua tantum quædam examinabo, quæ à Sigonio quoq; excussa sunt.

Quid ergo? nonne deterius, quàm Cicero in prima Tuscul. eos commemorauit, qui mortem non timendo fortissime occubuerunt? Cicero enim scripsit cum Latinis decertantem patrem Decium, cum Etruscis filium, cum Pyrrho nepotem, se hostium telis obiecisse: imitator uero, Decios cum Latinis pro patria dimicantes se se hostium telis obiecisse; quasi etiam Etrusci, & Pyrrhus essent Latini. Ille, Hispaniam uno bello pro patria cadentes Scipiones uidisse: hic, Scipionem vitam in acie iuuandæ patriæ caussa fortissime profudisse; quasi unus tantum Scipio, & non duo iter Pœnis uel corporibus suis obstruere uoluerint. Ille inter ceteros Gracchum etiam nominauit: hic prætermisit. Quid ad hæc Sigonius? primum, quo modo hic scripsit, eodem etiam in secundo de finibus fecit, ut Latinos nominarit, & primo de diuinatione, & Valerius libro quincto. Deinde Decius filius in Etruria quidem pugnauit, sed cum Gallis, non cum Etruscis, ut aperte scribit libro decimo Liuius. Præterea caueant, quæso, ne hanc rationem argumentationis inducant; Hic liber mendosam ex aliqua parte habet

histo-

historiam, ergo non est Ciceronis, ne fortasse mox confiteri cogantur, paucos libros existere Ciceronis, quòd in plerisque eiusmodi resideat aliquid, quod eo modo reprehendi possit. Inde si imitator tantum in hanc scriptionem studii, ac diligentiæ contulit, ut duo etiam illorum iudicio ex Plinio uerba Ciceronis expresserit, non uidetur uerisimile, eundem mox tanta incuria extitisse, ut locum insignem Tusculanæ de Latinis, atque Etruscis omiserit. Denique fortasse, ut Scipionem, non Scipiones dixit, & Gracchum præteriit, quem alio loco commemorauit: sic Decium quoque, non Decios scripsit, ac in sua oratione addidit, dempsit, mutauit, prout animus tulit. O mirum ingenii acumen. At Cicero in secundo de finibus, & primo de diuinatione, & Valerius libro quincto Latinos nominarunt, Etruscos omiserunt, quia de uno P. Decio patre in illis locis, quos citauit Sigonius, non etiam de filio egerunt. Ac tametsi Decius filius in Etruria non cum Etruscis, sed cum Gallis pugnauit: tamen quia in Etruria illud bellum Samnites, Galli, Etrusci, & Vmbri contra Romanos communibus armis gerebant, non est mirum, si Cicero pro Gallis nominauit Etruscos, apud quos illud ipsum bellum gerebatur. Et, quemadmodum non uidetur ualere hoc argumentum; Hic liber mendosam ex aliqua parte habet historiam, ergo non est Ciceronis: ita hoc ualere potest; Hic liber non unam aliquam, ut liber de senectute, & oratio pro Murena, quod probat Sigonius, sed multas habet mendosas historias, & non solum historias mendosas, sed multa alia & in rebus, & in uerbis uitiorum genera: ergo Ciceronis existimari non debet. Et, quemadmodum aliis in rebus multis incuria usus est magna: sic uidetur uerisimile eum esse negligẽtem potuisse in loco insigni Tusculanæ exprimendo. Et Scipionem, non Scipiones, dixit cum aliquo suo errore. Et Gracchum præteriit non sine negligentia. Et, si legatur Decius, non Decii, sequentia uerba non congruent in hunc modum; Decius cum Latinis pro patria dimicantes se se hostium telis obiiciebant. Quòd si non modo illa uox Decii immutetur, sed etiam dimicantes, & obiiciebant, ut legatur, Decius dimicans obiiciebat, nimia erit mutatio. Nunc ad fabulas ueniamus.

In Tuscul. legitur; Fertur etiam de Sileno fabella quædam, qui cum à Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione

dedisse

dediſſe ſcribitur, docuiſſe Regem, non naſci hominem longe optimum eſſe, proximum autem quàmprimum mori. An uero, inquit Sigonius, quiſquam deteriora illa putabit, quæ ſunt in cõſolatione perſcripta? Sileni quæ fertur fabula idem certe confirmat, qui captus à Mida miſsionem doctrina redemit; docuit autem regem, nunquam naſci optimum eſſe, ſed celeritatem mortis proxime accedere. Profectò aut ſum Leberide plane cæcior: aut recte video, hunc locum non poſſe dicendi ſplendore cum illo comparari. Illa enim melior eſt verborum coniunctio: hæc deterior. illa numeroſior: hæc minus ad aures cadẽs. illa elegantior: hæc minus elegans. Conferamus membra. Fertur etiam de Sileno fabella quædam. Sileni quæ fertur fabula, idem certe confirmat. Nonne aures ſatis dijudicant, illud eſſe rotundius? Nonne melius eſt incipere à pæane priore tantopere apud Ariſtotelem in clauſularum principijs celebrato, quàm à ſpondeo? Nonne nitidior vox fabella, quam fabula? Qui cum à Mida captus eſſet. Qui captus à Mida. Illud certe, quàm hoc plenius. Præterea quàm eleganter illud? Hoc ei muneris pro ſua miſsione dediſſe ſcribitur, docuiſſe Regẽ. Quàm frigide hoc? Miſsionem doctrina redemit: docuit autem Regem. Omittitur enim Hoc muneris, id eſt, Hoc munus, quod magnam habet elegantiam: & dicitur miſsionem redemit duriuſcule: ac pro verbo Docuiſſe ponuntur duæ uoces, Doctrina, & Docuit. Doctrina, ideſt, ipſo docendi actu. Dixiſſet Iulius Cæſar Scaliger, Doctione, voce ab ipſo formata per ſimilitudinem: quia Cicero dixit Rectionem. Non naſci hominĩ longe optimum eſſe: proximum autem quàmprimum mori. Nunquam naſci optimum eſſe: ſed celeritatem mortis proxime accedere. Ibi exprimitur Homini. hic ſimpliciter, Nunquam naſci. In fine autem clauſularum laudatur magis iambus alternis aptus ſermonibus, quàm pæan prior, incipiendis, non finiendis clauſulis accommodatus, vt docet Ariſtotèles libro tertio Rhet. Exiſtimo igitur melius Ciceronem, deterius imitatorem eam fabellam expreſſiſſe. Item ibi ſcriptum eſt; Simile eſt quiddam in conſolatione Crantoris. ait.n. Tirenæum quendam Elyſium, cum grauiter filij mortem mæreret, veniſſe in Pſychomantium quærentem, quæ fuiſſet tantæ calamitatis cauſſa. huic in tabellis tres eiuſmodi uerſiculos datos.

si narra

paragoniamo

inno, ode uersa

accomodato a ragionamenti scambievoli

Ignaris homines in vita mentibus errant.
Euthymus potitur fatorum munere læto.
Sic fuit vtilius finiri ipsiq;, tibiq;.

In consolatione uero, inquit Sigonius, ut breuius, sic quodammodo elegantius, Sed Crantor noster patri filij mortem ægerrime ferenti responsum ait datum esse in Psychomantio, filio suo bene, beateq; esse, vtiliusq; futurum fuisse, si etiam pater pari ratione fatis concessisset. O mirum ingenium, vere oratorium, quod etiam humilia extollit. Vt breuius, sic quodammodo elegantius? quæ nam est ista maior elegantia? An uero quisquam erit alius præter Sigonium, quem magis ex ingenio, quàm ex animi sententia loqui arbitror, qui dicat hoc, quàm illud elegantius esse? Breuius quidem hoc, sed non elegantius, vbi etiam de latinitate, nedum elegantia dubitatur: illud uero illustrius, dilucidius, suauius.

Quod ad versus attinet, in Tusc. sic legitur; Nec tam flebiliter illa canerentur.

Hæc omnia vidi inflammari:
Priamo vi vitam euitari:
Iouis aram sanguine turpari.

Notaueram mutatam esse vocem euitari in vocem auferri. Sigonius id conatur defendere in hunc modum; Quid? nonne idem alias hoc quoq; fecit, & quidem ita, vt dubitari de vitio haud possit? Nam in secundo de finibus versum Sophoclis recitauit, Quod eiulatu, questu, gemitu, referens ad saxum: in Tusculana vero secunda, Qui eiulatu, questu, gemitu, referens ad Philoctetam. Neq; vero solum hac libertate vsus est in alienis, sed etiam in suis. Siquidem in Pisonem dixit, Concedat laurea laudi: at de officijs, Cocedat laurea linguæ. Respondeo, doctissime Sigoni, hæc non esse similia: quia nõ sunt deprauata, sed ad rem Ciceronis accommodata: illud vero deprauatum Auferri, pro Euitari. Nam præter quàm quòd verbum euitari grauius est antiquitatem redolens pro Eripi, si dicatur auferri pro euitari, tollitur pulchritudo similiter desinentium in duabus syllabis, Inflammari, Euitari, Turpari; quam figuram ille Poeta adhibuisse ad illustrandum videtur.

Ac multas quidem sententias imitator leuiter immutauit, & aliquantulum deprauauit: ex sententia vero Sigonij quædam

dam

dam meliora fecit, atq; inter cetera illud, quod est in prima Tuscul. ex Apologia Platonis; Necesse est enim sit alterum de duobus, vt aut sensus omnino mors omnes auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quamobrē siue sensus extinguitur, morsq; ei somno similis est, qui non nunquam etiam sine visis somniorum, placatissimam quietem affert: dij boni, quid lucri est emori? aut quàm multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur, cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis? quis me beatior? sin uera sunt, quæ dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas qui è vita excesserunt, incolunt; id multo iā beatius est: Hæc tota sententia in consolatione sic expressa est; Necesse est aūt sit alterum de duobus, ut aut sensus penitus oēs mors auferat: aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quòd si morte sensus extinguitur, obitusq; noster ei somno similis est, qui nonnunquam ēt sine uisis somniorum placatissimam quietem affert; quid lucri est emori? aut quod oīno tēpus reperiri potest, quod ei tempori anteponatur, cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis ætatis? Sin migrationem malimus esse mortem in eas oras, quas è uita profecti incolūt; quid optabilius, &c. Hic uero, inquit Sigonius, eadem ad uerbum omnia: sed illud, ut dissimilius, sic ad latinæ linguæ consuetudinem aptius; Quòd si morte sensus extinguitur. Quorsū enim illud, Siue? Quis Latinorum unquam dixit? Siue, sin. At primum ne eadem quidem sunt ad uerbum omnia, etiam si facta sit leuis mutatio. præterea nonne illud uidetur mirum, quòd optimus Latinitatis auctor aberrasse à latinæ linguæ consuetudine significetur? Cur non potius excusatur, quòd si illud esset uitium, Platonis uitium esset, cuius uerba idem sonant? Solent enim auctores aliquid incipere, & postea, aliquot interiectis, illud prius deserere, & aliud sequi; quemadmodum fecisse Cicero uidetur libro tertio de finibus in hunc modum; Ceteræ philosophorum disciplinæ (omnino alia magis, alia minus, sed tamen omnes, quæ rem ullam uirtutis expertem aut in bonis, aut in malis numerant) eas non modo nihil adiuuare arbitror, neque affirmare, quo meliores simus, sed ipsam deprauare naturam. Quomodo enim illa nexa sunt, Ceteræ disciplinæ, eas non arbitror? Sed factum est, ut dixi. Sic apud Plato-

nem,cum dictum eſſet, Siue ergo nullus remanet ſenſus, & multa interiecta eſſent, poſtea deſertum eſt illud ſiue, quod alterū requirebat, & dictum, Sin autem mors eſt tamquàm tranſmigratio quædam hinc in alium locum,& quæ ſequuntur. quod Ciceronem uoluiſſe exprimere puto, cum Platonis uerba ſub perſona Socratis latine conuerteret; imitatorem autem noluiſſe,quia nulla habita mentione nec Socratis, nec Platonis, illa uerba,quamuis paulliſper immutata, ſua faciebat. Quod ſi nō recipiatur,cur non potius librariis, quàm Ciceroni id uitii tribuitur? cur non facili mutatione mendum, ſi modo mendum eſt,tollitur,ut legatur uel,Si ſenſus,pro,Siue ſenſus,uel,Siue uera ſunt,pro, Sin uera ſunt?Cur tam facile imitator etiam,ſi diis placet,in latinæ candore Ciceroni præfertur,cui ne dignus quidem foret, qui matellam porrigeret? Atque ſi uera,& probabilia afferimus,cur dicimur oblatrare?non enim oblatramus,quia nondum furem uidimus, ſed adhuc modeſtiſſimum aduerſarium, cui potius gratiæ ſunt habendæ, quàm crimina obiicienda.

De locis autem aliorum ſcriptorum imitatione expreſſis tres adduxeram Mureti; quorum duos priores Sigonius ne attigit quidem: ſed tantum nulla ipſius Mureti facta mentione, fortaſſe,ne meum errorem detegeret, qui putarem Muretum, non Ciceronem modum imitandi dediſſe, imitationem primi loci cum pulcherrimo Ciceronis loco contulit, illamque huic antepoſuit. De poſtremo autem dici non poteſt, quantas Tragœdias excitauerit. Mihi uero, ut opinionem meam tuear,uerba imitatoris cum uerbis Mureti ſunt conferenda,& uidendū, uter vtrum ſuperet. Quòd ſi imitator apparuerit Mureto inferior,non erit dubitandum,quin multo magis ab ipſo Cicerone latinæ eloquentiæ prope deo ſuperetur. Muretus igitur ſic ſcribit; Quid iam illos turbines, illas procellas, illas tempeſtates ciuilium diſſenſionum commemorem? Imitator ſic; Quid fugam Marii,quid cetera,quæ in illius diſceſſu acciderunt, maxime luctuoſa,ſummeque miſeranda commemorem? quid reditum illū ſanguinarium, cuius ex recordatione nemo eſt, qui non intimis ſenſibus exhorreſcat? Non nominat ille Marii diſceſſum,nec reditum, quia ad rem ſuam non pertinet: ſed tantum illos turbines,illas procellas, illas tempeſtates ciuilium diſ-

ſenſio-

ſenſionum,& quidem præclarius,quàm imitator,quæ in illius diſceſſu acciderunt maxime luctuoſa, ſummeq; miſeranda,& reditum illum ſanguinarium. Mur. Quibus non unus, aut alter præclarus,& ſalutaris Reip. ciuis perculſus eſt,ſed ipſi aceruui, ipſa millia immortalitate dignorum hominum nefariis hominum conſceleratiſſimorum manibus trucidata iacuerunt. Imit. Quàm multos ex illa Reip. tempeſtate commemorare poſſumus innocentiſſimos homines, atque optimos, ut acerbiſſimam calamitatem effugerent,libertatem morte quæſiſſe? Non ſolum illud elegantius,quàm hoc,ſed etiam probabilius. Mur. O acerbum illud, & uel Romani nominis hoſtibus miſerabile ſpectaculum. Imit. O acerbum,ac nemini non pœnitendum Reip. ſtatum,conditionemque uiuendi. De uoce pœnitendum plura etiam,quàm in priore iudicio noſtro ſcripſimus,alias dicemus. Mur. Cum paſſim per uias immanium gladiatorum in principes ciuitatis debacchabatur furor. Imit. Tenemus enim memoria,aut ſaltem ex patrum ſcriptis accepimus, crudeliſſimam omnium cædem illo tempore eſſe factam. Nonne illud rem ponit magis ante oculos, & eſt illuſtrius? Mur. Cum qui aliquando Reip. præſidio fuerant,eis nullum in ciuitate præſidium reperiebatur. Imit. Cum eos ipſos,qui Remp. ſuo labore, ſuoq; ſanguine auxerint,iuuerint,ſeruauerint, nuſquam tutos, nihilq; magis,quàm propinquorum manus, ac gladios timentes,horreſcenteſq. uideas. Nonne illud & breuius, & rotundius? Mur. Cum quorum eloquentia ipſis gloriæ,aliis admirationi,Reip. ſaluti fuerat,eorum ex illis ipſis roſtris, è quibus tã ſæpe concionati erant, inciſis ceruicibus capita ſanguinolenta pendebant. Imit. Trucidatos bonos uiros,& ciues,inciſas eorum ceruices,in Roſtriſq; poſitas,qui multorum ciuium ſalutẽ & dignitatem eloquentia peperiſſent. An uero quiſquam hæc uerba illorum numeroſæ elegantiæ anteponet? Quòd ſi præclarius,elegantius, probabilius,magis latine,illuſtrius, breuius, rotundius, numeroſius, omnino melius loqui uidetur Muretus,quàm iſte imitator; quid cenſendum eſt de limine,& lumine,& flumine,& fulmine ipſius eloquentiæ Cicerone? Tametſi ergo Sigonius maximo ingenio, atque induſtria ſua res minimas reddere maximas, ut optimi oratores ſolent,& cauſſam inferiorem,inſtar Protagoræ,efficere ſuperiorem poteſt: tamen

nunc mihi non persuadebit, uerba istius imitatoris, quæ ne Mureti quidem cum elegantia possunt merito comparari, illustrissimo etiam loco librorum Ciceronis de oratore esse anteferenda, & tantum eloquentiæ lumen continere, ut potius diuinitus, quàm humanitus, prolata esse uideantur. Quod uero attinet ad ultimum Mureti locum, (nihil enim attinet de secundo dicere) non nego Muretum quoq; imitatum fuisse Ciceronem in secundo de finibus: sed illud, uniuersas funditus ciuitates, quod ex Mureto expressum est, scribente, Integras funditus ciuitates, non autem ex Cicerone, qui uocem, funditus, non habet, nihilq; loquitur de ciuitatibus, fecit, ut putarim, auctorem consolationis imitatum esse Muretum, non Ciceronem. Quid erat igitur, vir clarissime, cur tantas mihi Tragœdias ea de re excitares? Cur etiam Ciceronem ab inferis excitatum contra me loquentem induxisti, qui semper eum tam ueneratus sum, quàm qui maxime? Iam uenio ad caussam fragmentorum.

IIII. Scripsi tria de fragmentis insertis, imitatorem ea illo ordine intexuisse, quo digessit Sigonius, quædam interposuisse, quæ non esse Ciceronis uidentur, nonnnlla addidisse, alicui fragmento repugnantia: quæ qualia sint uideamus.

Equidem Sigoniũ tanti semper feci, quanti debeo, uirumq; ingenio, ac doctrina præstantissimum existimaui: nunquam tamen in animum induxi, eum esse eiusmodi, qui tamquàm uates fragmenta diuersissimis in locis, à scriptoribus maxime diuersis citata, quo ordine in libro, qui nondum extaret, posita essent, potuerit diuinare. Nam ea fere omnia colligere, difficile quidem est, & non nisi eius, qui omnes ueterum libros, quos habemus, summa diligentia volutarit; sed tamen eiusmodi, qđ laboribus, & vigilijs posse effici videatur, præterea in maxima eorum confusione aliquem ordinem excogitare, & aliqua priora, alia posteriora, quædam media ex ingenio facere, doctissimi, ac perspicacissimi uiri esse, qualem Sigonium confiteor, non est dubitandum. At, qui ea ordinet ita, ut in nullo prope eorum, quantum ad ipsum ordinem, erret, & quam liber amissus continuationem, seriemque rerum habuerit, perfecte, absoluteq; seruet, deum esse mea quidem sententia, non hominem, oportere, aut certe diuinitus afflatum existimo; qualem fuisse

Epi-

Epimenidem Cretenſem Ariſtoteles libro tertio Rhetoricæ ſcriptum reliquit, qui non de futuris, ſed de præteritis, quæ ob ſcura eſſent, diuinationis auctoritatem habuit. Hac ipſa de re uel ipſe mecum ſentit Sigonius. Singulari nimirum, inquit, uel diuino potius homine nobis opus eſt, qui tam longe reſpiciat, ut quæ facta ſunt, omnia præſtanti quadam animi ui, atque uirtute conſpiciat. Qui ſi fuit aliquis unquam, Cres ille Epimenides, ſi fabulis credimus, extitit. Non noſtrorum temporum, non noſtrorum morum, non huius occupatæ uitæ, non huius imbecillæ ætatis, eſt tanta ad præterita ſubodoranda ſagacitas. Hæc ille; qui tametſi alibi confitetur, ſe cum Patritio uaticinii expertem eſſe: tamen hoc in loco non recuſat, quominus ipſe habeatur ille diuinus homo, illaque ſagacitate præditus, tam acriter fouens ordinem à ſe excogitatum, qui, qualis ſit, alias conſiderabimus. Tantum confitetur ſe quædam fragmenta non præmonſtraſſe, eoque argumento oſtendere conatur, cum ſua auctoritas, ſuumque iudicium non omnino retentum ſit, ſed alia etiam adhibita fuerint, quæ ipſe non uiderit, librum eſſe Ciceronis. Sic enim argumentatur; Non ſit Cicero, quia Sigonii auctoritatem, iudiciumque ſecutus eſt; ergo Cicero erit, ſi quod fragmentum Ciceronis expreſſerit, quod non præmonſtrarit Sigonius. At ſi hoc fatentur, prout fateri neceſſario debent, habemus, quod uolumus. Egregie. Quid? ſi conſecutionem negemus, & non omnino neceſſarium habeamus, quod ipſe uult, confiteri. Nam uerum eſt antecedens, nō eſſe Ciceronem, qui eum Sigonii ordinem retinuerit, quem ipſe prorſus, & omni ex parte uere non potuit diuinare, etiam ſi ex ingenio formauerit: non tamen ſequitur, imitatorem fore Ciceronem, ſi ſeruato præſcripto Sigonii aliqua interiecerit, quæ poſt illas primas eius, & Patritii obſeruationes fuerint obſeruata; quemadmodum idem Sigonius illud interiectum notat, quod commemorat Seneca de tranquillitate uitæ; Hoc ſi uerum eſt, dubitari non poteſt, quin, quemadmodum populus Rom. in muneribus publicis inuiſos habet gladiatores, qui omni modo uitam impetrare cupiunt, fauet iis, qui contemptum eius præ ſe ferunt, itidem Dii immortales, &c. Sic enim legitur apud Senecam; Gladiatores, ait Cicero, inuiſos habemus, ſi omni modo uitam impetrare cupiunt: fauemus, ſi contemptum

eius

eius præ ſe ferunt. Quid? ſi commonſtrem clariſſimum locum, unde & Seneca,& imitator iſte huiuſmodi ſententiam acceperit, putabitur ne hoc eſſe fragmentũ Conſolationis, quod ne Seneca quidem dicit ſe ſumpſiſſe ex conſolatione, quodque unde ſumptum ſit, poteſt luce clarius apparere? Audiamus uerba illuſtriſſimæ pro Milone orationis; In gladiatoriis pugnis,& in infimi generis hominum conditione, atque fortuna timidos, & ſupplices,&, ut uiuere liceat, obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus; fortes,& animoſos, & ſe alacriter ipſi morti offerentes, ſeruare cupimus; eorumque nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam nõ requirunt, quàm, qui illam efflagitant. Quod autem ait, alterum fragmentum neque ab ipſo, neque à Patritio demonſtratum, citari à Petrarcha libro decimo Senilium, uereor, ut illi poſſim concedere. Sic enim legitur in Conſolatione; Nemo ſuorum funera experitur, cui non aduerſa multa ante contigerint. Cur igitur grauiora, uel certe æque grauia fortiter paſſus, cum maxime occalluiſſe, & ad dolorem nouum obduruiſſe deberet, deſpondeat animum, ſeque mœrori tradat? Apud Petrarcham; Me tenuit meæ reſpectus ætatis. nam cum virum, tum præcipue ſenem flere mortalia, turpe eſt, quem tempore,& caſuum obſeruatione ſimilium contra omnes inſultus obduruiſſe (vtar peculiaribus Tullij verbis) atque occalluiſſe conueniat. Nam primum illa ſententia de grauiora paſſis eſt contrita,& à multis vſurpata, vt non magis poſſit dici deſumpta eſſe ex Ciceronis conſolatione, quàm ex Virgilio, uel alijs. Deinde tametſi Petrarcha affirmat, illa duo verba Occalluiſſe, atque Obduruiſſe, peculiaria eſſe Tullij: tamen id poteſt facere, non, quia ipſa viderit in Tullij conſolatione, cuius exemplar ei fuiſſe, nuſquam apparet: ſed, quia legerit in alijs locis ipſius Tullij, ut Occalleſcere in epiſt. ad Att. Obdureſcere plurimis in locis, ut magis potuiſſe imitator illa exprimere ex Petrarcha, quàm ex conſolatione Ciceronis uideatur. Iam de nonnullis agamus inter illa, quæ ſunt Ciceronis, interiectis.

Secundum fragmentum eſt ex Lactantio, Luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines. In conſolatione; Humanæ uitæ incommoda ita diligenter,& accurate expreſſit, ut quaſi luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines, & in hanc lucem ingredi,

poſſis

poſsis agnoſcere. Notaui additam eſſe uocem Quaſi ex Sigonio ſic ſcribente, Miſerias hominum mihi uidetur deploraſſe, qui quaſi luendorum ſcelerum cauſſa in hāc uitam prodierint. Notaui quoq; additum eſſe illud, Et in hanc lucem ingredi, tamquàm gloſſema illius uocis Naſci. At Sigonius conatur demonſtrare, huiuſmodi uocem referri non ad illud, Luendorū ſcelerum, ſed ad illud, Poſsis agnoſcere, nec à ſe deſumptā eſſe, etiam ſi ea uſus ſit, nempe ut doceret, ſe migrationem illā animorum ex corporibus in corpora non probare, quam illi conſtituerunt, qui homines luendorum ſcelerum cauſſa naſci dixerunt, neq; enim illam cum fide Chriſtiana conuenire, ut pluribus Lactantius in eodem loco diſſerit. Addit, ut ſe purget, ſi deforme ſit, ſe huic ſententiæ adiunxiſſe Quaſi, etiam Ciceroni probro tribuendum eſſe, quòd in Lælio peruerſe Empedoclis ſententiam recitauerit. Ego uero, libere ut dicam, quod ſentio, illam explicationem ſubtiliorem, quàm ueriorem exiſtimo. Nam niſi uox Quaſi referretur ad illud, Luendorum ſcelerum, perplexa nimis oratio eſſet, nec negaret Sigonius, poſſe eam ſic referri, niſi defendere imitatorem uellet ab additione eius ipſius, quæ apud Lactantium non inuenitur, nec erat ponenda, ſi referenda eſſet ad illud, quod Lactantius non habet, Poſsis agnoſcere. Sed uideat, an hoc ſit explicare, & non ſententiam diſtorquere. adeoq; imitatoris amicus eſt, ut defendendi eius cauſſa, uel in recenſenda Ciceronis opinione intelligi uelit, vocem Quaſi de ſuo additam eſſe, propterea quòd Chriſtianus ſit, id quod durum eſſe arbitror: vel vitio Ciceronis in Lælio peruerſe Empedoclis ſententiam recitantis ſuum ipſius vitium excuſet, quod ego nullum exiſtimo; quaſi vero id ſit excuſare, & non potius duos ſimul criminari. Præterea ſcribit, vt Cicero ornandi cauſſa adiunxit de ſuo, Nec in hos ſcopulos incidere vitæ, quod teſtatur Lactantius: ſic poſtea, eum ornandi gratia adiecisse, Et in hanc lucem ingredi. At Sigoni, pace tua dixerim, id ſimile non uidetur, ſiquidem Cicero ad illud, Non naſci longe optimum, adiecit, Nec in hos ſcopulos incidere uitæ, ut cauſſam quodammodo afferret, cur eſſet optimū non naſci, ne ſcilicet in hos uitæ ſcopulos incideretur. Naſci uero, & in hanc lucem ingredi, fere idem uidetur. præterquàm quòd non ſatis appoſite illud adiectum uidetur, quia ſi luendo-

rum scelerum caussa nascuntur homines; potius in tenebras miseriarum, quàm in lucem felicitatis ingrediuntur. Septimi fragmenti sententia ita cohæret, ut ipsum integrum agnouerit Lactantius,& cum Lactantio Sigonius, atque Patritius. Cum autem multa interiecta sint, quæ interijcere necessarium non erat, notaueram inde fieri coniecturam posse, hoc opus Ciceronis non esse. Quarum rerum, inquit Sigonius, facilis sane est, atque expedita defensio, nimirum enim prætermisit Lactãtius, quia caussam suam non adiuuabat, neque integram paginam explicare sine aliquo disputationis emolumento uolebat Deesse Sigonius, Patritiusq; non sensit, quia uterq; expers uaticinij fuit, atque ipsi Lactantio credidit, auctor uero adhibuit, ut rationem redderet eius, quod dicere cœperat, se uelle exemplum ueterum in consecranda filia consectari, & ut sermonis ad Tulliam conuersionem inferret,& ut, quod Attico se facturum ostenderat, solueret, de Tullia Græcis litteris, Latinisq; celebranda. Vltima uero fragmenti pars, quæ apud Lactantiũ imperfecte legitur, in consolatione est cum illustri accessione, & emendatione. Nunquam satis Sigonij ingenium admirari possum, qui tam subtiliter, ac copiose ratiocinetur. At quemadmodum, si Lactantius suis uerbis Ciceronis sententiam recensuisset, ei quodammodo licuisset ea tantummodo commemorare, quæ ipsi placerent, & relinquere, quæ ad rem suam non pertinerent: sic recitans propria eius uerba, si decurtata recitare uoluisset, id mihi sine dubio uidetur aliquo modo fuisse indicaturus. Cum autem id non indicauerit,& omnia coniunctim recensuerit, merito Sigonius,& Patritius putauit nihil interiectum, meritoq; ei credidit, quem ad unguem commemorasse, id quod erat Ciceronis, nulla ex parte decurtatũ, uerisimile erat, auctor uero nouæ consolationis illa de suo interiecit, huiusmodi immutationibus delectatus. Nec necesse habuit addere caussam, cur exemplũ ueterum uellet consectari: nam id oĩbus patet, ueterum uestigiis esse insistendũ,& ipsam ponere ueterum rõnem sufficiebat, Quòd si ullum aĩal consecrandum fuit, illud profecto fuit, nempe animal rationis, & diuinitatis particeps, qui uocatur homo. Nec necessaria fuit illa sermonis ad Tulliã conuersio. Neq; eo modo soluitur, q͂d Attico promissũ erat, sed solutum esse significatur. Nec ultima

pars

pars fragmēti in consolatione est bene aucta,& emēdata,immo potius deprauata. In meo aūt Lactantio typis Aldinis impresso, illud non legitur,quod uulgo haberi Sigonius notat,Sicut profecto fuit. Atque si non legatur,ut apud Lactantium, Quòd si ullum unquam animal consecrandum fuit, illud profecto fuit; cuius loci sententia est, si alia animalia fuerunt consecrata,multo magis eum honorem homini debitum fuisse: sed,ut in ista consolatione,Quòd si ullum unquam animal consecrandum fuit,qualia multa consecrauerunt Aegyptii, quod nullum profecto fuit: nimis discedetur à uerbis, quæ recitat Lactantius,cuius auctoritati multo magis,quàm huic controuerso libro credendum arbitror, ut illa accessio, illudq; emendationis studium magis rei nouitatem mihi declaret.

Ad ultimum meum de fragmentis argumentum nihil prorsus respondet Sigonius, quod mihi breuiter repetendum uidetur, cum in eo solo tota uictoriæ spes constitui merito posse uideatur. Testatur enim Lactantius diuersum fuisse Ciceronē in consolatione tum ab aliis,qui alios consolati sunt, tum à se ipso in aliis locis,propterea quòd alii semper fortunam depresserint,unam uirtutem extulerint,& ipse semper fortunam à se esse superatam professus sit:at,cum charissimam filiam amisisset,uictum se à fortuna turpiter confessus sit. Age uero, quomodo turpiter,Firmiane,si primum quidem in suo de consolatione libro Cicero tam graui accepto uulnere, plane dolore perculsus,atque afflictus,quod initio uiris quantumuis sapientibus solet euenire,nihil habuisset,quod diceret,nisi quod legitur in ista consolatione,Cedo,& manum tollo (cuius fragmenti,& aliorum omnium connexio fortasse non est ita celebris,ut dicit Sigonius) sed statim postea ostendisset, ut ex eadem apparet,se præceptis sapientiæ aduersus omnem fortunæ uim cōfirmatum,& filia consecrata,in cœlumq. recepta, tanta affectū esse uoluptate,ac lætitia,ut exultauerit, uictorq; de fortuna triumphauerit? Minime uero,uidetur respondere Firmianus,minime ita est,idque repugnat Ciceronis facto, qui omnino fortunæ cessit, & manum sustulit, nec statim postea ita resipuit, ut exultauerit,uictorque triumphauerit de fortuna, sed fortunam rerum omnium dominam agnouit, seque ab ea prorsus superatum esse confessus est. alioquin ego ansam non habuis-

ſem eius ipſius reprehendēdi,tāquàm turpiter ſe gerentis,&mi ſerius,quàm deceret,iacentis,ſi initio quidem dolore oppreſſus cesſiſſet aliquantiſper fortunæ,illico autem reſipuiſſet,&de fortuna triumphaſſet.Sic enim nec ab aliis, nec à ſe ipſo in aliis locis,differret,qui fortunam deprimeret,ut alii fecerant,ſeq. eius uictorem eſſe,ut alibi profeſſus erat,gloriaretur.Quid ais, doctiſſime Sigoni? credendum ne eſt Lactantio in eum modū Ciceronis factum, eaq; de cauſſa ipſum reprehendenti: an ſpreta Lactantii auctoritate,tamquàm eius,qui non intellexerit,uel noluerit intelligere, cum ille prius naturæ humanæ imbecillitate deiectus fortunæ manus dediſſet, deinde ſtatim rationis ſtimulis excitatus ſe fortunam uiciſſe gloriatus eſſet, eum potius fuiſſe laudandum,quàm reprehendendum; habere fidem debemus iſti imitatori,qui Lactantium delirare , & maleuolum eſſe omnia in deterius trahentem, iſta ſua imitatione oſtendit? Materiam uero Sigonius exaggerat fragmentorum. Quòd ſi nihil aliud Rhetorica ad Alexandrum ab Ariſtotele ad Anaximenem traduxit,niſi fragmentum unum, nempe ſeptuplex cauſſarum diuiſio,quam Quinctilianus Anaximeni attribuit; &nihil aliud Rhetorica ad Herennium Cornificio tradidit,quàm figura Traductio,cuius idem auctorem Cornificium fecit: multo magis tam multa fragmenta à Lactantio,aliiſq. prolata, ius cōſtituere Ciceronianæ induſtriæ debeant. Ego uero,ut de fragmento Anaximenis taceam obſeruato primum à uiro erudiţiſſimo Petro Victorio, obiter aduerſus Sigonii exaggerationem dico,quod alias quoque ſcripſi, Quinctilianum non unā figuram Traductionem,ſed res quindecim de Cornificio notaſſe , quæ omnes de auctore ad Herennium ueræ ſunt ; primo loco, enthymema,quo pugna conſtat,à Cornificio contrarium appellari: ſecundo,uocem liberam,atque effrenatiorem ab eodem licentiam nominari: tertio, in multis caſibus poſitum traductionem nuncupari: quarto, definitionem inter figuras uerborum connumerari: quincto, interrogationem: ſexto,ratiocinationem: ſeptimo,ſubiectionem:octauo,translationem:nono, occupationem: decimo,ſententiam: undecimo,membrum:duodecimo,articulum : decimo tertio , interpretationem : decimo quarto, concluſionem inter eaſdem figuras recenſeri : decimo quincto integrum librum de elocutione ab ipſo Cornificio conſcriptum

ſcriptum

ſcriptum eſſe. Dixit igitur Sigonius, unam ſiguram Traductionem ex Cornificio à Quinctiliano citatam eſſe, non, quòd alia loca non uiderit uir in litteris oculatiſſimus, ſed, ut cauſſæ ſuæ ſeruiret. Extrema de rebus reſtat reprehenſio, quæ ad exempla pertinet clariſſimorum uirorum, quam pro uiribus breuiter refellam.

V. Obſeruaueram imitatorem ordine præpoſtero prius egiſſe de Xenophonte, quàm de Pericle, quemadmodum etiam prius de Q. Fabio, quàm de Puluillo, cum tamen ueriſimile ſit ex ordine temporum, primum Periclem, deinde Xenophontē laudatum fuiſſe, ut Puluillum quoque ante Q. Fabium, quo ipſo ordine uel Di. Hieronymus nominauit. Adhuc autem mihi uideor ſatis Sigonii ictibus reſtitiſſe. Vtinam in hoc extremo rerum congreſſu, quo de hiſtoriis decertamus, conſiſtere in meo præſidio poſſim. Quid ait igitur ſummus noſtrorum temporum hiſtoricus, omniſq; hiſtoriæ tum græcæ, tum latinæ clariſſimum lumen Sigonius? Neque Cicero hoc loco temporis ordinem, ſed diſputationis ſeriem, nexumq. reſpexit, ut qui non hiſtoriam, ſed conſolationem ſcribere, nec facta, ſed præcepta, litteris prodere inſtituerit. Nec S. Hieronymus exempla Ciceronis exacte ſibi recitanda, ſed rem tantum indicandam conſtituit. Neque omnia. Neque eodem ordine protulit. Neque idem, cum Periclem propoſuit, eum ſe à Cicerone ſumpſiſſe, ſed à Græcis oſtendit. O ſtrenuiſſimum litteraturæ militem, immo potius præſtantiſſimum ducem, qui tam multos ictus una continuatione infigat. At, quod attinet ad temporis ordinem, quamuis hiſtoria non ſcribatur: tamen ita diſtinguendū uidetur, ut dicatur, aut diſputationis ſeriem, nexumq; ferre, ut is ordo ſeruetur: aut non ferre. primo modo eum ſeruandum eſſe, ut fecit Cicero poſt reditum ad Quirites ſe ipſum cō parans primum cum P. Popillio, deinde cum Q. Metello, poſtea cum C. Mario: ut fecit in prima Catilinaria, commemorans primum P. Scipionem (nam quòd prius non nominauerit Q. Seruilium Ahalam, ex nimia antiquitate ſe excuſauit) deinde L. Opimium: inde C. Marium: ut fecit item pro Milone, nominans primo loco Ahalam Seruilium, ſecundo P. Naſicam, tertio L. Opimiū, quarto C. Marium, quincto ſenatum Rom. in cōſulatu ipſius: ut fecit pluribus aliis in locis. Altero modo

cum

cum omitti posse, ut omisit idem pro Milone, tunc cum P. Africanum ante Ahalam Seruilium, & ceteros commemorauit, hac scilicet ratione, quòd, cùm dicto alicuius grauissimi uiri probare uellet in ipsa de homine occiso quæstione, quandoq; iure factum esse defendi, P. Africani de Ti. Graccho responsum ad id uisum est maxime accommodatum, priusquàm aliorum facta celebrarentur; eamq; distinctionem afferimus, non, ut semper ita faciendum esse, sed, ut plerunq;, contendamus; & idcirco notaueramus uerisimile esse, primum Periclem, deinde Xenophontem nominatum fuisse, quia plerunq; ita fieri soleat. Iam uero cur disputationis series, & nexus non ferebat, ut ordo temporis non seruaretur? Nullam enim caussam uideo, cur non potuerit Pericles in ea ipsa materia, quæ agebatur, ante Xenophontem nominari. Quod dicit S. Hieronymum exempla Ciceronis exacte sibi recitanda non constituisse: quo modo id nouit? Neque omnia protulisse: vnde apparet? Neque eodem ordine recensuisse: quis ei id aperuit? An vero, quia istam simulatam consolationem pro vera habet, tam tuto argumentatur? Mihi vero verisimile uidetur, S. Hieronymum Ciceronis studiosum, cum illa scribebat, habuisse præ manibus ipsius Ciceronis consolationem, & multo melius potuisse recensere omnia, quàm iste fecerit imitator. præterea non dixi Di. Hieronymum à Cicerone sumpsisse Periclem, sed Xeno phonti præposuisse. Nec prorsus negaui Harpagum, Dionem, Prexaspem ab ipso Cicerone cõmemoratos esse, sed quia huiusmodi consolationem suspectã habebam, scripsi id mihi certum non esse. Si ipse aliunde exploratũ habet, proferat testimonia: sin minus, non debet profecto tantũ confidere istius consolationis auctoritate, nisi prius, eã esse Ciceronis, oĩbus ꝑsuadeat. Addit, mirũ non esse, si meminerit Cœpionis, Lepidi, & C. Cottæ, de quibus se dubitare significauit, cũ Atticum consuluit, quia dubitauit re incognita: affirmauit perspecta: consuluit, cum hærebat: scripsit, cum exploratũ habebat. quis nam deus ita factũ esse ei declarauit? tantum ne credit isti imitatori, ut omnia, quæ ipse narrauit, pro certissimis habeat? Non est autem par ratio de L. Tubulo: nam libri de finibus nemini suspecti sunt, in quibus exemplum ipsius Tubuli, capto prius consilio, ab Attico positum est: hic uero eam apud plerosque suspicionem habet, ut, nisi

nisi appareat aliis auctoritatibus ea exempla fuisse à Cicerone celebrata, non tam facile ob unam istius imitationis auctoritatem id credi debeat. Fieri enim potest, ut uersutus imitator ea uoluerit recensere, ut ob rerum, quæ alibi non inuenirentur, nouitatem facilius lectores falleret. At Seneca, inquit Sigonius, in sua consolatione Rutiliæ factum iisdem uerbis, quibus hic, prodidit, quod est firmissimum argumentum ad ostendendũ, hunc librum Ciceronis esse germanum. Non est tam firmum, Sigoni. Nam primum non iisdem uerbis, ut tu dicis, sed aliis prodidit. Verba Senecæ sunt in libro de consolatione ad Albinam matrem; Rutilia Cottam filium secuta est in exilium, & usque eò fuit indulgentia constricta, ut mallet exilium pati, quã desiderium: nec ante in patriam, quàm cum filio, rediit. Eadem iam reducem, & in Rep. florentem tam fortiter amisit, quàm secuta est: nec quisquam lachrymas eius post elatum filium notauit. in expulso uirtutem ostendit, in amisso prudentiam. Nam & nihil illam à pietate deterruit, & nihil in tristitia super uacua, stultaque detinuit. Verba imitatoris sunt; Nihil iam Rutiliam miremur, quæ C. Cottam filium in exilium secuta, cum postea reuersum in patriam amisisset, nemo eam lachrymantem post elatum funus uidit. Deinde fieri potest, ut & Seneca à Cicerone hoc exemplum acceperit: non nego, etiam si id ex uerbis Senecæ non appareat, & hic imitator à Seneca sumpserit, quemadmodum etiam alia. Verisimile enim est, priusquàm istam conficeret imitationem, eum inter ceteros Senecam legisse, qui eandem rem tractat. Quare vnde, quæso, ducis eam, quam tantopere iactas, argumenti tui firmitatem? Cum autẽ is pro sua sapientia multa asseuerantius statuat; ego pro imbecillitate ingenij mei, quæ in litterarum studiis sentio, cũ opus est, explico, nec tamen (vtar enim verbis Ciceronis) quasi Pythius Apollo, certa vt sint, & fixa, sed vt homunculus vnus è multis probabilia coniectura sequens: vlterius.n. quò progrediar, quàm, vt verisimilia videam, non habeo: certa dicent ij, qui & percipi ea posse dicunt, & se sapientes esse profitentur. ideoq;, vt in ceteris, sic quoq; in superioribus exemplis pertractandis dubitanter egi, verisimilia quædam esse scripsi, nõnulla ita mihi videri, aliqua mihi non esse certum à Cicerone fuisse tractata, de quibusdam, incertum esse, quid Cicero statuerit,

rit, me putare quosdam à Cicerone omissos esse: propterea quòd in maxima opinionum uarietate, vix quidquam reperiri arbitror, quod affirmari posſit, nihilque difficilius esse, quàm veritatem attingere. Nam, tametsi grauissimus omnium auctor tradidit Aristoteles, animum humanum posse fieri omnia, quatenus scilicet omnium species recipit, nempe per intelligentiam ea, quæ intelligi possunt, & per sensum ea, quæ sensu comprehendi possunt; hominemq; naturaliter scientiam desiderare (qđ desiderium, quamuis omnium rerum sciendarum, cum sine dubio naturale sit, superuacaneum esse haud videtur) tamen illud fortasse verum existimari debet, si animus in se, & sua simplici natura spectetur, ac respiciatur ea, quæ in vniuersum habetur, cognitio, non quæ rerum est singularum. Socrates vero, Democritus, Anaxagoras, Empedocles, nihil sciri putarũt: idemq; Democritus veritatem in profundo demersam esse dixit: & Arcesilas ne illud quidem sciri posse existimauit, quod sibi exceperat Socrates: & ipse quoq; Arist. ignorantiam esse magis propriam hominis, quàm scientiam, quandoq; testatus est: & Themistius scripsit, maiorem partem eorum, quæ scimus, minimam esse ad ea, quæ ignoramus; vt dicere cum doctissimo Mureto mihi liceat;

Vera immortales norunt. Mortalibus ægris
Si tenuis veri luceat aura, sat est.
Deniq; opinari nostrum est: at scire deorum:
Tolle procul fastus turba superba tuos.

Hoc igitur pulcherrimum sapientissimorum institutum dũ consector, vt vix quidquam affirmem; ansam quidem præbeo Sigonio mei ipsius reprehendendi, tamquàm nimis titubanter, ac timide agentis, nec satis mihi confidentis, vt ipse ait, quo iudicio præditus sim (relinquo.n.ei hanc gloriam, vt de argumẽtorũ firmitate glorietur) sed non idcirco de victoria despero.

Adhuc autem me satis præstitisse arbitror, quod initio promiseram, vt meas de rebus, quæ in simulata sunt consolatione coniecturas confirmarem, ac clarissimi reprehensiones aduersarij refellerem. primum enim ostendi, sententiam in principio istius consolationis positam contra præceptum Arist. sua

ratione

ratione indigere,& quamuis probabilis eſſet, quòd ab Hippo. à Platone, à Chryſippo approbaretur, tamen ei rationem addendam fuiſſe: ſed illorum auctoritate minime probari,& falſam eſſe. Secundo loco docui vituperationem ſenectutis in hoc libro factam mire repugnare ijs, quæ in Catone maiore ſcripta ſint. Tertio demonſtraui, multa, quæ in Ciceronis libris legantur, fuiſſe in hunc translata,& leuiter immutata, ac plerunq; deprauata, nonnullaſq; hiſtorias, fabulas, uerſus,ſententias deterius commemoratas, ac Muretum quoq; (videte, quàm res ſit antiqua) imitatione expreſſum eſſe, ſed deterius expreſſum. Quarto Sigonianum ordinem in eodem libro perpendi; fieri non potuiſſe argumentatus ſum,vt Sigonius omnia prorſus fragmenta ſuo ordine digeſſerit; probaui, cum omnia ex Sigonij præſcripto expreſſa ſint, cenſendum eſſe,potius librum noui alicuius auctoris eſſe, quàm Ciceronis; quædam nonnullis fragmentis addita eſſe aperui; atque, ſi concluſa ita fuiſſet Ciceronis conſolatio,ut ita eſt,Lactantium expoſui non reprehenſurum fuiſſe Ciceronem, quemadmodum reprehendit. poſtremo confirmaui, exempla quædam clarisſimorum virorum ordine perturbato narrata eſſe,& nonnulla commemorata, quæ, incertum eſt, an Cicero in ſua poſuerit conſolatione. Quæ cum ita ſint,quid eſt,quòd iudicium à me factum tantopere reprehendatur? Iam vero non Sigonius, quem ſtudio gratificandi, vel paradoxi defendendi ad hanc cauſſam adductum eſſe exiſtimo, ſed ceteri reprehenſores noſtri, torqueant ſeſe,quantum velint;huc,atq; illuc fluctuent,laborent,deſudent:nunquam tamen reperire poterunt rationē, qua hunc librum Ciceronis eſſe omnibus perſuadeant: maxime vero,quia non ſolum res,de quibus adhuc egimus, verū etiam verba ipſa Ciceronis maieſtati minime conuenire videantur. Quod alia diſceptatione demonſtrabo.





ANTONII RICCOBONI, DE CONSOLATIONE EDITA SVB NOMINE CICERONIS,

Tertia Disceptatio.



CVM multa alia ueteres ſcriptores, qui eruditis Romanorum temporibus floruerunt, diſtinguunt à recentioribus, qui Romano iam lapſo imperio, atque oppreſſa impetu Barbarorum Italia aliquid conſcripſerunt: tum nihil profecto magis, quàm linguæ latinæ ratio. Illi enim putarunt, nullum habere uerborum delectum, nec curare, quomodo animorum ſenſa exprimerentur, dicendi ne lumiuibus, an ſordibus orationis, hominis eſſe, ut ſcriptum reliquit Cicero, intemperanter abutentis & ocio, & litteris: hi parum admodum in uerbis ſibi elaborandum exiſtimarunt, unamque intelligendi, non etiam loquendi gloriam perquiſiuerunt. Ac inter ueteres quoque illos non nulla fuit latini ſermonis diſſimilitudo, quòd hæc lingua ſuos habuerit gradus, ſuaque i ncrementa, & tunc maxime uigere uiſa ſit,

sa sit,cum& Terentius,& Cæsar,& Cicero,& siqui alii fuerunt eiusmodi,optimi Latinitatis auctores scriptioni studuerũt; ut, quẽadmodũ illi,quos cascos appellauit Ennius,rudius quodã modo locuti sunt,sic,qui post Terentii,Cæsaris, Ciceronis tẽpora fuerunt,non nihil discessisse ab huius sermonis candore uideantur.Nulla autem certiore, aut insigniore nota meliores scriptores à deteriorib. discernuntur,quàm, quòd illi exactius hi minus exacte locuti esse existimentur ; illi in elocutione accuratiores,hi minus accurati iudicentur; illi ornatiores, hi minus ornati putentur. Præclare Socrates , is, qui uel Apollinis oraculo sapientissimus est appellatus , cum hominem quendã decorum,& eleganti forma conspicuum , omnibusq; corporis ornamentis præditum,diutius tacentem intueretur, Loquere, inquit,utte uideam,significans scilicet uir clarissimus , ex ipsa potissimum locutione homines esse considerandos . Tanta autem fuit Ciceronianæ dictionis maiestas,tantus splendor,tanta elegantia,& munditia,ut non modo superiores omnes superasse,sed posteris etiam omnibus spem melioris, elegantioris, aptioris, dignioris elocutionis in perpetuum uisus sit ademisse;à qua ceteri,maxime recentiores , longe recessisse existimantur, alii magis,alii minus, prout quisque diligenter , uel negligenter Ciceronianum stylum,optimum latine dicendi effectorem , & magistrum,obseruauit.Quantum uero discesserit is, qui consolationem editam sub nomine Ciceronis conscripsit,cum ego conatus essem ostendere,ut ex hoc scilicet firmissimo argumẽto perspiceretur,an illa esset Ciceronis,nec ne : Carolus Sigonius,uir maximo ingenio, ac doctrina præditus,miris Tragœdiis excitatis,contendit,nec me,nec alios,qui elocutionem istius consolationis minime esse Ciceronianam putarunt, uerum putasse; ac gratulatur huic maxime sæculo superbum nostrarum aurium,aut animi iudicium,qui pauca quædam uerba fastidiamus,nosque temeritatis accusat , quòd falsum temere simulauerimus.Quamobrem operæ precium est uidere, quomodo id ipse,ut pollicetur,demonstret. Si enim apparuerit, ut fore arbitramur,nos uera sensisse,ipsumque,quod scripsimus,distorsisse,& ad rem suam traxisse , ut falsum ex ingenio probaret ; simul constabit, nostrarum aurium , aut animi iudicium , non superbum,ut ipse liberius appellat,sed uerecundum,&cautum

 fuisse

fuisse, nō audacter, quæ Ciceroniana nō sunt, Ciceroniana esse asseuerans, sed ea religione utens, quæ prudentibus lectoribus conuenit; nec nos fuisse, ut idem ob libertatem, & licentiam, quam in nos habet, scribit, temerarios simulatores, sed ipsum potius hominem callidum, uersutum, & ueteratorem, qui tam bene ueritatem occultet. Cum autem illud dicendi genus; Castos animos, & puros, leni quodam, & facili lapsu ad Deos, id est, ad naturam sui similem peruolare; non ego, sed alii, ut parum Ciceronianum accusarint; aliorum, non mea, sit responsio. Quoniam uero locum illum; Cupiditates insatiabiles exoriuntur, quibus non modo singulos homines, sed totas familias, & uniuersas funditus ciuitates euersas uidemus; superiori proxima disceptatione nostra perpendimus; ne illum quidem amplius attingemus, sed illa tantum tria, quæ in priore nostro iudicio scripta sunt, pro uiribus defendemus, quædam esse in ista consolatione minus Ciceroniana, alia minus proprie dicta, non nulla minus latina. Prius uero quàm ad Sigonianam controuersiam accedam, danda mihi hæc uenia est, accommodata huic caussæ, eloquentiæ studiosis, quemadmodum spero, non molesta, ut breuiter non nullis respondeam, qui, cum mecum apud illustrissimos quosdam uiros de ista consolatione differerēt, dicere, si diis placet, ausi sunt, in eo, qui artem oratoriam profiteretur, in qua admirabilem extitisse Ciceronem omnibus compertum est, elocutionem non fuisse admodum considerandam, & rem esse parui ponderis, ac momenti, propterea quòd non sit, ut recentiores philosophi loquuntur, de essentia Rhetoricæ, sed extra Rheoricā, & Rhetoricæ aduentitia. Noc sic doctissimus Sigonius, cuius se esse sectatores profitentur, sed in hunc modum; Delectus ipse verborum, vt fontem, sic laudem omnem eloquentiæ continet: neq; orator alia re magis quàm verborum splendore, ac copia commendatur. Quam quæstionem tametsi alibi pertractaui: tamen hic quoq; mihi attingendam duxi, vt elocutionem, vnde etiam eloquentes nomen habuerunt, à natura eius artis, in qua eloquentes versantur, istis etiam reclamantibus, non esse alienam ostendam. Ac scripsit quidem Aristoteles in procemio libri primi artis Rhetoricæ, solam fidem, id est, solum enthymema, continere id, quod artificiosum est: alia vero

addita-

additamenti esse loco; vnde colligunt, solum enthymema constituere essentiam huius artis: cetera uero, vt affectus, mores, dispositionem partium, elocutionem, esse additamenta quædam. At statim post definitionem Rhetoricæ tradidit, fidem, & persuasionem Rhetoricam duplicem esse, unam non artificiosam, vt testimonia: alteram artificiosam, vt argumentationes, affectus, mores: vnde perspicitur, in essentia artis Rhetoricæ non solum argumentationes, & enthymemata, sed etiam mores, & affectus contineri. Quod idem significauit, cum scriptum reliquit, Rhetoricam conflatam esse, tum ex Analytica scientia, tum ex Politica. illa enim argumentationum: hæc morum, & affectuum præcepta ipsi Rhetoricæ subministrat. Initio autem libri tertij docuit, tria esse de oratione præcipienda; vnum quidem, ex quibus ipsa fides sit, quæ spectatur in argumentationibus, moribus, affectibus: alterum verum de elocutione: tertium autem, quomodo conueniat ordinare partes orationis, id est, in essentia artis Rhetoricæ, quæ est de oratione, tria comprehendi, inuentionem argumentationum, morum, affectuum, elocutionem, dispositionem partium. Ex quibus Aristotelis locis non parua est dubitatio exorta de ijs rebus, quæ naturam, & essentiam Rhetoricæ constituant; vt modo solum enthymema id efficere dicatur: modo triplex artificium inuentionis: modo iuuentio, elocutio, partium dispositio. Mihi autem in hanc dubitationem acrius intuenti illud respondendum uidetur, quod etiam summis nostrorum temporum philosophis probari cognoui, Rhetoricam duobus modis posse considerari, aut absolute, aut per quandam relationem, & contractionem ad munus, & finem suum. Si absolute consideretur, solum enthymema in essentia eius reperiri, quod ab Aristotele corpus fidei nuncupatur. Si quatenus refertur ad auditores, qui præter argumentationes indigent affectibus, morata oratione, elocutione, partium dispositione, & quatenus contrahitur ad suum munus obeundum, quod est ornate dicere, & suum finem adipiscendum, qui est persuadere, in eiusdem essentia simul cum enthymematibus comprehendi non solum mores, & affectus, sed etiam elocutionem, & dispositionem. Id quod uidetur conuenire uerbis Aristotelis circa principium libri tertij, vbi agitur uel de actione, uel de elocutione in hunc

modum;

modum; Et uidetur esse res leuis, si recte existimetur. At cum ad opinionem tota Rhetorica traditio existat, eius cura suscipienda est, non tamquàm rei recte se habentis, sed tamquàm necessariæ. Quoniam iustum est, nihil amplius quærere circa sermonem, quàm, ut neque molestiam, neque iucunditatem afferamus. Iustum enim est, ipsis decertare rebus. Quare alia præter demonstrationem superuacanea sunt. Verumtamen multum ualent, ut dictum est, propter improbitatem auditorum. Hæc Aristoteles. Itaque si recte existimetur, & habeatur ratio rei, quæ recte se habeat, id est, si ars absolute, & secundum rectam naturam suam perpendatur, quæ requirit, ut attendantur tantum ea, quæ de re sunt, qualia existunt enthymemata, non ea, quæ extra rem, quales affectus, mores, dispositio, elocutio; profecto cetera leuia sunt, & superuacanea, præter demonstrationem, id est, enthymema, quod solum artificiosum est, cum cetera sint additamenta. Iustum enim est, hoc est, recta natura artis postulat, ut ipsis rebus, & rationibus decertemus, quas quia ueteres dicendi magistri non pertractarunt, sed tantum ea, quæ sunt extra rem, tradiderunt, idcirco exiguam artis Rhetoricæ particulam confecerunt, & in optimis iudiciis, quale fuit Areopagitarum iudicium, ubi oratores prohibebantur extra rem agere, nihil ualuerunt, ut in procemio libri primi scriptum est. At si necessitas inspiciatur, & Rhetorica consideretur, quatenus tota eius pertractatio refertur ad opinionem, & improbitatē auditorum, ac contrahitur ad exequendum munus oratoris, & finem consequendum, qui obtineri non potest, nisi simul cum argumentationibus affectus, mores, ordo partium, & elocutio adhibeatur, sine dubio præter demonstrationem, & enthymema, aliorum multorum, quæ multum ualent, cura suscipienda est, id est, alia multa sunt artificiosa, & in essentia artis posita, ut affectus, & mores, qui post Rhetoricæ definitionem aperte cum argumentatione artificiosi appellantur; & præterea elocutio, ac dispositio partium, de quibus in Rhetorica, tamquàm de rebus ad constitutionem Rhetoricæ necessariis, præcepta tradēda esse initio libri tertii scriptum extat. Iam, cum Rhetorica possit duobus modis considerari; & primo modo considerata in essentia sua elocutionem minime comprehendat, secundo modo comprehendat; tradit Aristoteles semper Rhetoricam

considerandam esse secundo modo, quia ad opinionem auditorum tota Rhetorica traditio refertur. ergo semper elocutio, ut recentiorum philosophorum uocabulo utar, essentialis Rhetoricæ debet existimari; dicant, quidquid uelint isti, qui dum fatētur, se, propterea quòd nullam unquam uerborum latinorum curam habuerunt, de elocutione latina iudicium facere non posse, simul fateantur, necesse est, dum agitur de operibus latinis, ueris, uel fictis diiudicandis, quorum ratio in ipsa potissimum elocutione consistit, ne carere iudicio uideantur, sibi tacendum esse.

Nunc longe mihi grauior de elocutione cum elocutionis obseruantissimo Sigonio pugna suscipienda est, & quidem triplex pugna; prima de uerbis minus Ciceronianis : altera de minus proprie dictis : tertia de minus Latinis. scripseram enim in hunc modum; Si nihil aliud haberetur, quod de hoc libro suspicionem faceret, elocutio ipsa, nostra quidem sententia, satis indicaret, eum Ciceronis non esse, in quo quædam uerba sunt minus Ciceroniana, quædam minus propriedicta, quædam etiam fortasse minus latina.

I. Ac laborat quidem Sigonius in eo ualde, ut ostendat singulos Ciceronis libros nouum aliquod uerbum afferre, quod non contineatur in aliis; ac egregie colligit singularia ipsius Ciceronis uerba, tum à Statilio, ut testatur Carisius, relata, Repentino, Rarenter, Stomachose, Salutariter, Stirpitus, Ostiatim; tum à Nonio obseruata, Condocefacere, Diloricare, Exantlare, Fortunare, Fluuionem, Colluuionem, Excandescentiam, Falaciloquentiam, Magniloquentiam, Superbiloquentiam, Infinitatē, Insulsitatem, Mulierositatem, Surditatem, excelsitatem, Purpurascere, Putiscere, Repuerascere, Vastescere, Veterascere: tum à Seneca notata, Reapse, Suauiloquentem, Breuiloquentem: tum à Quinctiliano commemorata, Beatitatem, Beatitudinem: tum à Sidonio exposita, Indolentiam, Essentiam: tum in fragmentis posita, Adiutorium, Consitura, Quotidiano, Anxitudo, Impigritas, Opprobrium, Captiuitas, Sanctitudo: tum in quibusdam orationibus & libris singulariter usurpata, ut pro domo Ignitus; pro Plācio Debitio; pro Sextio Mulionicus; ꝓ Cluētio Materiatus; in Rhetoricis testē Prisciano Mēsurus pro Menstruus; de Fato principalis; de Oratore, & in Tusculanis, Animi confisionē, &

Verba

Verba Anhelata; in Oratore,& officijs Adipatæ dictionis, & Turpificati animi. Hæc, inquam, uir clarissimus præclare: sed ad meum argumentum minime uidetur respondere, quod dictum est non à nouitate vnius, vel duorum vocabulorum in hoc libro adhibitorum, quæ in Ciceronis libris non reperiantur, sed à multitudine eorum, quæ Cicero nusquam fere, hic uero auctor in hac consolatione audacter vsurpauit. Itaq; cõfessus sum non esse absurdum, quod quoq; Sigonius probat, vt aliqua vox in uno tantum libro, & non in alijs vsurpetur: sed tam multas nouas in paruulo opere inueniri miratus sum; atq; inde suspicionem duxi, eum Ciceronis non esse. Sic .n. scripsi; Quæ minime Ciceroniana videntur ex eo, quòd alijs in locis Cicero illis vsus non sit, illorum si vnum, aut alterum tantum in hoc libro reperiretur, dici fortasse posset, non esse absurdum, vt aliquam vocem in uno tantũ libro,& non in alijs ipse vsurpauerit: sed, cum tam multa in tantulo libello repeṛiantur, nescio, quis sanæ mentis eum esse Ciceronis posit existimare; quasi nunquam Cicero occasionem habuerit vtendi huiusmodi uocibus, nisi in hac consolatione, uel sibi existimauerit, licere magis in hoc opusculo, quàm in aliis, adhibere uerborũ sordes,&, vt vocabulo vtar imitatoris, loquendi absurditates. Quid erat igitur, cur Sigonius in probãda re confessa immoraretur,& illud ipsum prætermitteret, in quo posita esset tota mei uis argumenti? Sed fit sæpe, vt qui de re nihil habet, quod dicat, artificiose aliquid extra rẽ agat. Quòd si illa Attica anus Theophrastũ illum, qui à diuinitate loquendi nomen inuenit, annotata vnius affectatione uerbi, hospitem appellauit: cur auctorem istius consolationis, obseruatis apud eum tam multis uerbis minime Ciceronianis, non à Cicerone diuersum existimemus?
At latina sunt certe quædam: sed non idcirco Ciceroniana. de quibus agit Sigonius permiste, ac confuse, ne quis, ut ipse ait, hoc huius, illud illius esse possit arguere: ego uero meum ipsius ordinem retinebo, ut, quæ contra me dicta sunt (pleraque enim sunt) quæ que contra alios, facile appareat. Ac prima quidem uox à me notata tamquàm non Ciceroniana, est Compago. Quid dicit Sigonius? Compago est Liuij, & Taciti. probe. non nego Sed est Liuii,& Taciti, ergo Ciceronis? Profecto non solum est Liuii,& Taciti, sed etiam Sigonii, qui in prima, quam ha-

buit

buit in Academia Bononiensi, oratione dixit; Hac infirma corporum compage. Non tamen video esse Ciceronis. Altera vero vox, Immerentes, de qua sic Sigonius; Immerentem dixit Terentius in Hecyra, & Suetonius in Tito. Id verissimum est. Sed dixit Terentius, dixit Suetonius, ergo dixit etiam Cicero? Nego consecutionem. Tertia Infeliciter, de qua ita ille; Infeliciter est Terentij, & Liuij. Itaq; vt Cicero alias dixit, Miser, & Infelix, si hoc loco, Misere, & infeliciter. Idem respondeo, quod etiam de superioribus, verum esse antecedens de Terentio, & Liuio, falsam consecutionem de Cicerone. Quarta Vagitus bis in ista consolatione vsurpata, quam notaui esse quidem Latinam, nempe Lucretianam, & Virgilianam, sed non Ciceronianam. Fingit tamen Sigonius, se dubitare, quid nam reprehenderim, vocem ne vagitus, an sententiam illam; In ærumnas, miseriasq; ingredientes, quid gratum, quid hilare aspicimus? qua re potius non offendimur? quod primus ille nascẽtium infantium vagitus, & eiulatus declarat. Itaq; vocem auctoritate Plinij, sententiam auctoritate Aeschinis in Axiocho comprobat; additq; sibi absurdum videri Ciceronem grunnitum suis dixisse, vagitum pueri dicere nequiuisse. At pespicuũ est, me vocem, non sententiam reprehendisse: nec nego illam vocem esse Plinij, & aliorum latinorum, sed dico non esse Ciceronis: nec contendo, utrum Cicero uoce uagitus uti potuerit, necne, sed usum esse inficior. Quincta elocutio non Ciceroniana est, Despondere animum; de qua ne ualet quidem illa consecutio; Est Plauti, Varronis, Liuij, igitur Ciceronis. Sexta uox, Indecentius, & Indecens, quam probat quoq; Sigonius esse Latinam, quia sit Martialis: sed non idcirco ostendit esse Ciceronianam. Septima Osor, quæ est Plauti, vt ipse ait: sed non ob id Ciceronis. Octaua Detractor, qua si usus est Tacitus, non idcirco Cicero. Nona Captiuitas, bis in isto libello adhibita, quam intelligo esse minus Ciceronianam, idest, minus, & rarius à Cicerone usurpatam, & quidem minus, si cum uocibus à Cicerone frequentatis comparetur, cum inueniatur semel in fragmento orationis pro Cornelio apud Asconium. Hanc unam prius ab alijs inter eas, quæ parum Ciceronianæ sunt, notatam probat quidem Sigonius unico exemplo esse Ciceronis: sed cum tam multas alias esse eiusdem demonstrare

non posſit, ob eam ſolam gloriari non debet. Decima, Lætabundus, de qua idem in hunc modum; Si porro Cicero læta bundum alibi non dixit: at huius generis alia dixit,ut in 2. de Repub. Cupido autem, & expetenti, & libidinoſo, & uolutabundo in uoluptatibus;& Saluſtius hiſtoriarum 3. apud Nonium; Vitabundus claſſem hoſtium ad oppidum peruenit. Vitabundus, inquit Nonius, id eſt, uitans; ut hic lætabundus, id eſt lætans; & Liuius ſæpe populabundus , ideſt , populans , ut inquit Gellius. Omnia fateor, hoc uno excepto, quòd Cicero dixerit lætabundum. Vndecima, Lacedæmones,quam ipſe Vegetij eſſe dicit, Ciceronis eſſe dicere non poteſt. Duodecima Abſurditas, quæ , ipſe magis oſtendit, quomodo nouari potuerit, quàm ubi à Cicerone uſurpata ſit; quem loquendi modum, ut is notat fuiſſe à S. Auguſtino lib.7.cap.33. de ciuitate Dei imitatione expreſſum: ſic ego contra fuiſſe ex S.Auguſtino ab imitatore ſumptum arbitror. Decima tertia Imperitia, quæ eſt quidem Saluſtij, ut idem tradit, ſed non ipſius Ciceronis. Decimaquarta elocutio eſt, quæ ad dictionem Cum uocem à littera N. incipientem contra præceptum Ciceronis nouies adiungit. ad quam meam obſeruationem euertendam omnes uires ſuas parat. At ego, inquit, idoneus ad nullã cauſſam ſim, ſi huic tam graui impreſſioni tam multas, ac tam magnas obijcere moles, ac quaſi machinas, neſciam, ut ipſam aliqua ratione auertam. Quid? ſi eum nihil proficere oſtendam? Sex enim hac de re dicit: primo loco Ciceronem hoc præcepto id uideri tantummodo monuiſſe, ne præpoſitionem Cum iungeremus cum uocibus inchoantibus à No,ne forte uideremur obſcene dicere Cunno ;idq; confirmat auctoritate Quinctiliani,& Priſciani. Quinctiliani enim uerba ſunt; Iunctura deformiter ſonat, ut ſi cum hominibus notis loqui non dicimus, niſi hoc ipſum Hominibus medium ſit , in præfata uidemur incidere, quia ultima prioris ſyllabæ littera, quæ exprimi, niſi labijs coeuntibus, non poteſt , aut interſiſtere nos indecentiſſime cogit,aut continuata cum inſequente in natura eius corrũpitur. Priſciani uero, Antiquiſſimi in plurali primæ perſonæ cacephati cauſſa ſolebant per anaſtrophen dicere, Nobiſcum, pro Cum nobis. Itaque propter hoc reliquarum quoque perſonarum ablatiuos ſimiliter præpoſtere proferre cœperunt,te-

ſte

ste Plinio, qui hoc in secundo sermonis dubij ostendit. Noluimus Cum me,& Cum te dicere, ne eidem computationi adiungendum esset, Cum nobis, sed potius Mecum, & Tecum, & Secum,& Nobiscum diximus cum præpositione,quæ facit obscenum, postposita. Addit Sigonius, recte dici Cum natura, quia etiam Virgilius dixit,Numerum cum nauibus æquat.Nec solum Cum natura, sed etiam Cum nullo,quia si ex his Cunna,& Cunnul fecerimus, nihil turpe dicturi simus. Secundo loco, quando dictum est, Cum nostro vulneri medeamur, Cũ neminem ipsa morte commoueri debere, proditum sit, Cum nec ipsi quidquam acciderit mali, Cum nihil nisi rectum cogitaret; id totum longe dissimile apparere, ipsumq; Ciceronem sic interdum locutum esse, vt in Lælio, Cum ne id quidem: in 2. de off. Cum nec necessitati: in 3. de legibus, Cum nullo magistratu iuuante diem tolli vtile est;& Poetas quoq; hoc vitium non seruasse, aut certe non declinasse, sed Pomponium dixisse apud Gellium, Cum nihil egi:& Plautum in Captiuis, Cum nulla vitæ meæ salus: & in Menæchmis, Cum negabas: & in Sticho, Cum nihil, quamobrem faciam: & Terentium in Andria,Cum nihil obsint doli:&Horatium in sermonibus,Cũ nil procedere lintrem. Tertio veteres grãmaticos differentiam facere inter Cum præpositionem,&Quum aduerbium;ut si dicatur,Quum na,Quum ne,Quum ni,Quum no, nihil offensionis sit,modo hæc uox ita,ut oportet,& scribatur, & edatur. Quarto ipsum,cum hæc scribebat,nondum eam partem Oratoris composuisse, in qua hæc tam subtilia præcepta dabat, quia eodem anno,licet non iisdem fortasse consulibus, utrunque opus in manibus habuit.Quincto, ipsum præ doloris magnitudine suorum præceptorum memoriam abiecisse. Sexto,si qua in hoc corpore eiusmodi uulnera cernantur, eandem huic opem adhibendam esse, quam ceteris Ciceronis monumentis docti uiri iampridem adhibuerunt,in quibus addendo, detrahendo,ac mutando,omnia uitia sanauerunt.Addunt septimum quidam Sigonii amici,uiri eruditissimi,eiusmodi uitium uitandum esse in orationibus,quæ ad populum habeantur, & cum oratores uulgo loquuntur,ne scilicet populus eam audiens cacophoniam in risum,& sibilum conuertatur: scriptionis uero aliam rationem esse,quæ cum doctis proponatur, grauiora sci

licet attendentibus, & ad hæc leuiora conniuentibus, minus exacta esse posse ipsis uidetur. probant autem interpretationem suam uerbis ipsius Ciceronis, quæ sic se habent; Quid? quòd uulgo dicimus Cum illis, Cum autem nobis non dicimus? Vulgo dicimus, id est, inter populares loquimur, non ad litteratos scribimus. illi enim ne leuiora quidem ferunt: hi leuiora non curant. O subtilitatem omnibus admirandam, & perspicacitatem in coniectandis scriptorum sensis prope incredibilem. Sed ad singula respondeamus. Ac si primum quidem uerum est, sequitur auctorem non recte dixisse, Cum nominis sui gloria, quia præpositio Cum iuncta est cum uoce inchoante à No. Quamquam ei concedere non possum, ut præceptum illud tã strictim intelligatur, cum obscenitas repræsentetur non solum si dicatur Cum no, sed etiam Cum ni, Cum ne, & similiter. Auctoritas enim Quinctiliani generatim probat inter dictionem Cum, & uocem inchoantem à littera N, siue sit syllaba Na, siue Ne, siue Ni, siue No, siue Nu, aliquid interiiciendum esse, quia in dictione Cum littera M, quæ exprimi, nisi labiis coeuntibus, non potest, aut intersistere nos indecentissime cogit, aut continuata cum insequente in natura eius corrumpitur, quæ ratio ualet pro qualibet uoce incipiente à littera N, & dictioni Cum adhærente; ac notat deformitatem aut intersistendi, aut corrumpendi litteram M, dum mutatur in N. Præterea auctoritas Prisciani, quamuis agat tantum de uitato cacephato, cum dictum est Nobiscum pro Cum nobis, non tamen idcirco admittit alia cacephata. Nec excusatur Cum natura, quia Virgilius dixerit, Cum nauibus. Nam & ibi cacephatum esse notauit Seruius. Et non solum Cum natura non excusatur, sed ne Cum nullo quidem, quia obscenitas est in concursu litterarum uocem obscenam quodammodo repræsentantium. Ad secundum respondeo: si dicatur, Cum nostro, Cum neminem, Cum nec, Cum nihil, tantum abesse, ut id totum sit longe dissimile, ut potius eandem habeat obscenitatem: & ne me quidem negasse, Ciceronem interdum sic locutum esse, sed uim argumentationis in eo posuisse, quòd Cicero non sæpe, hic uero auctor sæpe huiusmodi obscenitate sermonis usus sit. scripsi enim in hunc modum; Vt uitaretur uocis turpitudo, Cicero raro admodum in eam coniunctionem incurrit. Tertium euertitur,

quia

quia siue præpositio Cum, siue aduerbium Quum iungatur cum voce inchoante à littera N, obscenum facit. Nam si dicatur, Quum nos te uolumus conuenire, Quum aduerbium est, & tamen teste Cicerone ad Papyrium Pætum, obscenitatem habet. Quare iste auctor non solum in talem Cacophoniam incidit, scribens per præpositionem, Cum nullo dolore, Cum nullo doloris sensu, Cum nominis sui gloria, Cum natura: verum etiam per aduerbium, Quum nostro vulneri, Quum neminem, Quum nec, Quum nihil nisi rectum, Quum nihil nisi quod rectum. Quarti facilis, & expedita solutio est, quia ut ipse, cum hæc scribebat, nondum eam partem Oratoris cōpo suisset, in qua hæc tã subtilia præcepta dedit: non est tamen verisimile eum ignorasse, tale vitium vitandũ esse. Quinctum repugnat illi, quod scriptum est in priore Sigonij oratione ad hunc modum; Magnificum, ac splendidum orationis apparatum à Tullio in consolatione sua fuisse adhibitum, docet Lactantius lib. 1. cap. 15. Non puto illum tam varie, tam copiose, tam ornate scribere potuisse, nisi luctum eius, & ratio ipsa, & consolatio amicorum, & temporis longitudo mitigasset. Eundem uero etiam in hac, quæ reprehenditur, enitere, omnes profecto probabunt, qui singulas comprehensiones orationis huius notabunt, quæ adeo inter se aptæ, atque ornatæ sunt, ut illud pro meo iure ausim asserere, ipsum semet interdum uideri superauisse. Sextum reiicitur, quòd nimis difficile sit tam multa uulnera sanare. Ad septimum, quod est aliorum amicorum nostrorum, potest responderi, accuratiorem oportere esse elocutionem scriptionis, quàm publicæ dictionis, teste Aristotele libro 3. Rhetoricæ, qui tradit elocutionem scriptionis exactissimam esse debere, & longe accuratiorem, quàm contẽtionis: idcircoque elocutionem demonstratiuam, tamquàm scriptioni accommodatissimam, exquisitius studium requirere, quàm deliberatiuam, & iudicialem. Quod si ita est, sequitur, quæ uitia uitanda sunt in publica dictione, ea multo magis uitari debere in scriptione, ut si, cum publice dicitur, non licet dicere Cum nobis, ne offendantur aures auditorum, multo minus liceat scribere, ne lectores, qui solẽt esse morosiores, acrius intuendo, uel pronuntiando, quæ legunt, inueniant, quod sibi displiceat, & scriptorem inscitiæ, uel negligentiæ condemnent.

Quid?

Quid? quòd cum Cicero illud præceptum tradebat, sine dubio scribebat, & tamen in scriptura sua id uitium uitauit, cum scripserit; Quia si ita diceretur, obscenius concurrerent litteræ, ut etiam modo, nisi Autem interposuissem, concurrissent? Non solum igitur in orationibus, quæ ad populum habentur, sed etiã in scriptionibus fugere, quod obscenum uidetur, debemus: de quo non est dubitandum, cum litteras nominet obscenius concurrentes, quæ aperte de scripto intelliguntur. Obiter autẽ notaueram in eo loco; Credamus sane Apollini Delphico, qui exoratus à Trophonio, & Agemede, à quibus templum magnifice Apollini exædificatum Delphis erat, ut quod esset optimũ homini, tribueret, post diem tertium exanimes sunt inuenti; dictum fuisse, Apollini exædificatum, pro, Ipsi exædificatum; nõ quòd damnarem earundem uocum repetitiones, quæ uenuste fiunt, cuiusmodi sunt illæ Ciceronis, quas citat Sigonius, sed quia ibi uox Apollini non satis pulchre mihi repetita uideretur. de quo aliorum sit iudicium. Iam ad minus proprie dicta accedamus.

II. Tres elocutiones in persona Ciceronis improprias esse notaueram: duas magis Christianis, quàm Ciceroni congruentes, aliam dogmati Platonis, quod ipse sequebatur, minime respondentem. Primam, Ad futuram uitam, tamquàm ad patriã euolare: alteram, Præfinitum esse uitæ terminum à Deo, quem præterire, aut ex quo egredi nemini liceat: tertiam, Animum simul cum homine interire. Quid facit Sigonius? In prioribus duobus locis sententiam, non uerba attendit, & idcirco ordine meo relicto eos considerat, ubi sententias perpendit, & non uerba, conaturque demonstrare, absurdi nihil esse, si qua in re ipse cum Christiana Theologia consensisse dicatur, quòd ut Deus legem Hebræis dedit, sic philosophiam Græcis ad Christum impertiit, & Plato consensit cum Mose; Platonem uero Cicero secutus est. At ego non laboro de sententia, quæ potuit esse eadem & Ciceronis, & Platonis, & nostrorum Theologorum, vt animi, cum è corporibus excesserint, si fuerint casti, puri, integri, incorrupti, bonis etiam studijs, atq; artibus expoliti, in cœlum, quemadmodum etiam in priore iudicio scripsi, tam quàm in domicilium suum peruenirent; vtq; animal vnũquodque ab ortu fatale viuendi spatium in se ipso contineret, quod

legi-

legitur in Timæo. Sed quæro de elocutione, ubi nam Cicero eam vitam, quæ post mortem habetur, appellauerit, vt recentiores Theologi, patriam; vbi nam dixerit præfinitum esse vitæ terminum à Deo, qui præteriri non possit, quæ elocutio ex propheta Iobe videtur sumpta. Id si ostenderit Sigonius, de eo amplius non controuersabimur. Idem quæro de tertia elocutione, ubi nam apud Ciceronem legatur, Interire animum cum homine, de qua sic ille; Cum verò vitio vertunt, quòd dixerit, Animum simul cum homine interire, interpretantes animum cum animo mori, quòd homo ipse sit animus, argutius loquuntur aliquanto, quàm verius. Etenim cum dicimus hominem mori, nonne intelligimus, mori partem eius mortalem, nempe corpus? nimirum. ergo qui dicit, animum interire cum homine, inquit animum interire cum corpore. Siquidem dixit in prima Tusculana; Neque excessu uitæ sic deleri hominem, vt funditus interiret. & Plato in Phædone; Num eodem die animus deletur, quo homo moritur? Hic quis est tam agrestis, indoctiue ingenii, qui animum cum animo extingui interpretetur? Hæc Sigonius; qui tamen, quod mihi obiicit, ipse facit, ut argutius agat, quàm uerius. Nam quod dicit, hominem mori nihil aliud esse, nisi mori partem eius mortalem, nempe corpus, & idcirco interpretatur animum interire cum homine, id est, animum interire cum corpore; id quàm uerum sit, potest apparere ex definitione mortis allata à Platone in Gorgia in hunc modum, Mors est animi, & corporis dissolutio; quam definitionem significauit Cicero in prima Tusculana, cum scripsit; Sunt, qui discessum animi à corpore putent esse mortem. ergo hominem mori non est simpliciter corpus interire, sed animum à corpore dissolui; nec, qui dicit animum interire cum homine, inquit animum interire cum corpore, sed nugatur. Quod autem citatur ex prima Tusculana, non est simile: est enim proprie dictum, ut intelligatur, Neque excessu uitæ, id est, morte, & ipsa animi, ac corporis dissolutione sic deleri hominem, id est, animum (probat enim animos remanere post mortem, & uidetur hominem pro animo nominari) uel etiam hominem, id est, totum compositum ex animo, & corpore (sic enim etiam ex doctrina Platonica quandoque accipitur homo, vt modo considerabimus) vt fun-

ditus

ditus interiret: est enim animus immortalis,& vna cum corpo re non interit. Nec est simile illud Platonis in Phædone : nihil .n.habet,quod minus proprium sit, idest, Num eodem die extinguitur animus, quo fit animi,& corporis dissolutio ? Nam profecto hoc in loco,vbi homo accipitur,non, vt in Alcibiade primo, pro solo animo,sed pro toto composito, si quis interpretaretur,quo homo moritur, idest, quo animus moritur,esset, vt dicit Sigonius, maxime agrestis, indoctiue ingenij. Sed quis est iste, qui tam absurde interpretetur? Restat, vt nonnullis alijs,maxime ingeniosis, responso meo satisfaciam,qui meã hac de re obseruationem reprehenderunt, dicentes, apud Platonem triplicem esse hominem, vnum in idea, alterum animũ tantum, tertium compositum ex animo, & corpore. Itaque si de tertio homine Platonico sermo habeatur,non improprie dici, animum interire cum homine. Addiderunt, intelligi posse animum cum homine,scilicet cum corpore : propterea quòd in Biblijs sacris accipiatur homo pro corpore, vbi legitur;Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ: & inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ & factus est in animam uiuentem. At debuerunt homines acutissimi considerare , cum tripliciter apud Platonem homo accipiatur in secunda significatione hominem à Cicerone, cum uera hominis natura exquireretur, acceptum fuisse , ut probauimus ex lib. 6. de Rep.& ex 1. Tusc. ex qua significatione scripsi,interire animum cum homine esse,interire animum cum animo,& hoc modo absurde,& improprie dictum. Præterea , si de tertio etiam homine Platonico agatur,esse nugatorium dicendi genus , ut dicatur , interire animum cum homine, id est, cum animo, & corpore, quæ animi repetitio nugatoria est. Postremo cum in Biblijs sacris large accipiatur homo etiam pro homine exteriore,& corpore, eam acceptionem si non ibi, at certe apud Ciceronem , de quo agimus,& apud philosophos minus propriam esse , ut sacrarum litterarum auctoritas præter rem , & extra propositum, dum agitur de propria Ciceronis elocutione, adduci uideatur. Nunc uenio ad minus Latina .

III. Ac primum declaro, me minus Latina dupliciter intellexisse, uel comparate, minus,& rarius à Latinis usurpata, etiã si fortasse apud nonnullum scriptorem inueniantur: uel simpliciter,

citer, non vſurpata. His enim duobus modis accipi Minus Grammatici docuerunt. Iam primo ſenſu ſcripſi, Filio ſuo pro Filio eius eſſe minus Latinum. Negari enim non poteſt, pronomen Suus ſua ſuum fere cnm ſuppoſito conuenire, ut apud Catullum;

Nam ſe præcipue in ſuis vrbibus colit ora.
Helleſpontiaca ceteris oſtreacior oris.

Vocem vero Eius, vel Eorum cum appoſito, vt apud Ciceronem pro Milone; Milo fit obuiam Clodio ante fundũ eius. Atque is loquendi modus plurimis Latinorum exemplis confirmatur, & ad ſermonis perſpicuitatem maxime pertinet. Neque eſt, cur Budæo paucis quibuſdam exemplis, maxime vero, ſi cum communi Latinorum vſu conferantur, Vallam reprehendenti, facile aſſentiamur: ratio enim eloquentiæ requirit, vt non, quod raro, ſed, quod ſæpe vſitatum ſit, attendatur. Eoq; minus aſſentiri debemus, ꝙ non oĩa, quæ citat Ciceronis exẽpla, prorſus ſatisfaciũt. Suus.n., vt idẽ tradit, non modo proprium ſui ipſius, ſed ẽt ꝓpriũ ſignificat. De hac ſecunda ſignificatione non dubitamus, ex qua poteſt accipi illud pro Cœlio; Videor iecíſſe fundamenta defenſionis meæ, quæ firmisſima ſunt, ſi nitantur iudicio ſuorum, id eſt, propriorum Cœlij. & illud pro Rabirio de Cæſare; Nec illius animi aciem præſtringit ſplendor ſui nominis, ideſt, proprij. & illud pro Roſcio Amerino; Sua quenque fraus, & ſuus terror maxime vexat: ſuum quenque ſcelus agitat, ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæque animi terrent. & de Aruſpicum Reſponſis; Sua concio riſit hominem. & de officijs; Expendere oportet, quid quiſque habeat ſui. id enim maxime decet, quod eſt ſuum cuiuſque maxime. In prima ſignificatione dicimus huiuſmodi pronomen referendum eſſe ad ſuppoſitum, ſiue ſit ſuppoſitum aliorum modorum, ſiue infiniti modi; ex qua ſine dubio corrigendum videtur illud ſimulati Ciceronis in ſimulatum Saluſtium; Quòd ſi vita iſtius memoriam vicerit, illam Patres Conſcripti non ex oratione, ſed ex moribus ſuis ſpectare debetis. Dicendum enim eſt, Ex moribus eius, non ex moribus ſuis, vt mores Saluſtij ſignificentur. Cui rei non aduerſatur illud exemplum quartæ Philippicæ; Quod autem erat præſidium ſalutis, libertatiſq; veſtræ, ſi C. Cæſaris, fortisſimo

rumque ſui patris militum exercitus non fuiſſet? ſuppoſitum enim eſt exercitus C. Cæſaris: & ad hoc refertur Patris ſui, id eſt, patris proprij ſui ipſius Cæſaris. Nec illud, quod legitur in epiſtola ad Octauium; Sin autem ſupra ætatem, ſupra conſuetudinem, ſupra etiam mortalitatem tuam tibi ſunt omnia tributa, cur aut ingratus crudeliter, aut immemor beneficij ſui ſcelerate circumſcribis ſenatum? illa enim epiſtola ſuſpecta habetur, quaſi non Ciceronis: vt etiam illa oratio in Saluſtium: quam ſuſpicionem confirmat quoque Paullus Manutius, à quo correcti libri ita habent: AD OCTAVIVM EPISTOLA, quam Ciceronis eſſe vix credimus. Confirmat ſimiliter Dionyſius Lambinus; qui in emendationibus ſuis notauit; Incerti auctoris epiſtola ad Octauium: non eſt enim Ciceronis. &, Hæc epiſtola non eſt Ciceronis, ſed Declamatoris alicuius. Accedit, quòd in melioribus contextibus, vt in Aldinis, non eſt vox Sui. & Lambiniani habent in margine, Tui. Nec illud ad Att. Denuncio tibi eum abſolutum iri, neque patronis ſuis tam libentibus, quàm accuſatoribus: quod refertur ad ſuppoſitum infiniti, id eſt, patronis proprijs ſui ipſius. Nec illud item ad Att. Conſules flagrant infamia: quòd C. Memmius candidatus pactionem in Senatu recitauit, quam ipſe ſuus competitor Domitius cum Conſulibus feciſſet. refertur enim ad illud ſuppoſitum C. Memmius, & intelligitur ipſe proprius ſui ipſius C. Memmij competitor; quemadmodum etiam poteſt intelligi illud in libris de finibus, Epaminondas quæſiuit, ſaluus ne eſſet clypeus: cum ſaluum eſſe flentes ſui reſpondiſſent; rogauit, & reliqua: nam refertur ad ſuppoſitum, Epaminondas, id eſt, proprij ſui ipſius Epaminondæ. & illud quoque ad Att. Plura nobiſcum hic perhonorifice, & amice Octauius, quem ſui Cæſarem ſalutabant, Philippus non. quod refertur ad ſuppoſitum Octauius, id eſt, proprij ſui ipſius Octauij. Quamobrem illis multis, quæ dicit Sigonius, Ciceronis exemplis, à Budæo allatis, non impedior, quominus exiſtimem in iſta Conſolatione minus recte dictum eſſe Filio ſuo pro Filio eius. Sigonius tamen, quia id ad rem ſuam pertinet, Budæum ſe ſequi profitetur: & non nulli alij grauiſſimi viri ſe à me diſſentire præ ſe ferunt, quòd nihil putent intereſſe, vtrum Filio ſuo, an Filio

eius

eius dicatur, qui conſentire cum clarisſima Aldina domo uidentur. Nam Paullus quidem Manutius vir apprime litteratus, explicans illud de Pompeio in oratione pro lege Manilia; Qui extrema pueritia miles fuit ſummi imperatoris; ſcribit, Patris eius, non Sullæ: dux enim, non miles ad Sullam profectus eſt. At ego ab eo diſcrepo, non ſolum, quia dicit Patris eius loco Patris ſui, verum etiam, quia, vt hoc obiter notem, per ſummum Imperatorem intelligit patrem Pompeij; & mihi magis probatur, intelligi Cinnam, ad quem poſt patrem fulmine ictum, & vncto tractum, ſe Pompeium contuliſſe, ſcriptum reliquit Plutarchus; vt tres Imperatores denotentur; pater Pompeij, ad cuius exercitum ipſe è ludo, atque pueritiæ diſciplina profectus eſt: Cinna, cuius miles fuit extrema pueritia: Sulla, cuius exercitui ineunte adoleſcentia imperauit. Aldus uero, Paulli filius, vir eruditisſimus, quemadmodum iſtius Conſolationis auctor videtur eſſe vſus Suo pro Eius: ſic ipſe conatur probare, vſurpatum eſſe Eius pro Suo; atque in illum locum Ciceronis de amicitia; Scipio P. Rupilium potuit conſulem efficere, fratrem eius Lucium non potuit; ſcribit in hunc modum; Eius pro Suum. vt Liuius lib. XXXIII. T. Iuuentium, & C. Labeonem eius fratrem, id eſt, C. Aſinii Labeonis ſupra nominati. Sic & in antiquis inſcriptionibus.

L. MAELIVS. L. L. Tarnitas
VASCVLARIVS,
SIBI, ET DVRDENAE. P. L.
CYTHERIDI.
ET L. MAELIO. L. F. ANI
FLACCO
FILIO EIVS
SCR. AED. CVR. ET. SCR.
ET LIBERTIS,
ET LIBERTABVSQ. SVIS.
ET,
D. M.
T. FLAVIVS VITALIS
FEC. SIBI, ET POSTERISQ. EIVS

LIB. LIBERTABVSQ.
QVORVM NOMINA I. S. S.
POSTERISQ. EORVM
MERCVRIALI. HILARI
CINNAMO. SATVRNINI
CRESCENTI SER. RESTITVTAE
FORTVNAT. FESTAE
COETONIDI ANCILLAE. I.

con sua sopportatione.

Hæc citat Aldus. Mea tamen, ut pace eius libere agam, longe alia ſententia eſt. Nam ſi in uerbis Ciceronis legeremus vocem Suum, & non Eius, intelligere fratrem Scipionis deberemus, & non P. Rupilij, cum ſine dubio Cicero de fratre Rupilij loquatur. Verba uero, quæ citat Aldus ex Liuij libro XXXXIII. (ſic enim legendum eſt) in melioribus contextibus ſic ſe habent; Nominabant etiam Tribunos militum T. Iuuentium, & Cnæum Labeonis fratrem. Nam ſi legamus C. Labeonem, eius fratrem, primum duobus fratribus idem erit prænomen ita, ut unus ab altero diſtingui non poſſit, quod munus erat prænominum: deinde uox Eius, quæ referenda uideretur ad T. Iuuentium, nimis longinque referretur ad C. Aſinium Labeonem multis ante uerſiculis nominatum. Quod attinet ad inſcriptiones, eatenus illis ſtandum eſſe exiſtimo, quatenus cum optimis Latinitatis auctoribus conueniunt. At, cum in quibuſdam uariant, malo ſequi meliores ſcriptores: nec ea ſuperſtitione imbutus ſum, ut, quæ in ueteribus marmoribus reperiuntur, probanda eſſe omnia cenſeam, cum in ipſis multa eſſe poſita uideantur minus elegantia, minuſque cum bonis ſcriptoribus congruentia, & ut uocabulo utar Iulij Cæſaris Scaligeri, barbarisſima, quemadmodum noſtris quoque temporibus. Quamobrem uir uetuſtatis obſeruantisſimus ſuo ſequatur arbitratu vetuſtas inſcriptiones, quarum fortaſſe auctoritate, qui Manutius erat, ſe Mannuccium nominauit: ego non tam facile à communi Latine loquendi uſu diſcedam, vt indiſtincte Suo pro Eius, & Eius pro Suo vtar, quod miram poteſt efficere obſcuritatem. Eodem primo ſenſu notaui, Pœnitendum ſtatum minus Latine dictum eſſe, etiam ſi ſit vox à Liuio, & à Tranquillo uſurpata.

nome proprio.

troppo lontanamente.

fin là.

usata spesso.

Qua

Qua de re ſic ſcribit Sigonius,Pœnitendum porro cũ reijciũt, quid aliud faciunt,quàm Liuium,Tranquillumq; reijciunt?quorum ille dixit in primo; Sub haud pœnitendo magiſtro: hic in Veſpaſiano;Flauia gens Reip.haud quaquã pœnitenda. At,vt alteri quoq; uiro doctisſimo reſpõdi,Liuio obiecta eſt à Pollione Aſinio Patauinitas,ideſt,ut interptatur Quinctilianus,peregrinitas ſermonis,& in nõnullis uerbis minus Latinũ loquẽdi genus. Sic enim apud Quinctilianum libro 1. ſcriptum eſt; Verba aut Latina,aut peregrina ſunt. Peregrina porro ex omnibus prope dixerim gentibus,ut homines, inſtituta etiam multa,uenerunt. Taceo de Thuſcis,& Sabinis,& Præneſtinis quoque. nã, vt eorum ſermone utentem Actium Lucillius inſectatur; quemadmodum Pollio deprehendit in Liuio Patauinitatem.&lib. 8. Multos, quibus loquendi ratio non deſiit,inuenias, quos curioſe potius loqui dixeris,quàm Latine; quomodo & illa Attica anus Theophraſtum hominem alioqui diſertiſſimum annotata unius affectatione uerbi hoſpitem dixit: nec alio ſe id deprehendiſſe interrogata reſpondit,quàm quòd nimirum Attice loqueretur.Et in T.Liuio,miræ facundiæ uiro,putat ineſſe Pollio Aſinius quandam Patauinitatem.Hæc ille. Quamquam,ut hoc obiter notem, alia Patauinitatis interpretatio afferri poteſt:Caius enim princeps Liuium,tamquàm uerboſum inſectatus eſt, ut teſtatur Suetonius; &, quod uitium tacite notauit Pollio,cum eum dixit Patauinitatem redolere, id ipſe expresſiſſe mihi uidetur,uerboſum appellans. Nam Patauini ſolent eſſe naturaliter eloquentes,& mirum eſt,quàm ſint in loquendo copioſi,quàm uerbis abundantes,quàm oratione fluentes. Id quod quàmplurimis exemplis,tum ueteribus, tum nouis probarem,ſi ea commemorandi hic proprius eſſet locus,ex quibus prope innumerabilibus reticere tria clariſſima eloquentiæ lumina non poſſum,alterum Equitem magnificentiſſimum, Speronem Speronium,in omnibus quidem philoſophiæ partibus, ac omni doctrinæ genere præclarisſimum, ſed præcipue tum in artificio oratorio elucentem,quo maximos hominum concurſus ad ſe audiendum,maximaſque admirationes ſolet excitare,tum in ſcribendi ratione ita enitentem, ut ſuis in eo ſermone,quem ſibi Etruſci nunc uendicant,ornatisſimis ſcriptis, nõ ſolum nullis eiuſdem linguæ ſcriptoribus inferior eſſe, pleriſ-

que

que autem superior cognoscatur, uerum etiam Latinis, & Græcis dicendi grauitate, & elegantia æquari merito posse uideatur: alterum Comitem perillustrem, Iacobum Zabarellam, maximum nostrorum temporum Philosophum, non solum in Philosophia publice explicanda, præcellentissimum, sed etiam in suis logicis operibus admirabilem: tertium non Doctorem, non Equitem, non Comitem, sed Doctoris insignibus, Equitatu, Comitatu quàm dignissimum, Io. Franciscum Musaptum, uere Musaptum, & Musæ aptum, qui cum in optimorum scriptorum tam Græcorum, tum Latinorum lectione perpetuo, assidueque uersatus sit, ac philosophiæ, omniumque optimarum artium insigni cognitione refulgeat: in eo tamen præcipue se excellere demonstrauit, quòd ad maximi Homeri uim, & maiestatem uersibus suis Græcis proxime accedit. Hanc autem nobilissimæ patriæ suæ proprietatem mire Liuius in historia sua secutus est, ut omnia amplificauerit, omnia pluribus uerbis persecutus sit, omnia admirabili dicendi copia, atque illustri oratione legentium oculis subiecerit, & non solum in numero librorum copiosus fuerit, quos centum, & quadraginta conscripsit, uerum etiam in singulis libris conscribendis, & singulis rebus pertractandis, singularem, ac prope incredibilem orationis ubertatem, & uarietatem adhibuerit. Cum uero ea sit ars tum laudantium, tum uituperantium, ut & ad laudē, & ad uituperationem uicina assumant, quasi eadem sint; & qui laudant, pro uitio nominent uicinam uirtutem, ut pro malitia, prudentiam, pro audacia fortitudinem, pro acerbitate iustitiam, pro immanitate in uoluptatibus aspernandis temperantiam; qui autem uituperant, contrarium faciant, ut tradit Arist. libro primo Rhet. Caius uolens Liuium uituperare, pro eloquente nominauit uerbosum; idque Pollio antea significasse uidetur esse proprium Patauinorum, dicens eum redolere Patauinitatem, id est, illam loquendi profluentiam, quam Patauini à natura arripiunt. Iamuero, ut ad rem nostram redeamus, tametsi Liuius eloquentissimum se ostendit: tamen aliquot peregrinas uoces in Latinitatem inuehere uisus est, qua in re ipse fortasse potuit minus uideri Latinus, quàm uel Terentius, uel Cæsar, uel Cicero, qui fuerunt optimi Latinitatis auctores; ac licet à Quinctiliano laudetur, & proponatur pueris

edi-


ediſcendus,tamquàm Ciceronis imitator,tamen, ſi in copia, & ſplendore dicendi Ciceronem imitatus eſt,ob non nullam ſermonis peregrinitatem minus fuiſſe Cieronianus uidetur. quæ in non nullis uerbis obiici quoque Suetonio poteſt, quemadmodum etiam obiicitur ſtylus tenuis, & qui Grammaticum magis,quàm Hiſtoricum ſonet:& non ſolum Suetonio, ſed etiam Columellæ,ceteriſque omnibus,qui res pœnitendas dixerint. Tertium locum etiam ſecundo ſenſu minus Latinum appellatum non attingit Sigonius. De quarto,cui ſimilis eſt quinctus, ſic ſcribit; Eodem modo cum hortantur, ut ab eo dicendi genere,tamquàm impuro,abſtineamus;De quo eſt apud Herodotum, illum Xerxi reſpondiſſe; quid aliud hortantur, quàm ut Ciceronem in Bruto impure locutum eſſe arbitremur? qui ſic dixit; De quo ſit memoriæ proditum,eloquentem fuiſſe,& ita habitum eſſe, primus eſt Cethegus. At hic locus uidetur diſſimilis,ſi integer legatur in hunc modum;Quẽ uero extet, & de quo ſit memoriæ proditum, eloquentem fuiſſe,& ita eſſe habitum, primus eſt M. Cornelius Cethegus. illud enim eloquentem fuiſſe,& ita eſſe habitum, referri debet ad illud,Quem uero extet,præterea hic locus non habet Illum, uel Eum. Quare ſi non haberem, quò referrem illud, Eloquentem fuiſſe, ſic explicarem; De quo hoc ipſum,quod ſimpliciter dicitur, hominem eloquentem fuiſſe,memoriæ proditum eſt,qualis poteſt uideri illa elocutio Logicorum,De quo prædicatur illud,Eſſe animal,non,de quo prædicatur, illum eſſe animal. & hoc modo magis probarem, ſi dictum eſſet, De quo eſt apud Herodotum Xerxi reſpondiſſe, id eſt, De quo hoc ipſum Xerxi reſpondiſſe,eſt, & legitur apud Herodotum, non, illum reſpondiſſe. & De quo traditum eſt nihil putauiſſe, id eſt,De quo hoc ipſum nihil putauiſſe,traditum eſt,non, eum putauiſſe. Et, ſi darem eſſe ſimilem locum, negari tamen non poſſet, tale loquendi genus eſſe minus,&rarius à Latinis uſurpatum, cum unum tantum exemplum afferatur. De ſexto loco ſic; Quod autem iniiciunt ſe Latinitatis ſtudioſis illud iudicandum relinquere; Lacœnas matronas traditum eſt,occiſis filiis uulnera inſpicere conſueuiſſe, ac,ſi aduerſos uulneratos eſſe comperiſſent,lætabundas funus ducere,eoſque in auita ſepulcra inferre ſolitas eſſe; contra uero, quos a-

uerſis

uersis uulneribus concisos agnoscebant,ab iis refugientes, clā sepeliendos curabant, nec ullo prorsus honore funeris prosequendos statuebant;ac Curasse,& statuisse dici oportuisse significant,quid aliud admonent, nisi, ut iudicemus,an Cicero in primo de Oratore Latine dixerit; Dici memini ludorum Romanorum diebus L. Crassum quasi colligendi sui caussa se in Tusculanum contulisse.venisse eodem,socer eius qui fuerat,Q. Mutius dicebatur,& M.Antonius homo & consiliorū in Rep. socius, & summa cum Crasso familiaritate coniunctus. exierant autem cum ipso Crasso adolescentes, & Drusi maxime familiares,& in quibus magnam tum spem maiores natu dignitatis suæ collocarant,C.Cotta,qui tum Tribunatum pl. petebat, & P. Sulpitius,qui deinceps eum magistratum petiturus putabatur.exierant autem,id est,exijsse autem. & in tertio; Namque latus tum ei condoluisse, sudoremque multum consecutū esse audiebamus.ex quo cum cohorruisset,cum febri domum rediit,id est, rediisse. Demetrii autem Phalerei præceptū est,afferre amplitudinem in figuris,si non in eodem casu maneatur. idque probat exemplo Thucydidis. At ne hi quidem loci uidentur similes. Nam in primo illa uarietas est maxime elegans; Dici memini L. Crassum: Q. Mutius dicebatur: exierant autem cum ipso Crasso. Nec poterat aptari, Exijsse, nisi subintelligeretur uox pluralis Dicebantur. In secundo autem interrupta est series uerborum per illud, Ex quo; nec poterat congruere uox Rediisse, nisi adderetur uox Eum. At in loco Consolationis sine ulla alterius uerbi subintellectione, & sine ulla additione optime quadrassent illa uerba,Curasse,nec statuisse; quemadmodum minus congruenter mihi uidetur dictū Curabant,nec statuebant; quod deberet pendere ab illo; Lacœnas matronas traditum est. Quod attinet ad Demetrii præceptum,amplitudinem quidem habet non in eodem manere casu,sed congruenter, ut apud Thucydidem lib. 4. historiarum,qui agens de Brasida Lacedæmonio fortissimo duce,non, ut scribit Petrus Victorius,alioquin uir sapientissimus, interfecto (ibi enim non narratur mors Brasidæ)sed tantum uulnerato ita,ut ceciderit in remigium,& clypeum amiserit, sic scribit; Et suum gubernatorem cum adegisset applicare nauem,perrexit ad pontem, & tentans descendere, percussus est ab Athenien-

nienſibus: & ſauciatus multis uulneribus animo defecit,& collapſo ipſo in remigium,clypeus defluxit in mare. poterat igitur dicere. Defecit animo,& collapſus eſt in remigium,& amiſit clypeum. Tamen per mutationem caſus dixit; Animo defecit,& collapſo ipſo in remigiũ clypeus defluxit in mare. Quod congruentiſſime dictum quàm ſimile ſit verbis,quæ leguntur in Conſolatione,vbi deformis fieri caſuum mutatio videtur, aliorum ſit iudicium. Venio ad ſeptimum,& vltimum locum; &, vt alia prætermittam,& aduerſario concedam, obſeruandum arbitror, in propoſitione videri aliquid deſiderari, vbi legitur; Idq; ſi vllo in caſu contingit, certe,cum dolore affligimur,maxime ſolet euenire: intelligendum.n. eſt, non ſimpliciter, cum dolore affligimur,ſed cum ob mortem noſtrorum. At demus iſtud excuſari aliqua ratione poſſe: illud quemadmodum excuſemus, quòd adhibetur uox Affinis pro quolibet propinquo? Sed hac de re aliàs. Video.n.mihi Lernæa cum hydra rem eſſe, vt quò plura errorum capita abſcindo,eò plura mihi abſcindenda ſuppullulent. Mitto alia,quæ tamquàm minus Ciceroniana ab alijs notata ſunt,ne aliorum cauſſam arroganter velle agere videar, vt Confectricem, Filium perdere, Turpitudinem peiorem eſſe dolore, Metellum, ne in legem pernicioſam iuraret,in exilium abire coactum eſſe, pro Quòd in legem pernicioſam non iuraret, Dolorem cruciatum animi perpetuum, Inter ſolemnem verborum nuncupationem, Ne ſacra dirimeret, Duodecimo fœtu pro Duodecim liberis. Satis.n.eſt,me demonſtraſſe, quod,vt prius de verbis iſtius Conſolationis iudicium meum confirmarem,initio orationis propoſueram, cum elocutio in eſſentia artis oratoris contineatur,quam præcipue M.Tullius profitebatur, in iſto libro complures elocutiones adhibitas eſſe minus Tullianas,aliquot minus proprias, nonnullas minus latinas.Reliquum eſt,vt ad ea, quæ in ipſo priore iudicio notaui,quædam ẽt grauiora,& firmiora adiungam, ut cum ea,quæ adhuc dicta ſunt,alicuius eſſe ponderis,& nomẽti demonſtratũ ſit,tamen (uide,quid concedam)uel ipſis ſepoſitis,nouorum tantummodo argumentorum claritate iſtud opuſculum non eſſe Ciceronis luce clarius appareat.

germuglino



Bb An-



ANTONII RICCOBONI, DE CONSOLATIONE EDITA SVB NOMINE CICERONIS,

Quarta Disceptatio.



ILLVD uerissimum est, cum de incerta alicuius auctoritate uoluminis disceptatur, tria in primis exquiri solere; nũ, qui dicitur auctor, uolumen ea, quæ fertur, inscriptione, conscripserit: num qui ueteres scriptores eius sententias, & uerba recitauerint, ex quibus ipse auctor agnosci possit: num quid in eo hæreat, quod ab ea persona, quæ ipsum confecisse existimatur, alienũ uideatur. Iam nemo est, qui dubitet, Ciceronem integro libro semetipsum de morte filij consolatum esse, qui inscriptus erat Consolatio Ciceronis. Quod attinet ad ueterum scriptorum testimonium, constat tantum auctoritate Plinij, Lactantij, M. Tullij ipsius, octo fragmenta, quæ ab illis citantur, & in hoc, de quo controuersamur, libro posita sunt, in M. Tullij fuisse Consolatione; quibus si cetera responderent, nihil esset, cur tantopere laboraremus, eaque ab aliquo imitatore interiecta esse suspicaremur. Tertium in controuersiam uenit, an hæc

ipsa

auiamo insieme controuersi-

ipsa Consolatio sit eiusmodi, quæ nihil à tanti maiestate scriptoris alienum contineat. Ego.n.multa affirmo esse talia, quæ Ciceroni tribui non debent. Aduersarij negant, & quidem ita negant, ut ea à nemine alio, quàm à Tullio eodem modo scribi, diciq; potuisse contendant, & eorum etiam nonnulli, si Dijs placet, hoc ipsum opus ceteris omnibus, quæ ille doctissime, & ornatissime scripsit, anteponant. Id quale sit, quàm breuissime, & quàm planissime uideamus, atq; ex instituto nostro prius de rebus, deinde de uerbis agamus. quod & utile, & iucundũ eloquentiæ studiosis fore, mihi persuadeo. Ac illud quidem ex Tusculanis disputationibus, & ex Lactantio certissimum est, disputasse Ciceronem in Consolatione de animorum immortalitate; deplorasse miserias huius uitæ; collegisse ad se ipsum cõsolandum clarissimorum uirorum exempla; consecrasse filiam inter deas ad famam immortalitatis. Quem autem ordinem is retinuerit, Carolus Sigonius, uir doctissimus, & eloquentissimur, ac doctrina, eloquentiaq; clarissimus coniecit, ut solet omnia, ingeniosissime, in Commentario, quem scripsit in fragmenta Ciceronis de Consolatione ; in secunda autem earum orationum, quas hac ipsa de re confecit, his uerbis expresfit; In Consolatione primum mortem nihil habere mali ostendit, si animi cum corporibus interirent: deinde plurimum boni, si post eorum interitum remanerent: atque ita animorum æternitate firmata apte ad filiæ consecrationem accesfit. In Tusculana uero contra; prius animorum immortalitatem, quàm mortalitatem induxit, ac iudicia Deorum de morte ibi in principio exposita epilogo reseruauit, atque ita pro arbitrio suo fecit in ceteris. Ibi quidem tamquàm orator, in foro caussam cum insigni aliqua orationis amplitudine agens : hic uero tamquàm magister in schola, omnia spiritu aliquanto submissiore cõplectẽs. Hæc ille. Itaque in commentario diuinauit: in oratione diuinationẽ cõprobauit. In eo tantũ à se ipso diuersus fuit, quòd in illo Ciceronẽ, ut philosophũ, semetipsum, quãtũ potuit, consolatum esse testatus est: in hac tamquàm oratorem in foro caussam agentem. Sed cum illud scripsit, non legerat Consolationem: cum hoc, legerat, ut melius de ea facere iudicium potuerit. Probe. At, quemadmodum ille tunc, ut fragmenta aliquẽ ordinem haberent, ea ex ingenio ordinauit, non ita tamen, ut

illusoria! famosia!

sa congettura

...atto

iurare merito possset, nullum alium reuera ordinem, quemadm dum nonnulli illius sectatores asseuerant, nec seruatum fuisse, nec seruari potuisse: sic ego nunc, libere ut dicam, quod sentio, non minus eiusmodi ordinem, quàm istam Consolationem su spectam habeo. Diuersam autem fuisse consolandi rationem, aperuit ipse Cicero in tertia Tusculana ad hunc modum; Sunt, qui unum officium consolantis putent, malum illud omnino non esse, ut Cleanthi placet. Sunt, qui non magnum malum, ut Peripatetici. Sunt, qui abducunt à malis ad bona, ut Epicurus. Sunt, qui satis putant ostendere nihil inopinati accidisse, nihil mali. Chrysippus autem caput esse censet in consolando, detrahere illam opinionem mœrenti, si se officio fungi putet iusto, atque debito. Sunt etiam, qui hæc omnia genera cōsolādi colligunt, alius enim alio modo mouetur. Hactenus ille. Possunt igitur omnes consolandi rationes in unum conduci, ut dicatur, primum illud, quod mœrent aliqui, non esse malum: deinde si sit malum, non esse magnum: inde ab huiusmodi malo animum reuocandum ad bona: tum nihil inopinati accidisse: postremo falsam esse opinionem mœrentium, dum se officio fungi putant iusto, atque debito. Exempli caussa, mortē non esse malum, sed potius bonum, cum animus sit immortalis, & immortalitas animorum maxime uirtute præstantium sēpiternam post mortem afferat felicitatem: atque si mors malū sit, dum morientes interdum anguntur, cruciantur, torquentur, id malum non esse magnum, quod & omnibus contingat, & angusto temporis spatio coerceatur: multaque esse bona, quibus se consolari mœrentes possint: & nihil improuisi, nihil inexpectati accidisse, cum humana conditio ea sit, ut omnia fere aduersa sint prouisa, & expectata, nihilque homini morte sit certius: præterea si mœrentes se officio fungi putent iusto, atque debito, & ob id ipsum uehementer mœrere, ac lugere uideantur, quòd existiment mœrorem suum, & luctum esse officiosum, pium, & debitum, eos in errore uersari, cum mortuorū caussa, qui uirtutibus in cœlum elati sint, gaudere potius debeant, atque si sua potissimum caussa doleant, & suo incommodo, quòd suorum adiumento priuati sint, in eo potius iniustitiam exerceant, quòd omnia utilitate sua, Epicureorum instar, metiantur. His ferè omnibus consolandi rationibus in sua se

usum

uſum eſſe Conſolatione affirmauit Cicero in eadem Tuſcula-na his uerbis ; Vt fere nos omnia in Conſolationem unam coniecimus : erat enim in tumore animus, & omnis in eo ten-tabatur curatio. Idem collegit triplicem in conſolando medi-cinam ad hunc modum ; Erit igitur in conſolationibus pri-ma medicina,docere aut nullum malum eſſe, aut admodũ par-uum: altera & de communi conditione vitæ,&proprie, ſi quid ſit de bonis ipſius,qui mœreat,diſputandum:tertia ſummã eſse ſtultitiam,fruſtra confici mœrore , cum intelligas nihil poſse profici . Videtur autem ſub prima medicina primam , atque alteram conſolandi rationem fuiſse complexus,tum Cleanthis, qui oſtendendum putabat,malum illud omnino non eſse;tum Peripateticorum,qui non magnum malum: ſub ſecunda , ter-tiam,& quartam, tum Epicureorum , qui abducebant à malis ad bona, & proprie de bonis eorum,qui mœrebant , diſputa-bant; tum eorum, qui ſatis putabant oſtendere , nihil inopina ti accidiſse, & de communi hominum conditione diſserebãt , quorum uita innumerabilibus miſeriis propoſita eſt : ſub ter-tia ultimam, quæ fuit Chryſippi,ut opinio eorum, qui mœren tes, & lugentes ſe officio fungi putant iuſto,atque debito,oſtẽ datur ſtulta,propterea quòd huiuſmodi mœror, & luctus pro-ficere nihil posſit, nullumque aliud ipſi mortui officium , qui in cœlum aſcenderint,requirere uideantur,niſi ut perpetua ſui nominis memoria conſeruetur,& ad immortalitatis famam con-ſecretur. Hanc triplicem medicinam mihi veriſimile eſt à Cice-rone conformatam fuiſſe, ſumpto exemplo ex eius ipſius Con-ſolatione antea conſcripta: in qua primum videtur tractaſſe pri mam medicinam, vt doceret mortem eſſe potius bonum,quàm malum, ea potisſimum ratione, quæ in prima quoq; Tuſculana mirabiliter ornata eſt, quia animus ſit immortalis; hæc enim eſt Ciceroniana ratio pluribus in locis vſurpata, qua probatur,mor tem eſſe bonum: deinde adhibuiſſe alteram medicinam,vt com-munem vitæ conditionem deploraret , à cuius malis abduci bo-num eſſet,& ſuum quoq; caſum multorum clariſſimorum viro-rum exemplo mitigaret: poſtremo tertia medicina vſum eſſe, vt officium ſuum mœrendi,& lugendi ad filiæ conuerteret conſe-crationem.Ego profecto hunc ordinem ſeruaſſem in ipſis Con ſolationis fragmentis ordinandis; atque,ſi in fingenda huiuſmo

di

di Conſolatione iniuria temporum amiſſa me exercuiſſem, eun-
dem ex præſcripto Ciceronis retinuiſſem; ac primum de immor-
talitate animorum diſputaſſem, quod ſine vllo meo dubio eſt
talis diſputationis fundamentum, & pertinet ad primam medici-
nam, vt demonſtretur mortem non eſſe malum, ſed bonum:
deinde de miſeriis hominum, quæ ad ſecundam medicinam vi-
dentur pertinere: poſtremo de conſecratione filiæ, quæ officiũ
ſpectat mœrentis, & lugentis. Auctor autem iſtius Conſolatio-
nis ordinem ſeruauit Sigonianum, ſane ingenioſum, egregium,
& præclarum (non enim damno) ſed non neceſſarium, vt primũ
de miſera hominum conditione, deinde de animorum immorta-
litate, poſtremo de conſecratione Tulliæ diſputaret. Cum ve-
ro conſolandi medicinas ita permiſcuerit, vt quid ad quanque
pertineat, non facile quiſque poſſit diiudicare; vt ſingulas li-
bri partes perpendamus, operæ precium videtur eſſe ipſum ali-
quo modo diuidere.

Prima enim pars procœmium continet, in quo auctor dicit, re-
centi morbo amiſſæ filiæ velle ſe adhibere medicinam, etiam ſi
id vetent ſapientes; & probat ægro animo ſe in primis, & omnes
medicinam adhibere debere; vtiturq; exemplo illorum, qui de
luctu minuendo conſcripſerunt, Theophraſti, Xenocratis, Cran
toris, ex quibus multa ad ſe conſolandum ſe collegiſſe fingit.

Altera eſt de miſeriis hominum, vbi docet aduerſos caſus eſ
ſe proprios eorum, teſtimonio Theophraſti, Xenocratis, Cran-
toris, ex quibus Crantorem ſequitur: miſerias recenſet infantiæ,
pueritiæ, adoleſcentiæ, conſtantis ætatis, ſenectutis: exponit
genera hominum eſſe miſera, Reges, homines infimos, medio-
cres, præterea fœminas, & viros: concludit omnes in hac vita
miſeros eſſe.

In tertia probat, mortem eſſe bonum, iudicio deorum de fi
lis Argiæ, & de Trophonio, atque Agamede; exemplo Thracũ
apud Herodotum; ſententia Sileni; teſtimonio Euripidis, Cran
toris: quæritq; an, quod mortem ſubſequitur, nos miſeros effi-
ciat, & argumentatur, aut animum eſſe mortalem, aut immorta-
lem; atq; ſi ſit mortalis, eum lucrari quietem; ſi ſit immortalis,
eum conſequi felicitatem.

In quarta commemorat hominis conditionem mortalem:
contendit lacrymis nihil profici: probat dolorem immodicum
eſſe

esse turpissimum,& maxime vituperandum, nec naturam incusandam esse, quòd, quam dederit,vitam repetat: dicit se adiuuari philosophia: dicit Tulliam mortuam felicem esse,quæ suo cito parente in magna beatitudine sit fruitura.

In quincta aperit dolores, & res aduersas non esse refugiendas, quæ fortitudinem efficiunt: bona,& ea, quæ probantur in vulgus, non esse tantopere appetenda, quæ molliores plerunque, ac deteriores reddunt: mortem esse ministram bonorum, exemplo Catonis, Arthabani, Amphiarai: doctrinam esse miseram, artem miseram, ciuilem vitam miseram,exemplo Miltiadis, Ephialtis,Cimonis, Themistoclis, Aristidis, Scipionis, Metelli, Reguli,Marii, Bruti.

In sexta conatur probare, fugiendam esse vitam exemplo Cleomenis, Theagenis,vxoris Asdrubalis: atq; in vniuerso hominum genere summam sæuitiam considerat: in singulis autem hominibus,nihil esse admodum appetendum declarat, propter instabilem rerum conditionem;vtiturq; exemplo Gorgiæ.

Septima continet eorum exempla, qui suorum mortem forti animo tulerunt; ac enumerat Anaxagoram,Xenophontem,Periclem,Harpagum,Dionem,Præxaspem,Q.Fabium,Puluillum,Paullum,Caium,Catonem,Martium,Crassum,Cæpionem,Pisonē, Scæuolam,Marcellum,Metellum,Lepidum,Aufidium,matronas Lacænas,ex Romanis Corneliam,Rutiliā,Clodiam; quibus omnibus addit Theramenem,qui fortiter mortuus est.

Octaua ostendit,ærumnas ab humana uita non segregari: cō memorat Metellum,Priamum,Crassum,Pompeium : exponit iudicasse mortem esse beatam Brutum,Decios, Scipionem, Paullum,Marcellum,Albinum,Gracchum.

Nona est de exiguo,vel nullo dolore mortis:tradit, non mortem,sed admissorum scelerum conscientiam non nullos cruciare,cum boni libenter moriantur ; vt Q. Fabius, A. Pompeius, Thalna : disputat de die homini præfinito, ita tamen,vt liberum hominis arbitrium locum habeat : iis præcipue nihil dolendum ratiocinatur,quos oppetita cum laude mors consolari potest ; ubi multa sunt de laudibus Tulliæ,ab eius fortitudine,& prudē tia ductis.

Decima est de animorum immortalitate;adducit testimoniū Socratis : agit de uicissitudine rerum,& simul hominum; de ade

ptione

ptione ueritatis post mortem; de dolore & metu, qui hominē perpetuo miserum efficit: repetit, quod superius disputatum est, non omnino dolorem, sed nimium dolorem improbandum.

Vndecima est de consecratione.

Quod attinet ad procœmium, tempus quidem sumendum esse in uehementibus animi doloribus declarauit quoque Cicero in 3. Tusc. ad hunc modum; Sed sumendum tempus est non minus in animorum morbis, quàm in corporum: ut Prometheus ille Aeschyli, cui cum dictum esset;

Atqui Prometheu te hoc tenere existimo,
Mederi posse rationem iracundiæ.

respondet; Siquidem qui tempestiuam medicinam admouens
Non ad grauescens uulnus illidat manus.

Verum auctor Consolationis se etiam in recenti morbo medicinam capturum esse, & domesticæ subuenturum calamitati profitetur. Cum autem in hac propositione duo dicat, suo se morbo medicinam adhibiturum, & quidem recenti morbo adhibiturum, contra quàm uelint Sapientes; huius duplicis propositionis debebat duplicem subiungere rationem: uel, si qua ratio erat omittenda, illam omittere congruentius poterat, quæ clarior esse uidebatur. Contra tamen fecit. probauit id, quod probatione minime indigebat, suo se morbo uelle medicinam adhibere, quia omnibus sit hominum morbis medicina adhibenda, quo quid notius, atque exploratius? illa enim ratio exprimitur illis verbis; Præsertim cum ad ægritudines, & molestias depellendas, &c. Omisit uero probationem eius, quod potissimum in hoc procœmio erat probandum: cum uellet medicinam adhibere suo recenti morbo, etiam si id uetarent Sapientes. An uero id cōuenit prudentiæ Ciceronis? Cuius rei rationem huic loco maxime congruentem, in loco minus proprio, & valde longinquo, atque alieno à procœmio collocauit. Nam in quarta libri parte sic scripsit; Sed turpe, stultumque est homini, tanta, tamq; varia rerū cognitione instructo non à seipso potius mature, quàm sero ab vsu, & cogitatione doloris remedia expectare. Profecto mihi verisimile videtur, Ciceronem in hoc ipso procœmio hanc rationem fuisse illi propositioni additurum. Quid? quòd cum in eodem principio morbum suum esse recentem profiteatur, cui etiam contra Sapientum præscriptum mederi velit; postea tamen,

men, non fuiſſe recentem, cum ſe conſolatus eſt, aperte teſta-tur? Cum id faciat, videtur ne ſibi conſtare? Audiamus verba eius: nihil.n.dicam, quod non probem. In ſeptima parte legitur ad hunc modum; Senſimus hoc in nobis ipſis; nec parum nobis obfuit hanc vniuerſam aduerſus dolorem commentationẽ non multo ante animo, ac mente percurriſſe. quamuis enim permultos philoſophorum libros vel de luctu, vel de morte ſatis accurate legiſſemus, vt Theophraſti, Xenocratis, aliorum, quos commemorare nihil attinet: tamen hoc non ideo feceramus, quòd euenturum putaremus, vt ijs ipſis in noſtro mœrore vteremur. Itaque neq; lectionem, quantum oportuiſſet, accuratam, nec memoriam ſatis intentam adhibuimus. Caſu aũt repentino oppreſſi non prius ad libros confugere potuimus, quin ante acerbitatis vi proſterneremur. Quamquam poſtea tempore ipſo factum eſt, vt nec dolor, vt antea, acrior, & mens ipſa paullo eſſet ſedatior, & ad medicinam accipiendam magis idonea. id eſt, cum recens fuit morbus, non potui medicinam accipere: poſtea vero morbo inueteraſcente, &, vt more Hippocratis loquar, concocto, & maturo, ac ſumpto tempore in huiuſmodi morbo, factus ſum idoneus ad medicinam accipiendam. Quid poteſt illi principio videri magis contrarium? Quid magis repugnat Ciceronis grauiſſimo de ſe reddito teſtimonio, qui in 4. Tuſc. profitetur, quod vetat Chryſippus, ad recentes quaſi tumores animi remedium adhibere, id ſe in Conſolatione feciſſe, naturæq; vim attuliſſe, ut magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet? Si hoc Cicero ſcripſiſſet in principio, addidiſſet ne illud in ſeptima parte Conſolationis? Hæccine, ut ita dicam, contrarietas, hæccine repugnantia Ciceroni quadrat? Profecto mihi non eſſe Cicero, qui tantopere ſibi aduerſetur, ſed alius, non, ut aiunt, Cicerone maior, ſed longè ſanè inferior uidetur. Cogitandum autem eſt, quomodo cum ſuperiore ſententia connexum ſit illud; Nihilq; aduerſi hominibus accidere ſolet in uita, quod aut improuiſum, aut inexpectatum uideatur. Debebat enim potius ipſam augere: & tamen uidetur diminuere, & quodammodo infringere. Nam ſi nihil aduerſi hominibus accidit improuiſum, & inexpectatum, ſequitur, nulla aduerſa in opinione hominum, quæ in Conſolatione debet attendi, eſſe recentia, & inopinata,

ſed omnia, ſi non euentu ipſo, at ſaltem ipſa hominum opinione, vetuſta,& antiqua; quod quodammodo aduerſatur ei, quod dicitur de recentibus morbis: nulli enim ſunt recentes, quod ad hominum opinionem, cum omnes ſint multo ante prouiſi,& expectati. Itaque non ſe in nouo, & inopinato morbo animi conſolaretur, vt apertè profitetur, ſed in antiquitus præmeditato, & opinato, contra quàm videtur ſentire. Accedit, quòd, ſi omnia mala ſunt prouiſa,& expectata, ex huiuſmodi conſequitur præparatione, non eſſe difficilem Conſolationem, contra quàm ſignificatur his verbis; Conemur tamen, ſi qua ratione poſſumus, mederi nobis metipſis. Fieri igitur minime potuiſſe arbitror, vt Cicero ſic ſcripſerit: qui fortaſſe in aliquem ſimilem modum ſcripſiſſet; Quamquam recentibus morbis medicinam perpurgantem adhibere vetant Sapientes, omniaque aduerſa, quæ hominibus accidere ſolent in uita, quæque videntur noua,& inopinata, tempore ipſo ſunt maturanda, conemur tamen, ſi qua ratione poſſumus, mederi nobis metipſis,& domeſticæ ſubuenire calamitati. Turpe enim, ſtultumq; eſt homini aliqua rerum cognitione inſtructo, non a ſe ipſo potius mature, quàm ſero ab uſu, & cogitatione doloris remedia expectare. Si enim, quoties uſu uenit, & quæ ſequuntur.

Veniamus ad ſecundam partem, & uideamus, an congruat Ciceroni. In ea de miſerijs fœminarum ſic traditur; Magna certè uel hoc uno nomine fœminarum miſeria eſt, quòd quãdiu uiuunt, parere ſemper coguntur. aut enim innuptæ parentibus,& affinibus, aut nuptæ maritis parent, & ſeruiunt. Sic quò minus liberæ, eò magis miſeræ, nec unquam liberæ, niſi è uita profectæ, ergo mortuæ beatæ cenſendæ erunt. Videtur igitur in hunc modum argumentum duci; Liberæ ſunt poſt mortem. ergo beatæ. Tamen, ut taceam antecedens controuerſum eſſe propter dubitationem de animorum immortalitate, quos qui eſſe mortales putabant, dixiſſent, ſi fœminæ poſt mortem non ſunt, ne liberas quidem eſſe; negari quoque potuiſſet conſecutio: quia ſi ex conditione libertatis ſimpliciter ſequeretur beatitudo, uiri omnes, qui conditione ſunt liberi, propter libertatem ſimpliciter eſſent beati. quod falſum eſſe, quis non uidet? Non igitur mihi probatur, Ciceronem

fuiſſe

fuisse hoc modo argumentaturum.

In tertia parte dicitur futuri post mortem temporis cura hominis propria non esse, sed Dijs immortalibus potius relinquenda. At talis cura uidetur esse propria hominis, etiam si pertineat simul ad Deum. Nam animal hoc, ut inquit Cicero de legibus, prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilij, qui uocatur homo, ad uirtutem ea cura incitatur, ut post mortem sempiterna beatitudine perfruatur. quò pertinet illa adhortatio Africani Maioris ad Minorē in sexto Ciceronis libro de Rep. Sed quò sis Africane alacrior ad tutandam Remp. sic habeto, omnibus, qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in cœlo, ac definitum locum, ubi beati æuo sempiterno fruantur. Quid? quòd eiusmodi cura adeo hominis propria est, ut per eam humanorum animorum immortalitas significetur? Maximum, inquit Cic. in 1. Tusc. argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam iudicare, quòd omnibus curæ sunt, & maximæ quidem, quæ post mortem futura sunt. & ibidem pluribus uerbis eam curam probat ex satione arborum, quæ alteri seculo prosint; ex legum, institutorum, Reip. constitutione: ex procreatione liberorum; ex propagatione nominis; ex adoptionibus filiorum, ex testamentorum diligētia; ex sepulcrorum monumentis; ex elogijs; ex auctoritate maiorum, ut Herculis, ut multorum, & magnorum uirorum, qui ob Remp. interfecti sunt, ut Themistoclis, & Epaminondæ, ut sua ipsius, in quorum mentibus inhærebat quasi seculorum quoddam augurium futurorum, ut Ennij, ut Phidiæ, ut illorum Philosophorum, qui in ijs ipsis libris, quos scribebāt de contemnenda gloria, sua nomina inscribebant. Quamobrē existimo non fuisse Ciceronem illum, qui dixit, futuri post mortem temporis curam hominis propriam non esse. In eadem parte uerba Socratis ex Apologia Platonis, quæ recitantur in prima Tusculana, ponuntur tamquàm Ciceronis, paullisper tamen immutata, ut in secunda diximus disceptatione; quæ mihi certè non uidetur uerisimile Ciceronem sibi attributurum fuisse, cum præsertim ex sua persona aliter locutus sit. Sic .n. Socrates argumentatur; Aut morte sensus extinguitur: aut mors est migratio in alias oras. Primo modo, Admirabile lu-

crum eſt mors. apud Ciceronem, Dij boni,quid lucri eſt emori? in iſta Conſolatione non expreſſum eſt Admirabile; infra, Lucrum equidem appello. Altero modo, Quod maius bonũ ſit hoc ipſo? apud Ciceronem; Id multo iam beatius eſt. in Conſolatione; Quid optabilius? Si igitur morte ſenſus extinguitur,& animus eſt mortalis, admirabile lucrum eſt emori, & hoc modo mors eſt bonum, perpetuam continens quietem. At Cicero in 1. Tuſc. diſputat, ſi animi poſt mortem non ſũt, eos nihil poſſe eſſe, ita ne quietos quidem eſſe; cumq; per totam illam diſputationem argumentetur, aut animum eſſe immortalem,aut mortalem,ac, ſi animus eſt immortalis,mortem eſſe bonum, ſi mortalis, non eſſe in malis, nunquam tamen dicit ex ſua perſona,ſi animus eſt mortalis,mortem eſſe bonum, & vt ait Socrates, admirabile lucrum. Sat enim habet dicere, non eſſe malum.Si vero mors eſt migratio ad loca beatorum, id iam beatius eſt, συγγενέσθαι, id eſt, uerſari cum Orpheo, & Muſæo, & Heſiodo, & Homero. Cicero conuertit συγγενέσθαι colloqui. de qua collocutione,congreſſu, complexu ſic legitur in Conſolatione; Ad meos autem & affines,& amicos vt peruenero, quantopere lætabor? quæ iucundior collocutio, qui ſuauior,vel congreſſus, vel complexus? At Cicero ex ſua perſona id reprehendit ibi; Tantumq; valuit error, qui mihi quidem iam ſublatus videtur, ut corpora cremata cum ſcirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quæ ſine corporibus nec fieri poſſent, nec intelligi. & paullo infra de locutione; Quod fieri, nec ſine lingua, nec ſine palato, nec ſine faucium, laterũ, pulmonum vi, & figura poteſt. Quæ igitur fuerunt propria Socratis, Cicero ſibi non tribuiſſet, cum præſertim aliquantum ab eius ſermone disſideret. præterea in ea quoque parte ſcriptum eſt; Nam ſi amor, ſi pietas filiæ, ſi virtus, ſi grauitas, ſi conſtantia, ſi cetera, quæ vix in fœminis ſpectari, nedum requiri ſolent, conſideranda ſint; tanta facta iactura grauisſime dolere debuimus.

Immo debuit Cicero maxime lætari, ſi verum eſt id, quod ſupra concluſum eſt, Mortem in beneficij loco tributam à Dijs immortalibus, ijs, quos maxime dilexerunt. Quare agnoſcere mortem tamquàm bonum, & morte filiæ grauisſime dolere, uidentur quodammodo inter ſe repugnare,

gnare, & minime Ciceroni conuenire, qui quò magis filiam amabat, eò magis eius bono gaudere debebat.

Nunc uenio ad quartam partem, in qua sic scriptum est; Quòd si nostrorum mortem dolemus, cogitemus aliquando, moriendum ipsis fuisse; mortem autem incertam esse, nec in hōnis arbitrio positam, sed è deorum uoluntate pendere: quos uero lugemus; eos quoque suorum mortem uidisse, patienterque tulisse, ideoque suo exemplo, quid nos facere uelint, praecipere. Quomodo autem licet hoc simpliciter dicere; Quos lugemus, eos quoque suorum mortem uidisse, patienterque tulisse? Nam primum fieri potest, ut lugeamus infantes, & pueros, qui suorum mortem uidere non potuerint. Deinde non semper scire possumus, quos lugemus, eos suorum mortem patienter tulisse, cum plerunque fiat, ut in obitu suorum homines grauissime doleant, & conquerantur, ac mœroris etiam insignibus vtentes, & mœstitiam diutius prae se ferentes, tardius se consolentur, quàm ut exemplo suo in recenti tumore animi modum consolationis praescribant. Quòd si omnes progressu temporis consolationem capiunt, hoc non est, illud, quod quaeritur in praeceptis, ut uelint, nolint, homines, tandem dolorem remittant, sed ut etiam sine temporis beneficio id faciant: cui rei non seruit exemplum illorum, qui tandem aliquando longo temporis spatio se consolantur. Tādiu enim, si sapimus, in dolore morari non debemus. Haeccine digna sunt, quae Ciceroni attribuantur?

In quinta autem parte, ubi ciuilis uitae miseriae recensentur, inter alia exempla ponitur Scipionis Africani minoris exemplum, qui ex eo miser celebratur, quòd cum domum ualidus se recepisset, noctu mortuus sit inuentus. Sic enim scriptum est; Scipio Africanus apud nostros optimam caussam amplexus, paucorum immoderatae libidini repugnans, mane mortuus in lecto est inuentus. Non ne ea de caussa debebat potius felix celebrari, si mors affert felicitatem, ut superius disputatum est? Quare si sibi iste auctor constare uoluisset, inter miseros Scipionem non enumerasset, qui cum Remp. adiuuisset, auxisset, ornasset, quod erat optimum homini, est consecutus, ut cito moreretur. Id quod etiam Cleobi, & Bitoni, Trophonioque, & Agamedi euenisse superius scriptum est. Non tam

facilè igitur Cicero iis, quæ ipse tradidisset, repugnasset.

In sexta uero parte sic legitur; Cleomenes Lacedæmoniorũ Rex, eiusque filius, morte ultro appetita: præterea Theagenes Numantinus, qui, ne in hostium manus ueniret, primum suis, deinde sibi ipsi mortem attulit, quantopere uita fugienda sit, satis uidentur aperte declarasse. Huiusmodi ducitur argumentum: Appetiuerunt ultro mortem. ergo uitam esse fugiendam iudicarunt. Quid? si consecutio negetur? appetiuerunt enim mortem non simpliciter, ut fugerent uitam, quæ per se iucunda, & expetenda est, & idcircò ab Aristo. lib. 1. Rhet. inter bona confessa numeratur, ubi traditur, bonum esse uiuere: si enim nullum aliud bonum sequeretur, esse rem per se electione dignam: sed ut miserias sibi imminentes uitarent, quas se ferre non posse arbitrati sunt. Itaque meo quidem iudicio non dixisset Cicero, uitam tantopere omnibus animantibus charam, esse fugiendam, etiam si quandoque eæ miseriæ hominibus accidant, ut multo potius moriendum, quàm illas sibi tolerandas putent. præterea ubi probatur, neque genus ipsum hominum, nec è toto genere singulos miseriarum expertes esse posse, hæc uerba sunt; Meritoque Dicæarchus in eo libro, quem de hominis interitu luculentum, & eruditum conscripsit, nihil habere dubitationis putauit, quin multo plures extincti sint ipsa hominum sæuitia, & acerbitate, quàm omni reliquo genere calamitatis. Hic celebratur miserum hominum genus ex eo, quòd hominum crudelitate moriatur. At, si mors est bonum, ut superius conclusum esse sæpe notauimus (sæpe enim illi dicto repugnatur) minime graue esse debet hominum extingui sæuitia, & acerbitate, qui dum crudelitatem exercent suam, potius bonum, quàm malum afferunt iis, in quos exercent. Est igitur Cicero is, qui tam sæpe sibi aduersatur?

Mirum autem est, quod in septima parte probandum proponitur, qui sapientia præstiterunt, eos suorum morte etiam lætatos fuisse. id quod probatur exemplo Anaxagoræ, in hunc modum; Itaque sapientissimos homines accepimus, non modo suorum morte non perculsos, neque dolore ullo affectos, sed etiam sæpissime lætatos esse. Anaxagoræ inter familiares suos de natura rerum disserenti filii mortem nuntiatam tradunt: nihilque aliud ab eo respõsum, nisi se illum genuisse mortalem.

talem. primum ſcribit ſapientisſimos homines ſuorum morte ſæpiſſime non gauiſos,ſed lætatos eſſe,licet ex quarta Tuſc. appareat,cum ratione animus mouetur placide, atque conſtanter,tum illud gaudium dici:cum autem& inaniter,& effuſe animus exultat,tum illam lætitiam appellari , eamque ita definiri, ſine ratione animi elationem. At, cùm ſcripſit Cicero Conſolationem,nondum notauerat proprietatem gaudij, & lætitiæ, ut illud in Sapientem caderet:hæc non caderet; ac huiuſmodi uocibus quandoque abuſus eſt. Vt placet: non repugno: eumque quamuis propretatis in loquendo obſeruantiſſimum , & Stoicæ diſciplinæ ſtudioſiſſimum ; etiam illam à Stoicis traditam tunc ignoraſſe, uel non animaduertiſſe,ſi lubet, concedo. Quid ? quod ſic argumentari uidetur? Anaxagoras reſpondit, ſe filium,qui mortuus erat,mortalem genuiſſe.ergo Anaxagoras morte filii lætatus eſt. Quæ concluſio eſt iſta ? Nonne ſic ratiocinari aperte indicat Dialecticæ ignorationem? An uero hæc concludendi ratio congruit Ciceroni, qui à Stoico Diodoto,eo,quem domi ſuæ diutius habuit , & uſque ad mortem eius retinuit, cum in aliis rebus,tum ſtudioſisſime in Dialectica exercitatus eſt, ut ipſe in Bruto memoriæ prodidit ? Miris autem laudibus effertur Pericles , qui mortem filiorum ſuorū mirabiliter tulit,de quo ſic legitur in eadem parte. Fortem ſanè hominem,&magna laude, æternaque memoria digniſſimū, quem neque naturæ uis ad nimium ſæpe amorem trahens, potuerit de ſtatu dimouere, & ad dolorem abducere, nec liberorum deſiderium,quos tamen ſumme dilexiſſe dicitur, ulla ratione perturbarit. Non tamen tam conſtans fuit Pericles , ut de omnibus liberis ſuis, cum mortui ſunt, dolori reſiſtere potuerit . Nam morte Parali ualde eſt conturbatus,ut teſtatur Plutarchus ad hunc modum ; Nunquam tamen fatigatus eſt, ſed illā animi magnitudinem inuictam ſemper à calamitatibus,infractamque conſeruauit: nec eum flere , aut funus ducere, aut ad ſepulturam alicuius neceſſarij accedere quiſquam aſpexit unquam,priuſquam Paralo eſſet orbatus,qui ei ex legitimis filiis reliquus eſset. In hoc autem inflexus animo parumper , tolerare tamen ſuo more nitebatur, & ſolitam grauitatem , ac conſtantiam retinere. coronam etiam cum mortuo filio attuliſset, aſpectu ipſo, doloris magnitudine ſuperatus eſt: nam & flebi-
lem

lem edidit uocem, & uim lachrymarum emisit, cum tale nihil vnquam in reliqua uita fecisset. Hæc Plutarchus. Itaq; si Pericles aliquorum mortem filiorum æquo animo tulit, non perpetuam ea in re seruauit animi magnitudinem, cum mors Pa rali eum fregerit, atque abiecerit. Quocirca Cicero non sic simpliciter locutus esset, vt nunquam dolori cessisse Pericles intelligeretur, sed dixisset, illum fortem fuisse in obitu nonnullorum liberorum, & desiderio ipsorum nonnunquam fuisse nulla ex parte perturbatum. De Prexaspe autem ex Herodoto hæc uerba sunt; At Prexaspes multo fortius: siquidem filij morientis, cum ferro traijceretur, sine vllo prorsus dolore spectator fuit. Cambyses enim iratus, & ebrius, cum eius filium sagittis peteret, iamq; pectus reclusum appareret, patrem iussit inspicere, num cor percussum esset. cui cum pater respondisset, iam cordi sagittam esse infixam: tum Cambyses, numquid certam, inquit, habeo manum? at pater, nullo doloris signo dato, nec usquam conuersa, aut commota facie, ne Apollinem quidem, inquit, certiores sagittas emissurum crediderim. Hæc ille. Mihi vero minime videtur probari, nullum prorsus fuisse dolorem illius patris, qui tametsi nullum doloris signum dedit, nec quoquam (sic enim minus raro dicitur, quàm vsquã, quod significare quandoq; ad locum, Valla vnico exemplo probat) conuertit, aut commouit faciem, dum cogitaret, quomodo tantam vlcisceretur iniuriam, atque, si vllum doloris signum dedisset, timeret illius iram, magnum tamen cepisse dolorem existimandus est. Accedit, quòd lachrymas non effundere, quãdoq; potest signum esse maioris doloris, vt in atrocibus, quæ filij patiuntur, in quibus patrum maiores sunt dolores, quàm qui lachrymas continent. Qua de re sic legitur apud Arist. lib. 2. artis Rhet. Miserantur uero & familiares, si non ualde coniuncti sunt necessitudine. Erga hos autem, ut erga seipsos passuros se habent. Quamobrem & Amasis in casu filij, qui ad moriendum ducebatur, lachrymas non effudit, ut aiunt: sed in casu amici, qui mendicabat, effudit hoc enim est miserabile: illud vero atrox. Nam atrox diuersum est à miserabili, & habet vim pellendæ misericordiæ, ac sæpe in contrarium vtile est. Vbi obiter notamus, quod ab alijs quoque notatum est, Herodotum in Thalia, pro Amasi nominare Psammenitum

Amasis

Amaſis filium . Sed, vt ad rem redeam,de Prexaſpe nequaquã mihi Cicero ſic fuiſſe locuturus videtur .

Atque, vt ad octauam partem accedam,dum probatur, neminem eſſe, qui non modo miſerias,& ærumnas ab humana vita ſegregare, ſed ne ſemihoram quidem felicem ſibi , ac beatam polliceri poſſit, commemoratur Metelli fortuna, iſq; in eo miſer fuiſſe dicitur, quòd tam multos nactus filios , & nepotes , cum maxime beatus eſſe poſſet , inuitus obierit . At ſi Cicero hanc Conſolationem ſcripſiſſet, ſine dubio,vt mihi perſuadeo, recordatus fuiſſet,ſe probaſſe mortem in bonis eſſe,& in eo potius, quòd mortuus eſſet, Metellum felicem celebraſſet,& continuantem eam felicitatem, qua in vita perfrui viſus eſt .

In nona vero parte ita legitur;Hoc diuinitus homini datum eſt,vt quoties moleſti aliquid experiantur,tum mortem exoptẽt, ac votis etiam conceptis ſæpe implorent. Quid ita?quia bonam, vtilemq; eſſe mortem, coguntur agnoſcere, malam autem , aut acerbam eſſe nunquam poſſe, homini à natura inſitum eſt . Videtur ſic argumentum duci; Dum moleſti aliquid experiuntur, mortem exoptant. ergo mors eſt bonum . Quid? ſi id eueniat , non quòd mortem eſſe bonum putent, ſed quòd in ſumma rerum deſperatione verſentur? erit ne bonum mors , quæ malum malo addat,& ex miſeris infeliciſſimos reddat,ac deuium quoddam iter ſecluſum à conſilio deorum illis præbeat ? Accedit , quòd apud eos, qui tempore Ciceronis putabant animum eſſe mortalem, mors non erat nec in bonis,nec in malis : quia animi poſt mortem ſi non eſſent, ne felices quidem, aut miſeri eſſent. Quamobrem non exiſtimo Ciceronem eo argumento fuiſſe vſurum, qui vtramq; partem ſpectare ſolet, non ſolum eorum , qui putant animum eſſe immortalem,ex quorum opinione colligit, mortem eſſe bonum, verum etiam eorum, qui mortalem, per quos concludit, mortem non eſſe malum;vt fere ſemper hac de re dubitanter agat, aut animum eſſe immortalem , aut mortalem . iſte vero ſimpliciter ſcribit, bonam, vtilemque eſſe mortem .

In decima parte, vbi ſcriptum eſt in hunc modum; Nec vero credi velim, me, quia dolori nimio repugnem, idcircò dolorem omni ex parte improbare , omneſq; illius ex animo fibras euellendas exiſtimare; contenditur homini morte ſuorum mo-

derate dolendum. Quid, simulate Cicero, moderate? immo vero nihil dolendum videtur, si ea, quæ superius de conditione mortis subtiliter disputasti, attendantur. *se si considerino*

Iam perueni ad vndecimam partem, in qua dum disputatur, hominum non corpora, sed animos in cœlum elatos esse putari, illa probatio affertur; Quod de Romulo vrbis nostræ conditore, memoriæ proditum accepimus; quem singulare in genus hominum collatum munus tam præclaræ vrbis condendæ in deorum numero collocauit. At corpus quoque Romuli in cœlum ascendisse vulgo creditum est, qui cum ad Capreæ paludem exercitum lustraret, nusquam comparuit. vnde inter patres, & populum seditione orta, Iulius Proculus, vir nobilis, in concione iureiurando affirmauit, Romulum à se in colle Quirinali visum, augustiore forma, cum ad Deos abiret: eum denique præcipere, vt seditionibus abstinerent, virtutem colerent: futurum, vt oĩum gentiũ domini essent. Huius auctoritati creditũ est non solum de animo, sed etiam de corpore, quod mortuum non apparuit, vt sepeliri posset. Quare ædes in colle Quirinali Romulo est constituta. Ipse pro Deo cultus Quirinus est appellatus. Si igitur agatur de eo, quod putarunt homines, illa probatio Ciceroni minime congruens videtur. Melius autem ipse Cicero lib. 3. de Rep. non quod putaretur, sed quod verum esset, agẽs de Hercule, & Romulo in cœlum relatis, considerauit in hunc modum; Quorum non corpora sunt in cœlum elata. Neque enim negauit putari, sed esse in cœlum elata. Subiungitur in Cõsolatione; Idq; eo tempore, quo litteris, ac doctrinis homines exculti facile fictum à germano, verum à falso secernebant; vt credi non posit, quidquam illis persuaderi potuisse, quod vllam ficti, aut falsi imaginem præ se ferret. O miram in antiquitate obseruanda negligentiam. Ita ne tempore mortis Romuli erant homines litteris, ac doctrinis exculti, quos ipse Romulus ex agris, & locis syluestribus collegerat, vndique in Asylum omnibus patefactum receperat, in armis exercuerat? Nonne verum est illud, quod in præfatione primæ Tusculanæ scriptum est, prioribus Reip. Rom. temporibus Romanos à Græcis doctrina, & omni litterarum genere superatos esse, quòd in eo non repugnauerint; cumq; apud Græcos antiquissimum è doctis sit genus poetarum, ipsos Romanos serius poeticam accepisse, quòd annis

nis fere quingentis decem post Romam conditam Liuius fabulam dederit? Non ne etiam constat ex Ciceronis libro tertio de Rep. Romanos non sat fuisse excultos, nisi spatio sexcentorũ annorum? Ibi enim comparatur Romulus cum aliis Deis antiquitatis, & dicitur maiorem fuisse admirationem de Romulo, quàm de aliis, quòd alii fuerint temporibus minus eruditis, scilicet ante Homerum, & Hesiodum: Romuli verò ætas fuerit intra illos sexcentos annos, quorum spatio Romani exculti sunt: cœperunt enim apud eos exerceri litteræ, & doctrinæ, ut superius diximus, circiter annos vrbis quingentos decem: vt, si mirum non sit, Romulum inter imperitos Romanos fictum esse Deum, at certe mirationem afferat illud, quòd tamdiu credita sit illa fictio, etiam temporibus iam excultis. Verba Ciceronis sunt, à S. Augustino recitata libri vigesimi secundi capite sexto; Magis est in Romulo admirandum, quòd ceteri, qui dii ex hominibus facti esse dicuntur, minus eruditis hominum seculis fuerunt, vt fingendi procliuior esset ratio, cum imperiti facile ad credendum impellerentur. Romuli autem ætatem, minus his sexcentis annis, iam inueteratis litteris, atq; doctrinis, omni que illo antiquo ex inculta hominum vita errore sublato, fuisse cernimus. probat exemplis Patricius dictum esse, Minus his sexcentis annis, pro, Intra hos sexcentos annos, cum illa disputatio de Rep. habita esse fingatur an. ab V. C. 624. Quid? quòd tametsi in sequenti fragmento tempora inter Homerum, & Romulum erudita appellantur, propter Græcos: tamen ætas Romanorum solum, cum de Rep. disputasse Scipio Africanus commemoratur, ex sensu superioris fragmenti intelligitur iam exculta? Cum enim antiquitas fabulas recepisset; illa ætas illis sexcentis annis iam erudita respuebat: & tamen non respuit fabulam Romuli; quod maxime fuit admirandum. Ex quo, inquit Cicero apud Di. Aug. intelligi potest, permultis annis ante, Homerum fuisse, quam Romulum, vt iam doctis hominibus ac temporibus ipsis eruditis ad fingendum vix quicquam esset loci. Antiquitas enim recepit fabulas, fictas etiam non nunquam incondite. Hæc ætas autem iam exculta præsertim eludens omne, quod fieri non potest, respuit. Iam cum auctor Consolationis nominauit litteris, ac doctrinis excultos, non potuit Græcos respicere, agens de illis, qui Romulum in Deorum numero collo-

cauerant, quibuſq; perſuaderi potuerat, illum factum eſſe Deũ; cuiuſmodi ſuiſſe ſolos Romanos declarauit Di. Auguſtinus ad hunc modum; Quis autem Romulum Deum, niſi Roma credidit, atque id parua,& incipiens? Vt deinde poſteris ſeruare fuerat neceſſe, quod acceperant à maioribus, vt cum iſta ſuperſtitione in lacte quodammodo matris ebibita creſceret ciuitas, atq; ad tam magnum perueniret imperium, vt ex eius faſtigio, velut ex altiore quodam loco alias quoq; gentes, quibus dominaretur, hac ſua opinione perfunderet; vt non quidem crederent, ſed tantum dicerent Deum Romulum, ne ciuitatem, cui ſeruiebant, de conditore eius offenderent, aliter eum nominando, quàm Roma, quæ id non amore quidem huius erroris, ſed cum amoris errore crediderat. Hæc ille. Nec poſſunt eo in loco Romani iam exculti intelligi, tempore Africani, quia ſine dubio agi de illis videtur, qui primi Romulum conſecrarunt, quibuſq; primum diuinitas Romuli perſuaſa eſt. Romani igitur in re militari potisſimum occupati præclara litterarum ſtudia ſero vel cognouerunt, vel receperunt, vt non niſi cum maxima reprehenſione ille, quiſquis fuerit, eos potuerit eo tempore, id eſt, cum mortuus eſt Romulus, litteris ac doctrinis excultos nuncupare; cuius auguratus lib. 1. de Diuinatione paſtoralis adhuc, non vrbanus, appellatur, quiq; ibidem paſtoribus dicitur præfuiſſe quemadmodnm illi primi ſenatores à Propertio vocantur pelliti, ſic,

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta ſenatu,
Pellitos habuit ruſtica corda patres.

Itaq; hic ſolus iſtius Conſolationis locus, poſſe ſufficere mihi videtur ad demonſtrandum, iſtum librum, in quo iſta tam negligenter ſcripta ſunt, non ſolum Ciceronis non eſſe, ſed ne Sigonii quidem (dicant multi, quidquid velint) veteris hiſtoriæ obſeruantisſimi.

De Hercule autem ita legitur; Quis Hercule fortior? quis prudentior? quis ab omni cupiditate remotior? Ego vero, cum dem Herculi fortitudinem, dem prudentiam, dem alia, quæ quis velit; quomodo eum fuiſſe ab omni cupiditate remotum dicam, non video, qui præter alia multa, quæ dedit, incontinentiæ, atq;

intem-

intemperantiæ argumenta,etiam,vt ait ille,ſeruiuit Omphalæ, cum ipſa eum ad lanificium compuliſſet, & cum eo calathum, ac colum ſagittis,& claua,leoniſq; tegmine permutaſſet.

Quòd ſi dicatur,Prodicum ſcripſiſſe, ut legitur apud Xenophontem li.2.de factis,&dictis Socratis,Herculem,cum primũ pubeſceret,& duas cerneret uias,unam uoluptatis, alteram uirtutis,ipſiq; occurriſſet uirtus,& κακία, id eſt,uitioſitas, quarum utraque eum ad ſe allicere ſtuduit,illam ſpreuiſſe , hanc elegiſſe,ut uirtuti deditus,à uoluptate auerſus,quam propoſitam habet cupiditas,fuiſſe uideatur:reſpondebo illam fuiſſe fictionem Prodici,quam ſecutus eſt Xenophon; idq; potisſimum intelligendum de laboribus uirtutis,& fortitudinis, quos ille elegit, ac de nimio ocio contrario uirtuti , & fortitudini, quod ipſe ſpreuit,non de Venereis cupiditatibus& uoluptatibus quibus maxime delectatus eſt; uel tametſi apud Xenophontem talis fictus eſt,non tamen de eo ita ſimpliciter loquendum , quaſi id apud omnes certum ſit , ſed exprimendum Herculem Xenophonteium,uel Xenophontium, quemadmodum expresſit Cicero in epiſtolis,ut ſignificetur eam rem apud Xenophontem fuiſſe fictam,etiamſi ab aliis aliter traditum ſit. Nam, ut inter ceteros narrauit Diodorus Siculus li.5.c.2.quinquaginta filias Theſpii,uiri nobilis Athenienſis una nocte compresſit ; & , ut uerbis eloquentiſſimi Mureti utar,is, quem unum longè bellicoſisſimum fuiſſe accepimus,longe ſalaciſſ. fuit , ut una nocte quinquaginta uirginum mellitam,ut Pindarus loquitur , herbã totonderit; isque ad duodecim notos decimus tertius additur illius labor ,quòd μονονυχὶ πεντήκοντα ξυνελέξατο κούραις. Accedit,quòd,ut idem ſcripſit Diodorus , cum Megaram uxorem ſuam Iolao concesſiſſet,mira cupiditate arſit, ut Iole Euriti filia in Oechalia dominantis potiretur: Augem filiam AleiRegis Arcadiæ,ad quem diuerterat,clam patre uiolauit,grauidamque reliquit: cum Deianiram filiam Oenei Regis Calydoniæ regionis ſibi matrimonio coniunxiſſet, filiæ Philei Theſprotiorum regis,quam captiuam abduxerat,ſtuprum intulit: armis aduerſus Philantum DryopumRegem ſumptis filiæ eius captiuæ pudicitiam eripuit: ad Ormenium Regem profectus eius filiam Aſtydamiam,quamuis Deianiram haberet,ſibi dari uxorem petiit,eamque quam dare recuſabat pater,captam ſtuprauit:con-

tra Euryti liberos,ut Iolem sibi antea denegatam obtineret, exercitum duxit; cumque in monte Cineo sacra facturus Lycam familiarem suum ad vxorem Deianiram misisset, ut ei uestem, qua in sacris uti consueuerat,afferret,illa audito amore in Iolē ardenti, cupiens se ceteris omnibus, ut par erat,in amore præferri,tunicam tinxit, iuxta consilium Nessi Centauri, eius,qui sagitta Herculis transfixus priusquàm moreretur,finxit se eam docere amoris medicamentum,&incautæ uxori modum interficiendi mariti commonstrauit.Itaque cum Deianiræ sanguine Centauri tinctam tunicam induisset,periit. Hæc Diodorus. Quamobrem recte scriptum reliquit Cœlius ciuis meus, Herculem,quem mundi magnitudo uincere non potuit, libidine superatum esse,& Omphalæ seruiuisse,id est,libidini,quòd ὀμφαλὸς Græce significet umbilicum, & in umbilico libido mulierum dominetur,omninoque uoluptarium fuisse, ut ab omni cupiditate, cui modo notauimus propositam esse uoluptatem, alienus appellari merito non potuerit; neque illa attendenda sint,quæ de eo quidam fabulantur, quæque idem Cœlius ridicula appellauit,ad hunc modum; Fabulantur item Græcorū plerique; Herculis statuam effingi solitam sinistra manu mala tria gestantem, quæ claua conquisiuisset dracone interempto, id est, concupiscentia subacta: ita enim comparantur tria poma,hoc est,iræ comprimuntur ardores, & habendi cupiditas temperatur: ac denique uoluptatum sedantur titillationes,sinuosique, ac blandi superantur laquei. Leonis uero pellem nō aliud fuisse,quàm generosam uiri prudentiam, qua is circummunitus, obseptusque affectiones animi prærabidas exculcarit: Ita sapientem quendam,& summatem uirum Herculis nomine accipiendum putant. Quod & in Floridis non ignorasse Apuleius uidetur, qui animi monstra ab illo philosophica claua fuisse perdomita,nobis insinuat. Significat etiam in commentatione Synesius.Hæc ipsa tamen,ut sunt, ridicula uidentur multis, quando uoluptarium in primis Herculem intelligunt. Hactenus Cælius. Vt igitur illa multis uidentur ridicula,sic mihi uidetur ridiculum, Herculem appellari ab omni cupiditate omnium remotissimum,qui fuit inter omnes maxime uoluptarius, luxuriosus,& libidinosus.Est ne hoc dictum Ciceroni tribuendum? Præterea traditur multos uirtute præstan

tes

tes fuisse post mortem Deorum immortalium honore conse-cratos, ut eo modo posteri ad uirtutem magis inflammarentur. Sic enim proponitur quæstio; Atque haud scio, an recte senserint uiri doctissimi, quorum ea fuit opinio, uiros claros, & fortes idcircò Deorum immortalium honore consecratos, ut incitaretur uirtus acrius, & acuerentur uehementius ad obeunda pericula, qui patriæ amore, studioque tenebantur. Eaque quæstio ita tractatur, ut illud conficiatur, animos ob unam uirtutem in cœlum ascendere, & in Deos referri, ut non, nisi qui uirtute prædíti sunt, penetrare ad globos cœlestes, & ad Deorũ honores possint. Tamen paullo post uidetur id tribui uni naturæ animorum, cum sic legatur; Qui homine patre, uel mortali matre natus est, hunc esse Deum, & magnum quiddam uideri potest, & dubitandi occasionem nec fortasse ineptam, multis afferre solet. non enim, si eximius talium uirorum uirtuti tribuatur honos, quin id iure fiat, aut dubitare, aut negare quisquam potest: sed, quòd tantam uirtutis esse uim uelimus, ut uel natura ipsa eius unius ope immutetur, hoc illud est, de quo quærere doctiores uiri non immerito soleant. quibus ita responsum est, non immutari uirtute naturam, nec enim id, sine prioris naturæ corruptione posse euenire; sed eadem in illis manente natura, euolare animum ad Deos, & in eorum adscribi concilium, cum immortalis sit, & immortalitatis diuinæ particeps: corpus autem suapte natura mortale, manere in terra, quodque terrenum est, nullo pacto suam exuere posse naturã, ut alienam induat. Iam si per solam naturam, ut uidetur concludi, animi in cœtum deorum recipiuntur; quomodo per uirtutem, ut superius prolatum est? sin per solam uirtutem, quo modo per naturam? At si propter utranque, id est, tum quia animi sint immortales, tum quia uirtutibus ornati, cur id clarius, dilucidius, magis perspicue, id est, magis Ciceroniane, nõ est explicatum? Quid? quòd in communi omnium gentium, & nationum consensu de uirtutibus ad immortalitatis famam consecrandis, & diuino cultu honorandis, ea commemorantur, quæ in hac materia reticeri fortasse debebant, bestias quoque ipsas ferme omnes fuisse consecratas, & res multas inanimatas in deorum numero repositas? An id proposito prodest, ut cognoscatur, non solum Syros homines, ut ibi legitur, nec tanta

ingenii acie prædiços, nec tantis doctrinarum præſidiis inſtru ctos,piſcem in cultu,ac Deorum opinione habuiſſe, ſed etiam Aegyptios omnibus affluentes eruditionis , & ſcientiæ laudibus,ea conſecraſſe,quæ conſecrare non debuerant, boues, canes,lupos,feles, piſces; immo uero etiam crocodilos , aſpidas, ſerpentes, ceteras feras, & immanes belluas; immo etiam cæpas,allia,fructus ceteros, qui è terra oriuntur? præterea prudentisſimos Romanos ſacris honoribus affeciſſe imbres,&procellas? Ac Græcos quoque tam multis laudibus abundantes audacter,& temere in Gymnaſiis, ædibusque publicis coluiſſe Cupidines; & Amores?At illa omnia reprehenſa ſunt:conſtat. Sed nõne illis exemplis,quantũ uis reprehenſis probabile redditur,etiam res uirtutis expertes conſecrari ſolere,quod eſt contra propoſitum Ciceronis. Non ne melius fuiſſet eiuſmodi exempla prætermittere, nec ingenium in eo reprehendendo exercere,quod quomodolibet commemoratum nocere aliquantum huic cauſſæ uidetur; Verum iam ſatis multa de rebus . Nunc ad uerba accedamus, eorumque nonnulla quàm breuiſſime conſideremus. Nam omnia,quæ notari poſſunt,complecti nimis longum eſset; idcircoque aliquot tantum præcipua attingemus.

Illud,quod in altero meo iudicio notandum mihi duxi,tam uerum eſt,quàm quod uerisſimum, non nulla in iſta Conſolatione uerba adhibita eſse minus Ciceroniana, quædam minus proprie dicta,alia minus latina. Ea nunc permiſte obſeruabimus,ut ordinem Conſolationis retineamus . In prima igitur parte illud , Quorum extant ſatis multa,ſane ſapienter litteris mandata,in primiſque à Theophraſto,Xenocrate,& Crantore, pro,In primiſq. Theophraſti,Xenocratis,& Crantoris,uel pro A quibus extant ſatis multa ſanè ſapienter litteris mandata, in primiſq. à Theophraſto,Xenocrate,& Crantore.

In ſecunda; Nonnullis viſum eſt, magnam eſſe ſenilis ætatis conſolationem,prudentiam uſu rerum quæſitam,pro, Non nullis uiſa eſt magna eſse ſenilis ætatis conſolatio , prudentia uſu rerum quæſita. Hoc enim uerbum Videtur hanc conſtructionem habere non puto,Videtur me eſſe diligentem: ſed, Ego uideor eſſe diligens. Nam ſi ponatur Me eſſe diligentem, pro nominatiuo, oportet uerbum,Videtur,habere alterum no

minatiuũ,

minatiuum,ut utrinque nominatiuus sit: exempli gratia. Veri simile quibusdam aliis uidetur, mihi non uidetur, hanc Consolationem à Sigonio conscriptam. Quòd si citetur ille locus Ciceronis in Oratore; Itaque video visum esse nonnullis, Platonis,& Democriti elocutionem potius poema putandum, quàm Comicorum Poetarum; non videtur esse simile. Vt enim recte dicitur, Putandum est elocutionem esse poema: sic Videtur putandum, Visum est putandum, Video visum esse putandũ. Iam dicamus, Visum est prudentiam esse Consolationem; Visum est, verbum erit. Vbi nominatiuus? Prudentiam esse Consolationem. Igitur, Prudentiam esse Consolationem visum est, quid tandem? oportet enim aliquid aliud sequi. An vero illud verbum ponitur tamquàm impersonale, quemadmodum, Placet mihi Carthaginem non esse, aut quemadmodum Dicitur, Fertur, Nunciatur? Sed vbi nam verbum Videtur apud bonos scriptores ita positum inuenietur? Defenditur ne hæc elocutio Gellij auctoritate? qui sic scribit lib. 2. cap. 4. Nimis quidem est in verbis C. Bassi ratio imperfecta, vel magis inops, & ieiuna. Sed videtur eum significare velle, idcirco dici diuinationem, & quæ sequuntur. At tanti Gellium non æstimo, vt hic eius solœcismus mihi possit esse canon Latinitatis. Præterquàm quòd in voce Eum potest esse mendum, vt legendum fortasse sit Eam scilicet, quæ statim nominatur, diuinationem. Illæ autem Plauti elocutiones, in Epidico, Videor me vidisse. & in Aulul. Vocem me audire visus sum; nihil ad rem: excusantur enim verbo græco δοκῶ, & sunt in persona prima, & alijs excusari modis possunt. Iam ad alia veniamus. Cur non doleat optime etiam perficere non posse, pro, se optime etiam perficere non posse. Magni constet victoria, pro, Magno constet. Sua pacate possidentem, nulla hostium incursione vexatum, pro eo, qui vexatur. Tam imo loco collocauit. Tam cum superlatiuo, quod nunquam legi, nisi cum Quàm, tam, copulant, aut hoc superlatiuum per comparatiuum declaratur, cum Quanto, tanto: vel Quo, eo: vt Quàm estis maxime potentes, tam vos maxime &c. posset fortasse tolerari, si superlatiuum haberet vim positiui, vt Tute scis ex illo, quàm intimum habeam te, idest, quàm charum. Interdum etiam præferatur, de sensu malorum, quæ bonis præponderent, & bona superent. Affines improprie pro

omnibus propinquis,& cognatis. Affines enim proprie ſunt, qui cum ante propinqui non eſſent, facti ſunt propinqui per ſuorum nuptias, vt ipſum matrimonium ſit principium affinitatis, & cognati vxoris fiant affines cognatis viri, quaſi ad fines, & terminos cognationis perducti. Exempli cauſſa, P. Craſſus non erat propinquus Ser. Galbæ oratoris: at C. eius filio filia ſua collocata, cum eo affinitate ſeſe deuinxit, vt ſcriptum eſt de claris oratoribus. Itaq; ſolet Cicero diſtinguere affinitatem à cognatione, quemadmodum cum ſcripſit de finibus; Serpit ſenſim foras, cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitijs, poſt vicinitatibus. & de orat. Cognationes, affinitates. At in hoc libro nominantur indiſtincte affines pro omnibus propinquis, agnatis, & cognatis, vt affinitas ſit tamquàm genus omnis propinquitatis. In eadem ſecunda parte; Ex parẽtum, fratrum, ſororum, affinium interitu, ideſt, ceterorum omnium propinquorum. Aut enim innuptæ parentibus, & affinibus, aut nuptæ maritis parent. & in tertia; Cur liberis, & affinibus diuerſum? Ad meos autem & affines, & amicos, ut peruenero. & in quarta; Siquid eſt, quod morientes perturbet, aut morientium affines habeat ſollicitos. & in ſexta; Angamur liberorum, & affinium interitu. & in ſeptima; Erepti vel amici, vel affinis, vel filij cogitatio. Hoc non ad amicos, aut affines, quorum dolere videmur interitu, ſed ad noſmetipſos pertinebit. Qui non affinitate, aut beneuolentia, ſed ex vna proueniat vtilitate. Nos in filiorum, aut affinium morte lugebimus? Præterea in ſecunda; Vinculo conglutinatus. pro, aſtrictus.

In tertia; Credamus ſane Apollini Delphico, qui exoratus à Trophonio, & Agamede, à quibus templum magnifice Apollini exædificatum Delphis erat, vt quod eſſet optimum homini, tribueret, poſt diem tertium exanimes ſunt inuenti. Illud, Qui exoratus, exanimes ſunt inuenti, quàm Latine, & congruenter ſit dictum, cogitent quæſo illi viri doctiſſimi, qui in iſta Conſolatione plus nimio conniuentes audent etiam dictitare, tã Latine, tam pure, tam emendate locutum eſſe auctorem eius, vt nulli hoc tempore nec in Italia, nec inter alias gentes, & nationes reperiantur, qui tam recte loqui potuerint. Nec credo ſapientiſſimum Sigonium ſua caſuum mutatione, Demetrij Phalerei teſtimonio confirmata, poſſe ſatis hunc locũ defendere, & excuſare,

re,

re. In eadem parte; Cur affinibus diuersum? Videtur potius olere hodiernas scholas, quàm Ciceronem. Fatis concessisset, pro, mortuus esset: quod Plinianum, non Ciceronianum est. Ne hic ad molestiam, doloremq; alēdum angulus relinquatur, pro, Ne huius argumentis vis, quæ posset molestiam, doloreq; alere, declinetur. Angulum obijcere, pro Ansam præbere, vel locū, quò tuto se quis recipiat, aperire. Obstringere nobis mortē argumētis, pro Argumētis probare, morti nos esse obnoxios.

In quarta parte; Morte nihil humanius, pro, Nihil homini conuenientius. Etenim Humanus, cum sit comparatiuum, aut superlatiuum, videtur benignum significare, præcipue apud Ciceronem. Libenter abhorrere. Quis vnquam Libenter cum huiusmodi verbo posuit? an vero dicetur ēt, Libenter timeo, Libenter formido, & similia? Statim eorum consuetudinem regustabimus, & ad suauissimam vel consuetudinem, vel conuictum redibimus. Quid ineptius hac Battologia? Videor apud Ouidium audire Battum ipsum, cum Mercurio de bobus percontanti, Sub illis Montibus, inquit, erant, & erant in montibus illis. Voce deniq; ipsa, & orōne frui. Vtimur voce, vtimur oratione, non fruimur, nisi si in alio aliquo nos ea delectet. Tam multis ex aduerso miserijs oppressa hominis natura, pro, Ex altera parte. Pharmacorum genera multa, pro, Remediorum. Siquis tibi in morte sensus est. Inepte, cur videris de ea re dubitare, quam tamen ipse tamquàm certam probas? Sed vt hoc mittamus, In morte dictum est, pro, Post mortem. Sic in decima, Vigere animum in morte. Apud Isocratem in Euagora est; εἴ τις ἐστιν αἴσθησις τοῖς τετελευτηκόσι, non aūt τοῖς τελευτῶσι. Non ne In morte, significat, In moriendo? At illa erat iam mortua.

In quincta; Mortem esse bonorum ministram, pro ea, quæ dat, aut affert bona, Cum Xerxes exercitus sui copias pene innumerabiles collacrymatus esset, pro collacrymasset. Lacrymor deponens etiam apud Ciceronem inuenitur. Collacrymor apud neminem alium vnquam legi. Ne mortis suauitatem, quāta est, omni ex parte degustaremus. si degustare est leuiter gustare, & attingere, quomodo ex omni parte? si ex omni parte, idest, penitus, omnino, plane, quomodo leuiter? Delectamur discentes, angimur ignorantes pro, discendo, & ignorando, quod naturam habet ablatiui. id quidem reprehendere non

audeo: ſed helleniſmum olere exiſtimo, vt χαίρω ἐπαινούμενος καὶ ἄχθομαι κακῶς ἀκούων & ſimilia. Hac luce vtimur, pro, fruimur.

In ſexta: Pati mutationem, pro, Immutari. Pati mala, pro, Incidere in mala. & in decima; Sterilitatem paſſa eſſe, pro eo, quod eſt, aliquando fructum non tuliſſe. At pati malum apud Ciceronem uidetur eſſe, non quocunque modo incidere in malum, ſed uel bene ferre, uel contra. In eadem ſexta parte; Fœmineã mollitiem exuere. & in ſeptima; In fœmineis animis. At Cicero tali uoce nunquam uſus eſt, quamuis auctor ad Herennium ſcripſerit, Fœmineum plangorem. Summa eſt ratio, & ſapientia, humanæ neceſsitati imperare. Cur igitur ſi Cicero es, in epiſtolis dicis, Tempori ſeruire, id eſt, neceſsitati parere, ſemper ſapientis eſt habitum? Non'ne inter ſe contraria ſunt parere, & imperare? At quis unquam neceſsitati imperauit? Horatius adamantinos eam dicit clauos figere. Idem alicubi ſæuã, Euripides στεῤῥάν, Liuius ingens telum appellat, apud quem eſt & illud, Pareatur neceſsitati, quam ne dii quidem ſuperant. Idẽ teſtatur Plato de legibus, & in conuiuio. Quare non puto Ciceronem tantopere diſsenſiſſe à Platone, & à ſe ipſo etiam diſcreþaſſe.

In ſeptima; Neque filii morte nuntiata, pro, Ne filii quidem morte. In primo meo iudicio putaueram tria in primis fuiſſe Typographi errata, Traheaſpas, pro, Prexaſpes, qui commemoratur ab Herodoto illo, ſæpius in hoc opuſculo citato, quàm prope dixerim in omnibus Ciceronis operibus. Præterea Miſereatur, pro, Miſeretur. & Iuuarint, pro, Iuuerint. Sigonius agnouit tantum primum errorem. at in hac reliquit parte; Tantumque poteſt impietatis odium, ut tyrannum extinctum, ac ſæuiſſime excruciatum nemo miſereatur. & in octaua; Qui Remp. ſuo labore, ſuoq. ſanguine, auxerint, iuuarint, ſeruarint. Quid ergo? ſi non ſunt errores Typographi, poteſt ne ita Latine dici? Num credamus filii mortem honeſtam, ac pro patria ſuſceptam tali patri futuram fuiſſe iucundiſſimam? & in octaua; Num ei multo melius eueniſſet? Pro, Non'ne credamus? Nõ'ne eueniſſet? At Dictio Num in his locis eſt præpoſita interrogationi exigenti affirmationem: & tamen uidetur præponi debere interrogationi exigenti negationem: ſic enim inter ſe diſtinguuntur, Num, & Non'ne, ut, Non'ne credamus? ſine dubio.

Num

Num credamus ? Minime uero. Eos ſuperioribus Græcis cō parare,pro,antiquis,& priſcis. At ſuperius uidetur ſignificare ab ætate noſtra non nimis remotum,aut etiam proximum. Vt nullum pene doloris paullo acrius indicium ediderit,pro,acrioris. Concionem de rebus à ſe geſtis ad populum habuit. An uero poterat haberi in ſenatu ? Quis unquam addidit illud, Ad populum ? cum ipſum concionem habere ſit orationem habere ad populum,ſeu ad multitudinem, ut Gellius lib. 13.c. 15. declarat ad hunc modum; Cum populo agere eſt ,rogare quid populum,quod ſuffragiis ſuis aut iubeat,aut uetet. Concionem autem habere eſt uerba facere ad populum ſine ulla rogatione. Nec me mouet illud Suetonii; In concione populi,cum uellet ipſe fortaſſe diſtinguere populum a militibus:præterquàm quòd,quid ſit Suetonius ad Ciceronem , non ignoratur.Paullo poſt; Horrida tempeſtate,quod eſt ualde Horatianum,Horrida tempeſtas cœlum contraxit.& In congreſſu hoſtium duriuſcule, pro,In pugna aduerſus hoſtes. Quorum ſinguli,pro,Qui ſinguli,uel Quorum unuſquiſque.

In octaua; ueritas eluceſcit, pro , elucet. Eluceſcere autem eſt Di.Hieronymi,non Ciceronis.

In nona; Quoties moleſte aliquid experiantur,tum mortem exoptent. & in decima; Quoties alium hominem quamuis alienum premi calamitate,atque ærumna uideat, crucietur animo. Quoties pro Quando,de quo ſic Valla;Cicero fere nunquam utitur Quoties pro Quando,niſi addat Toties.Præterea in nona: Res communicat cum omnibus hominibus,pro,communis eſt omnibus . Gratulari diis immortalibus de aduerſis. Si gratulari,pro gratias agere, quis ita uſus eſt ? ſi in ſua propria ſignificatione,quis unquam cuiquam gratulatur de aduerſis ? & quomodo ea cadunt in deos ? Quibus maxime rebus egere ſæpe homines ſolemus,fortitudo,& prudentia, hæ ita in muliere abundabant. Si ſpectetur uerbum Egere,dicendum eſſet,Fortitudine,& prudentia: ſi uerbum Abundabant , uidetur abundare dictio , Hæ. Præterquàm quòd ponuntur homines pro uiris.Nam homines ſignificant quidem tum uiros,tum mulieres: ſed cum facienda eſt diſtinctio à mulieribus , nominantur uiri,non homines; vt,qui ita ſcripſit,linguam, qua nunc Itali utuntur,ſecutus eſſe uideatur, in qua Huomini ſignificant

tantum

tantum uiros ſic etiam ſupra in ſexta parte; Niſi turpe uideatur homines à mulierculis multo certe imbecillioribus fortitudinis exempla petere. Et in ſecunda; Fœminæ non, ut homines, indagare poſſunt; qua maxime ratione medeantur incommodis.

In decima: Eum qui ſic doleat, ut recreari, confirmarique non poſſit, ne diuinum quidem numen horrere, pro, uenerari, & uereri. id mihi uidetur minus proprium, & ſuperſtitioſi, uel male conſcii: at hoc in loco accipitur in bonam partem.

In undecima; Eorum animi tamquàm hominum de diis immortalibus, humanoque genere optime meritorum, in cœlum putentur elati. Quorum alius alio genere uirtutis omnes ſummis, & ſingularibus uel in ipſos Deos, uel in homines meritis præſtiterunt. At non homines de Diis, ſed Dii de hominibus benemerentur, eiſque benefaciunt. Sine prioris naturæ corruptione, pro, interitu. Ima ſummis commutare. Videtur ſumptum ex illo Horatii. Valet ima ſummis mutare. Et ego multo mihi gratiorem, multoque iucundiorem congreſſum noſtrum futurum intelligam, quàm inſuauis, & acerbus digreſſus fuit. Cum ſit comparatio inter duo ſubſtantiua, quorum unũquodque ſuum habeat adiectiuum, comparatio directa uſurpari nõ uidetur, id eſt illa, quæ deſinit in O R, ſed obliqua, id eſt, per Magis; ut Congreſſum multo magis mihi gratum, & iucundum intelligam, quàm inſuauis, & acerbus digreſſus fuit. ſic per Minus, quàm; ut, Intelligam minus inſuauem, & acerbum digreſſum fuiſſe, quàm mihi gratus, & iucundus congreſſus erit. aut, Non tam, quàm; ut, Non tam inſuauem, & acerbum intelligã digreſſum fuiſſe, quàm mihi erit gratus, & iucundus congreſſus. Illud autem, Inſuauis & acerbus, olere Horatium uidetur, apud quem legitur ſat.3.lib.1.ſermonum; Habeare inſuauis, acerbus.

Hæc habui, quæ de rebus, & uerbis iſtius Conſolationis dicerem, plura ſine dubio additurus (in hac enim materia non tam copia, quàm modus argumentorum quærendus eſt (ſi in his conquieſcere, quamuis multis, illi noluerint, qui priori iudicio meo non contenti, & auctoritate grauiſſimorum quorundam uirorum, in primiſque Caroli Sigonii, adducti librum Cicerone indignum tamquàm Ciceronis adhuc contra me tanto

pere

pere fouerunt, mihique tam acriter reclamarunt, quòd Cicero ni iniquus essem; quem tamen audire uideor sic merito conquerentem; Maximas quidem habeo gratias illis, qui uulnera meis operibus iniuria temporis, & librariorum ignorantia fœdissime illata, addẽdo, detrahẽdo, mutando sanare conati sunt, & uarios locos corruptos correxerunt, obscuros illustrarunt, difficiles ita diligenter explicarunt, ut maximum mihi lumen at tulerint, & ornamentum. Maiores etiam illis, qui, cum multorum meorum uoluminum Romano labente imperio, atque op pressa sæpius impetu barbarorum Italia, iactura facta sit, pulcherrimas meas reliquias dignitatis, atque honoris expertes, di uersissimis in locis, & quasi obscurissimis in tenebris diutius ia centes, in unum redegerunt, & confusa, ac permista, si non uere (id enim prorsus efficere non potuerunt) at saltem ingeniose, ut lucidius, quantum fieri poterat, refulgerent, ordinarunt, meque quodammodo ab inferis excitarunt. Sed, ut libere agam, non magnas illis habere possum, nec debeo, qui ea mihi tribuunt, quæ nequaquam sunt tribuenda, dumque me locupletiorem reddere student, illarum diuitiarum priuant fama, quibus affluere semper existimatus sum, ut doctissime, & ornatissime scripserim: qui ardore quidem amoris erga me singularis incensi sunt, sed, dum me plus nimio amant, odiosum reddunt, nimioque amore corrupti, faciunt, ut minus doctus, minus ornatus, immo uero etiam, si Diis placet, minus Latinus uidear: quem tamen aliis Latinis plerique anteponunt; qui denique amice sunt monendi, ut in meis tebus diiudicandis tantopere nõ conniueant, si ueri mei amici esse uelint. Quæ enim amicitia est ista, quæ me prorsus imprudentem, qui contraria, & repugnantia scripserim; prorsus Dialecticæ ignarum, qui absurde quædam concluserim; prorsus ueteris historiæ inscium, qui nõ bene memoriam temporum replicauerim, non bene antiquitatis monumenta excusserim; inani quadam celebrat imitatione? Quid porrò putidius, quid me ipso indignius, q̃ quòd non solum res, sed etiam uerba mihi parum congruentia attribuunt? O igitur fallaces, & inanes cogitationes meas, qui quotidianis laboribus, atque assiduis uigiliis tantum proficere me posse existimauerim, ut immortalem gloriam, quæ à sapientia, & ab eloquentia manat, mihi compararem, si tanta imprudentia, tanta

igno-

113

ignoratio, tanta inſcitia, tantæ ſordes, in me poſſunt excogitari. Sed ceſſent, quæſo, eum honorem mihi habere, quem nequaquam mihi expetendum exiſtimo. Contentus ſum ea gloria, quam ſatis amplam ſum conſecutus: modo, ne ipſa minuatur, amicis meis curandum eſt: & non, dum eius amplificatio quæritur, eiuſdem potius diminutio, ac quaſi interitus procurandus. Sic merito conqueri Cicero uidetur: Quamobrem cum & res ipſæ, & uerba in iſto libro de Conſolatione, parum conuenire Ciceronis ſapientiæ, atque eloquentiæ uideantur; deſinat tandem Sigonius, Patronus meus, maximum ingenium, & ſingularem induſtriam ſuam in eo exercere, ut ipſum tamquàm Ciceronis defendat. Deſinant alii quidam mihi negocium faceſſere, niſi uelint non ſolum pertinaciſſimi prædicari, uerum ſibi quoque diem dici uiolatæ Latinitatis. Deſinant omnes, qui mihi hac ipſa in re aduerſantur, adulterina pro ueris protegere; &, quando tot Ciceronis libri iniuria temporum amiſsi nobis à uetuſtate rerum omnium confectrice reſtitui uix, aut ne uix quidem uidentur poſſe, iis, quos habemus, qui ſatis multi ſunt, ſe ipſos, ut debent, conſolentur; nolintque deſiderio uolu minum amiſſorum maieſtatem magni Ciceronis ſubiectis, & ſuppoſitis libris diminuere.

FINIS.

Errata grauiora ſic corrigito: in leuioribus iudicium adhibeto.

Pag. 4. b. expugnatum. expugnatam. 36. a. peperint. pepererint. 37. a. laudimus. laudibus. Carthaginenſes. Carthaginienſes. 40. b. non concitat. nos concitat. Domiuiri. Dominici. 61. b. ſtuderent. ſtuderent. 67. b. celebratam. celebraram. 75. b. cerce. certe. 81. a. deſumpta. deſumptam. 86. b. Noc. Non. 89. a. ſi hoc loco. ſic hoc loco. 89. b. non dicimus. nos dicimus.

Regiſtrum.

✱ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee. fol. 29.

114

ANTONII RICCOBONI ORATIONVM

Volumen Secundum

AD ILLVSTRISSIMVM, ET R.mum DOMINVM D. ANTONIVM SAVLIVM.

Archiepisc. Genuæ, & S. R. E. Cardinalem ampliss.



Pataui, Apud Laurentium Pasq.

M. D. LXXXXI.

115



AD ILLVSTRISSIMVM, ET RELIGIOSISSIMVM S. R. E. CARDINALEM, ANTONIVM SAVLIVM, ANTONII RICCOBONI PRAEFATIO.

procemio di quello uuol parlare





Llustrissima profectò res est, Illustrissime Cardinalis, uirisq; Illustrissimis quàmdignissima eloquentia; meritoq; vir eloquẽtissimus scri

ptum reliquit M. Tullius, Mandare quemquam litteris cogitationes ſuas, qui eas illuſtrare non poſſit, hominis eſſe intemperanter abutentis & ocio, & ipſis litteris. Cum autem hac tempeſtate pauci admodum eloquētes comperiantur, huiuſce paucitatis ſi cauſſa perquiratur, duplex mea quidem ſententia poſſe afferri videtur; altera, quòd dicendi ars à circumforaneis clamatoribus, inanibus adulatoribus, indiſertis ſenatoribus contemnatur: altera, quòd, cum quidā huius præcepta facultatis nonnullo perſequantur ſtudio, quoniam tenuiſſimis quibuſdam quiſquilijs, ac tritis, ſolennibuſq; ſententiarum, & verborū formulis perquàm contenti, eius penetralia non attingunt, ea vti neſciant. Atq; hinc fit, ut multi exiſtant rabulæ, non immerito à Cicerone modo anſeres, modo canes nominati: multi ridiculi laudatores: multi putidi in conſultationibus proclamatores: pauciſſimi vero qui eloquentis nomine digni exiſtimentur. Cumq. illi vehementer errent, qui ſine vllo dicendi ſtudio ſe in dicendo poſſe prorſus excellere, ſummamq. eloquentiæ laudem adipiſci arbitrantur: ne illorum quidem inſtitutum retinendum eſt, qui, cum toti in leuioribus meditationibus

ſint,

ſint occupati, propter leuitatem ſuam vel ne ceſſe habent latere, nullumq. eloquentiæ vſum ſubire, & commentationem incluſam in veritatis lucem minime producere, uel inſani apparere. Primum enim ad grauiorũ Rhetorum intimos ſenſus penetrandum eſt: deinde grauiora huius artis præcepta ad uſũ ſunt reuocanda, ad publica certamina, ad puluerẽ, ad clamorẽ cõparanda, ad actiones oratorias, & ipſas orõnes accõmodanda. Nã oĩs cognitio, meditatio, contẽplatio ad actionem eſt conferenda. Id quod exemplo appa ret tum præpotentis Dei, qui omnia intelligit, omniaq́; gubernat: tum Philoſophi, qui cum ad Dei imitationem, quantum humana fert natura, ſe effingat, ſimul ſtudet cognoſcere, & agere: tum Iuriſconſultorum, & Medicorum, qui, cum à Philoſophia tamquàm ab vberrimo omnium bonarum artium fonte defluxerint, ſolent & ipſi ſuam intelligentiam, ac ſtudiorum meditationem ad rerum vſum accommodare: tum vero etiam, ne lõgius progrediamur, ipſorum Rhetorũ, quòd perſpectum, & cognitum ſit, ipſos ſcriptores artis, à dicendi conſuetudine alienos, ne mediocriter quidem diſertos fuiſſe. Neque enim, ſi illi ipſi Siculi ab inferis excitarẽtur,

Corax,

Corax, & Tiſias, qui huius artis inuentores, ac Principes nominantur, ſatis docerent, q̃d ſine dicendi uſu dignum rebus, quæ agerentur, dignum oratorio nomine, dignum auditorum auribus efficere, atque edere potuerint. Neque Prodicus Chius, Protagoras Abderites, alij multi, qui artis præcepta conſcripſerunt, cum ſe in dicendo minime exercerent, egregios ſe fuiſſe oratores oſtendere potuerunt. Equidem, ut hac de re quid ſentiam, plane aperiam, plures oratione præſtitiſſe arbitror, qui ſola dicendi conſuetudine nixi artem nec didicerint, nec omnino ſcire curauerint, quàm qui ſolis præceptis inſtructi nullum uſum habuerint; ut meo quidem iudicio ad laudem oratoriam conſequẽdam plus experientia ſine doctrina, quàm ſine experientia valeat doctrina. Contendo tamen vtramque coniungendam eſſe, ut pręclarum quiddam, ac ſingulare exiſtat. An uero putabit quiſquam eloquentem ſe eſſe poſſe, ut ſcelus, fraudemq. nocentis ſubijciat odio ciuium, ſupplicioq. conſtringat, & innocentiam iudiciorum pœna liberet: vt languentẽ, labentemq. ſenatum ad publicum commodum, & dignitatem excitet, atq. ab errore deducat: vt virtutes extollat, uitia deprimat:

ut,

ut, quemcunque uoluerit motum, in animis auditorum vel inflāmet, uel mitiget; nisi prius eorum, quæ ex arte perceperit, assiduam susceperit exercitationem, & non solum, quæ publice agenda sunt, exercitatione quasi ludicra prędidicerit, ac meditatus fuerit, uerum etiam dixerit sæpe publice, atq; excellentium oratorum præclaras orationes uel scriptas, uel dictas obseruauerit, callumq. quasi obduxerit frequentās oratorum viam? Est igitur aliquis, qui locos enthymematū, & exemplorum, qui rationem morum, & affectuum, qui præcepta elocutionis, & dispositionis egregie nouit: qui siue versetur in genere deliberatiuo, habet omnes vtilitatis notas, & tractatas propositiones, siue in demonstratiuo, honestatis, siue in iudiciali, æquitatis, & cum propriis generum sedibus cō munes, & Topicas sedes coniunxit: qui ea, quæ de moribus tradita sunt, siue spectētur in oratore, siue ī auditore, siue in elocutione cognouit: qui, quomodo animi auditorum vel permoueantur, &, quò libuerit, impellantur, vel permoti, atque impulsi sedentur, ac tranquillentur, percepit: qui omnes sententiarum, & verborum formas, omnia eloquēdi genera, scientia, & memoria comprehen-

dit:

dit:qui ordinis,& collocationis notitiam ha
bet;& conficiendorũ in qualibet cauſſa exor
diorum,narrationum,confirmationum,per
orationum locos tenet:qui vniuerſam artem
Rhetoricam didicit,& minime contentus li
bris Ciceronis,Cornificii,Quinctiliani, ſatis
multis, & copioſis, opera etiam Ariſtotelis,
Hermogenis, Demetrii, aliorum multorum
peruolutauit : an id ſatis cenſendum eſt ad
ſummam oratoriam laudem adipiſcendam?
Eſt id, quidem magnum, fateor, præſtans,
admirabile,vtile,neceſſarium: ſed non ſatis.
Quid ergo amplius poſtulatur? Nempe, vt,
quæ veteres dicendi magiſtri tradiderunt,
quomodo ueteres oratores ſeruauerint, di-
ſcat,& ipſe etiam ſuis orationibus ſeruare aſ
ſueſcat, nec minus curet, quę ex arte dicta
ſint,quàm quæ de arte pręcepta ſint, & ad
præſtantium oratorum imitationem ita ſe
effingat, vt contendere cum eorum laude
ſane pulcherrima poſſe uideatur.Id fecerunt
ueteres oratores egregii,Demoſthenes, Hy-
perides, Aeſchines. Id Craſſus, Antonius,
Hortẽſius,Cicero.Id alii quàmplurimi,qui,
quoniam doctrinam cum uſu coniunxerũt,
admirabiles in dicendo,ac prope diuini exti
terunt.Id ego quoque efficere conatus ſum

Illu-

Illuſtrisſime Cardinalis, ut diu, multumq. uerſatus in peruolutandis tum Græcis, tum Latinis Rhetorum ſcriptis, & expendendis ueterum orationibus, (quarum præcipue rerum in Gymnaſio Patauino explicãdarum, tamquàm veteris eloquentiæ tutori uiginti abhinc annos mihi publico decreto delatũ eſt munus) atque adeo etiam conſcribendis, & edendis Commentarijs, quibus ea, quæ ab Ariſtotele, & à Cicerone tradita ſunt, quantum per me fieri poſſet, clariora redderentur, conſcribendis, & edendis, ſimul multas confecerim orationes. Cuiuſmodi laboribus, vigilijs, & lucubrationibus meis quid profecerim, proficiam, & proficere in poſterum queam, aliorum ſit iudicium: neque enim eloquentiæ laudem me aſſecutum, ſed tantum ſecutum eſſe profiteor. Cum autem orationum mearum ſecundum volumẽ editurus eſſem, multis de cauſſis, Illuſtrisſime Cardinalis, eas tibi inſcribere decreui; primum ut ipſæ luce tua illuſtrisſima illuſtrarẽtur, & auctoritate illuſtrisſimi nominis tui à maleuolorum, & inuidorum hominum oculis, quaſi nubeculis quibuſdã, vindicarentur: deinde vt, quæ ab eloquentiæ ſtudio ꝓfectæ ſunt, in eius nomine apparerent, qui

in eloquentia mirabiliter excellit, ſemperq; eloquentiæ ſtudioſos benigniſſime fouit: poſtremo ut admodum Reuerendi Viſitatoris, & Abbatis, fratris mei, Barnabæ Riccoboni, conſilio, & voluntati obtemperarem, qui cum primum me hoc uolumen orationum eſſe editurum intellexit, ipſum ſine vlla dubitatione amplitudini tuæ dicari debere mihi perſuaſit, cum ut magno litterarum patrono, tum de ſe, & hoc modo de me, ac familia noſtra optime, & diuinitus merito; nō ſolum cum ipſe, Genuæ, dum conuentus S. Stephani Abbas eſſet, tibiq. Archiepiſcopo illius ciuitatis ſapientiſſimo, & benigniſſimo nonnunquam honeſte ſeruiret, tuam ad mirabilem, ac prope incredibilem humanitatem expertus eſt: verum etiam cum tu Romæ, poſteaquam excellenti iudicio Siſti V. Pontificis Max. ad Cardinalatum euectus es, dum ipſe ibidem Generalem ordinis Oliuetani Procurationem adminiſtraret, ita eum tibi complectendum, exornandum, tuaque auctoritate extollendum putaſti, vt clariſſimum benignitatis tuæ ſingularis monumentum prodere poſteris, eum fouendo, ac Pontifici commendando, uoluiſſe uidearis. Ac tu quidem, Cardinalis Illuſtriſſime, omniũ

ſtudia,

ſtudia, & laudes promereris, non ſolũ quia generis claritate ſplendeas, Genuæ patriæ ſplendore clareas, Sauliæ familiæ ornamento eniteas, fortunarum nitore ornatus ſis, Archiepiſcopatus, & Cardinalatus dignitate illuceas, ad quos dignitatis gradus uiris tantum uirtute, & probitate excellentibus patere aditus ſolet: ſed etiam quia præclariſſimis litterarum ſtudijs, & optimis artibus animum tuum excolueris, eamque in obeundis Reipub. Chriſtianę muneribus præſtantiam oſtenderis, ut te tamquàm cœlo delapſum omnes merito ſuſpiciant, & admirentur. Verumtamen nihil tibi ad laudem eſſe illuſtrius, nihil ad famæ celebritatem, honeſtius uidetur, quàm excellens quędam de omnibus bene merendi uoluntas, ſumma clementia, morum facilitas ſingularis, omnibus admiranda ab bene faciendum propenſio, magnanimitas, & altitudo animi omnium uocibus, ac litteris celebranda; quæ quidem facilem tibi parat aſcenſum ad proximum cœlo locum: quam Barnabas, frater meus, tamquàm diuinam nunquàm deſinit deprædicare: quam ego ita colere cœpi, ut in maximam ſpem ueniam, te hoc munus meum, quamuis exi-

guum, benigno animo esse accepturum, cum ipsum, quantulum cunque est, tibi offerre uoluerim, quoniam non solum magna, sed etiam parua summo patrono deberi existimem, &, quæ vel natura sua, vel ad dignitatem tuam parua sunt, ea te tamquàm magna pro tua bonitate accipere solere intelligam, spectantem magis animum offerentis, quàm vel rem oblatam, vel amplitudinem tuam. Accipe igitur has orationes, quas Illustrissimo nomini tuo do, dico, addico, si non ex tenuitate mea, at saltem ex rebus grauissimis, in quibus ipsę uersantur, grauitati tuę maxime congruentes: ac perge, ut iampridem facere instituisti, Barnabam fratrem meum tua auctoritate, in quam is, ut in numen aliquod grauissimum, sibi maxime propitium, prope intentis oculis intuetur, fouere, meq. una cum eo in numero addictorum tuorũ habere ne graueris. Quod ut facias, amplitudinem tuam clementissimam etiam, atq. etiam rogo. Vale.

Patauij. Mense Augusto. M.D.XCI.






INDEX ORATIONVM



V. In

XVIII.





AD

SEBASTIANVM VENERIVM VENETIARVM Principem

pro Medicorum, & Philoſophorum in Patauino Gymnaſio Vniuerſitate,

Antonij Riccoboni Oratio.



VM litteræ, & arma, Sereniſsime Princeps, in Rep. optime inſtituta eam inter ſe coniunctionem habeant, ut ſe inuicem colere videantur; merito nos, qui litteras profitemur, arma principatu dignisſima nunc agnoſcimus, teq; armorum imperio inſignem Principem noſtrum conſalutamus, ac nomine magnificæ Medicorum, & Philoſophorum Vniuerſitatis in Patauino Gymnaſio floreſcentis tibi principatum gratulamur. Itaq; veteres tradiderunt, Palladem ſapientiæ Deam armatam extitiſſe, & Apollinem Muſarum Principem cũ Marte belli præſide in cœlo coniunctum eſſe, vt cum hic ſuperiorem poſſideat locum, illum tamen agnoſcat ducem, & moderatorem luminis ſui; ac ſignificarunt eiuſmodi eſſe vinculum ſapientiæ cum fortitudine, contemplationis cum actione, con

Toga p pace interdu accipitur, toga pacis est insigne, et oci.

ſultationis cum rerum adminiſtratione,vt altera quidem alte ri, pro ut fert occaſio,præſit,verum nunquam altera ſine alterius auxilio extollatur. Quo fit, ut modo arma togis,modo togæ armis cedant;modo ſapientes viri imperent,quales optabat Agamemnon,ut facilius Troia potiretur, qualeſq; Principes eſſe oportere, diuinus teſtatus eſt Plato,modo fortes dominentur; & ij maxime digni eſſe imperio, ac principatu uideantur,qui cum fortitudine coniunxiſſe ſapientiam exiſtimẽtur. Cuiuſmodi eſſe te, Princeps ſereniſsime, cum omnibus notisſimum, atq; exploratisſimum ſit,merito ad tui nominis prædicationem omnis dicendi,& ſcribendi vis, atq; copia eſt conuerſa,& adhuc à tam multis adhibita,ut nihil fere nobis relictum ſit,quod posſit ſine aliquo audientium faſtidio commemorari.Quamquam ſolent præſtantisſimi Principis ſæpius iteratæ laudes populo eſſe gratisſimæ; & verendum nobis nõ eſt,quin attentisſimo, & benignisſimo animo,etiam de rebus notioribus audiamur apud ſenatores humanisſimos,in quorum ſinu perpetuo ipſa humanitas reſidet,neq; putandum eò minus nos auditum iri,quòd ea lingua loquamur,quæ nobis ab hoc illuſtriſs.ſenatu tanquam tutoribus commendata eſt, vt, ſi à ceteris deſeratur,à nobis ſine magna noſtra reprehenſione deſeri nõ posſit; quam ſemper huic ciuitati charam propter amplitudinem ſuam,& magnis principum legatis in hoc ipſo collegio vſitatam à ſapientisſimis ſenatoribus non libenter audiri minus veriſimile eſt. Vnde igitur incipiemus ? aut quid potisſimum commemorabimus ? Equidem, cum mihi hoc laudationis,& gratulationis munus publico eſſet decreto delatum, diu, multumq; dubitaui, quid nam agerem, vtrum omnes laudes tuas , quæ plurimæ ſunt, mea oratione comprehendere conarer, an eam vnam virtutem exornarem,quæ te potisſimum extulit ad Principatum; quorum alterum prope infinitum eſſe animaduertebam,& ab alijs imperfecte tractatum,vt ne minima quidem eius pars ſatis expreſſa eſſe videatur: alterum mutilum quodammodo prima ſpecie,& amplitudine tua inferius comperiebam . Vicit tandem illa ipſa virtus,quæ etiam teterrimos chriſtiani nominis hoſtes deuicit,ut una ageretur,vt unius præſtantia celebraretur, ut vnius maieſtas ſuſpiceretur; cum præſertim id eſſet ei breuitati accommo-

commodatius,quam grauissimæ huius excelsi collegij postulant occupationes. Ac profecto, serenissime Princeps, tanta est amplitudo fortitudinis tuæ,ut, cum maximus sit splendor huius vrbis,quæ tua patria est,& plurima sint decora,ac dignitatis insignia eius familiæ,in qua natus es,ac prope innumerabilia existant animi tui ornamenta; oĩa tamen rerũ earum, quas in bello gessisti,claritate quodammodo obscurentur.Cedant ergo Venetiæ,cedat Veneria domus, cedant aliæ animi tui virtutes fortitudini tuæ; & patriæ, familiæq; laudes cum multis cões,ad illos cohonestandos,qui proprijs ornamentis minus abundant,uel etiam ad illorum infantiam adiuuandã, qui nisi agant communia,implere orõnem non possunt,referuntur; uel, si nunc aliquantisper attingendæ sunt, petantur solum ab amplitudine tua,quæ maiorem sine dubio illis splendorem attulisse,quàm ab illis accepisse existimatur.Neque .n. illud omittendum uidetur, quod ex te ipso potissimum comprobatur; quod magis Venetias illustrat,quàm situs opportunitas,cœli clementia,terræ halitus,maris afflatus,ædificiorum magnificentia,aliaq; eiusmodi ab aliis usque ad satietatem,ac fastidium decantata; quod unum,si desint cetera,potest sufficere ad Venetorum gloriam perpetuo celebrandam ; quod ore uulgi his temporibus contritum est,& tamẽ à multis, magnisq; oratoribus nescio qua ratione omissum ; quæ una caussa est , cur diuturnitate imperij hæc Resp. possit meritissimo gloriari.Cur igitur Veneti multa imperij sui secula numerãt? Cur hæc Respub. ad imperium,ad decus,ad æternitatem esse nata uidetur ? Quæritis caussam ? Iam illa in promptu est . Iam Sebastiano Venerio ad principatum elato constat, quàm digna imperio hæc Resp. sit. Etenim luce clarius factum est, hic uirtutem extolli, hic præstanti homines animo honorari, hic optime de Rep. meritis uiris supremos dignitatis gradus concedi,hic præclaros uiros summis præmijs affici,hic neminem ob uirtutem in inuidiam uocari,hic ne minimis quidem beneficijs sua præmia denegari.Est ne aliquis,qui de hoc dubitet? omnis ei dubitatio eximetur,si ipse cogitauerit; Sebastianum Venerium ad principatum euectum esse , non propter generis nobilitatem , nam & alij erant nobilissimi ; non propter diuitias,nam cum alij in bello diuites fiant,ipse imi-

tatus Fabricium,& Curium, maxima non ſolum fortitudinis, ſed etiam abſtinentiæ exempla, ex bello pauper reuerſus eſt: ſed propter unam uirtutem, nempe eam, quæ ſanguinem pro patria profundit, quæ non in uiola, aut in roſa, non in umbra, atq; in ocio, non in mollibus, planisq; itineribus, ſed in armorum fulgore, & militum clamore, in caloribus, & frigoribus, in arduis, ſalebroſis, atque aſperis uiis uerſatur; ac eo modo euectum eſſe, quo nemo unquam alius, cum primum petijt, cunctis ſuffragijs, ac prope dixerim uiua uoce. Et quiſquam inuenietur, qui, cum intelligat ex uno, & quadraginta uiris ſelectis ad Principem eligendum, de Sebaſtiano Venerio neminem diſſenſiſſe, cunctisq; ſuffragiis Venerium Principem declaratum eſſe, & eos ipſos, qui certi competitores uidebantur, uni Venerio ceſſiſſe, exiſtimet in hac ciuitate, cum res grauiſſimæ aguntur, legationes, ſumma imperia, principatus, ualere quidquam inuidiam, ambitum, prenſationem, largitionem, aliaquè eiuſmodi, quæ Reſp. prorſus labefactare, atque euertere conſueuerunt? O rem admirandam, atque omnium uocibus, ac litteris prædicandam. O ſanctiſſimum & pulcherrimum inſtitutum uirtutis conſeruandæ, atque augendæ. Athenienſes quōdam eos, qui excellere in Rep. uidebantur, ut memoriæ reliquit philoſophus omnium grauiſſimus Ariſtoteles, non ad improbitatem caſtigandam, ſed ad potentiam moderandam, pellere in exilium per decem annos ſoliti ſunt, eo genere relegationis, quem Oſtraciſmum appellarūt. ſic pepulerunt Themiſtoclem, illum, qui ad Artemiſium, & Salaminem Xerxis Perſarum Regis claſſem ſuperauerat; qui ut muri urbis bello Perſico euerſi aduerſantibus Lacedæmonijs reficerentur, auctor fuerat; qui Piroeei portum abſoluerat. ſic eiecerunt Ariſtidem, Demoſthenem, & alios multos quorum plurima in Remp. extabant, maximaq; beneficia. Romani uero ne Camillis quidem, nec Scipionibus nec Ciceronibus, nec alijs non paucis, quorum ſummi erant uſi beneficijs, pepercerunt, eò tandem poſt tot, tamq; inſignes res geſtas redactis, ut eis in exilium fuerit abeundum. Ne longiꝰ progrediamur, ceteræ omnes Reſp. illos, qui plura, & maiora in ipſas contulerant beneficia, maiori acerbitatis genere diuexarunt. & fabulæ etiam loquuntur Argonautas Herculē Argo

naui ex-

3

naui exclusisse,longo interuallo ceteros vectores gubernandi scientia superantem. At uos, excellentissimi Patres, tantũ abest,ut optime de Rep. meritos patricios eijciatis,vt eis etiã principatum deferatis . Quod præclarum institutum quamdiu obseruabitis, tandiu imperium à ciuili discordia tutum habebitis, tamdiu domi optatissimæ pacis fructus percipietis uberrimos,tamdiu optimo Reip.genere perfruemini,idest, vt facile licet conijcere,in perpetuum dominabimini:ea enim est sapientia uestra,ut dubitari nullo modo debeat,uos eiusmodi institutum vllo esse unquam tempore deserturos.Cum ergo auditum est,Sebastianum Venerium,uirtutis suæ admiratione tanto omnium consensu,atq; applausu Principem factum esse,statim Venetorum fama clarior facta est,& eorum egregia remunerandi voluntas celebrata,atq; gratissimus animus illustratus,ut incertum sit, ex eiusmodi electione maiorem ne splendorem,qui elegerint,an qui electus sit, accepisse uideatur. Quemadmodum autem,Princeps Serenissime,non parum hanc vrbem tua singulari præstantia,ac admirabili uirtute illustrasti: sic in Veneriam gentem facem gloriæ clarissimam intulisti.Ac propria quidem Veneriæ familiæ laus semper fuit,quòd in ea sapientissimi uiri floruerunt,ut Antonius, & Franciscus, qui summa sapientia,& integritate Principatũ administrarunt; nt inter alios multos præter Franciscum alij duo,qui in legatione ad Paullum iij. Pontificem Max. sibi inuicem cum maximo splendore successerunt, ad quam dignitatem non nisi hominibus singulari sapientia præfulgentibus patere aditus solet, in qua illi non secus ac Apollinis oraculo Socrates , ipsius summi Pontificis uoce sapientissimi sunt declarati; ut hoc tempore Franciscus, & Dominicus fratres , alter philosophiæ, alter etiam poeticæ facultatis maximum lumen, qui eam de se opinionem multos abhinc annos concitarunt, ut quemadmodum quondam habitus est sapiens in Aethiopia Cepheus,in Assyria Prometheus,in Mauritania Atlas, in Græcia heroicis temporibus Vlysses, ac Nestor, tempore Homeri Lycurgus, sequentibus temporibus septem, in Italia apud Romanos tres: sic apud Venetos ipsi inter sapientiores enumerentur . proprium inquam Veneriorum decus semper fuit sapientia: sed tu, Serenissime Princeps , nouum

orna-

ornamentum adiunxisti, eius scilicet virtutis, qua nulla meo iudicio splendidior inuenitur. Etenim, vt eam breuiter cum alijs virtutib⁹ conferamus, qui in sapientiæ studia incumbũt, faciliorem quidem, & tutiorem, ac minus alijs grauem, aut molestam uitam sequuntur: qui vero in fortitudinis opera, fructuosiorem hominum generi, & ad claritatem, amplitudinemq; aptiorem. hi enim non uerba, sed facta profitentur; non in solitudine se abdunt ad suum solatium, atq; voluptatem, sed in hominum luce sudant, algent, esuriunt pro communi utilitate, ac dignitate, periculis obuiam eunt, conserunt cum hostibus manus, fugant eorum exercitus, trucidãt militum cateruas, hostilia agmina conculcant. Neque uero minus necessaria est fortitudo, quàm prudentia. Nam quemadmodum corpus humanum oportet esse non solum sanum, & pulchrum, verum etiam oculis, & manibus egregie instructum: sic Reipub. corpus indiget non solum temperantia, & iustitia eorum, à quibus administratur, quæ virtutes sunt sanitas, & pulchritudo ipsius Reipub. verum etiam prudentia, & fortitudine, quarum virtutum altera oculorum, altera manuum officio fungitur. At non modo uir temperans, & iustus, sed ne prudens quidem ualere quidquam potest in Repub. gubernanda, nisi adsint viri magnanimi, viri fortes, viri animosi, qui vtrunq; tempus tum pacis, tum belli tutissimum reddant, vt ex eo appareat necessitas fortitudinis, quòd sine ea virtutes aliæ egregiam in Repub. operam nauare nõ possint. Quemadmodum autem temperantia efficit, ne homines ex natura humana in ferinam præcipitentur; sic fortitudinis opus est, ut ijdem homines ex conditione humana ad diuinam extollantur; quod euenisse Herculi, & Romulo, & Cæsari, & alijs multis memoriæ proditum est. Nec minus splendet in bello fortitudo, quàm in pace iustitia, etiam si hæc dicta sit ipso hespero, ac lucifero admirabilior. Quamobrem egregie potuisti non solum patriam tuam, verum etiam familiam fortitudinis lumine collustrare. Tu enim ille es, qui in proximo superiore contra Turcas bello, statim ut Hieronymo Zanio Venetæ classis imperator summus successisti, uictoriæ spem certissimam propter illustrem præstantiæ tuæ famam omnibus

bus

bus Chriſtianis populis attuliſti, qui nunquam pugnam reformidaſti, ſed ad præliandum paratiſſimus ſemper extitiſti, qui coniuncta Veneta claſſe cum Pontificis Maximi, & Regis Catholici claſſibus inter imperatores ſocios dignitatem patriæ tuæ animoſe, & fortiter conſeruaſti; qui, cum audiſſes Turcarum claſſem in Naupacteum ſinum pugnandi cauſſa progreſſam eſſe, ſtatuto inter alios imperatores certamine, quod tu ſemper, ut tam multas hoſtium iniurias ulciſcereris concupiſti, Trierarchos tibi ſubiectos ad fortiter pugnandũ cohortatus, uniuerſam Venetam claſſem ad referendam uictoriam comparaſti; qui denique inſultantes hoſtes uehemẽtius, & uolitantes inſolẽtius inter Chriſtianorum militum claſſes, mirabiliter compreſſiſti, uiciſti, trucidaſti. Itaq; tua potiſſimum gloria eſt quadraginta Turcarum millia partim cæſa, partim capta eſſe. Tibi potiſſimum ſe debere libertatem uiginti Chriſtianorum millia confeſſa ſunt. Tibi in primis accepta refertur centum, & ſexaginta triremium, multarum biremium, aliorumq; nauigiorum occupatio, tibi quarundam triremium fractio, atq; incenſio, quarundam fuga, tibi breuiter pulcherrima omnium, quas unquam in mari homines uiderint, uictoria. Ad tuos pedes proſtratus ſtetit Syrochus immaniſſimus Archipirata. Ante tuos oculos trucidatus iacuit teterrimus omnium Chriſtiani nominis hoſtis Caracoſius. Tuis armis Alys Imperator cum multis Trierarchis miſere mortuus eſt. O maximam uictoriam, omnium ſeculorum memoria conſeruandam; de qua non eſt, quòd plura dicamus, cum ea fuerit plurimorum uocibus, ac litteris celebrata, & una cum ea tu omnium maxime illuſtratus, illis etiam, qui in bello unquam pro Rep. perierunt, fortitudinis gloria præferendus. Nam fortis quidem fuit Leonides Lacedæmonius, qui ad Thermopilas pugnans occubuit; fortis Epaminondas Thebanus, qui apud Mantineam in lætitia, & in uictoria uitã amiſit; fortis L. Brutus, qui reditu arcens à ſe expulſum tyrãnum in prælio concidit; fortes tres Decii, pater, filius, & nepos, quorum alter cum Latinis decertans, alter cum Etruſcis, tertius cum Pyrrho ſe hoſtium telis obiecit; fortes Scipiones Paullus, Marcellus, Albinus, Gracchus, quos Hiſpania, Cannæ, Venuſia, Latini, Lucani pro patria cadentes uiderũt;

fortes


fortes alij multi excellenti animo uiri, qui gloriæ stimulis incitati mortem animose oppetiuerunt : sed tu sine dubio fortior, qui non modo hostium armis fortissime te opposuisti, non modo uictoriam reportasti: uerum etiam cum mortem nūquam timueris, eius omnia pericula superasti, ad alia Reip. commoda te reseruasti, ad principatus administrationem te incolumem conseruasti. Itaque laudabile quidem est fortiter mori: sed laudabilius fortiter uiuere. Ad famam illustre est uincere etiam cum sanguinis, & animæ effusione : sed illustrior uictoria cum uitæ conseruatione. præclarum est uitam uiuere diuturnam, quæ gloriæ possit sufficere: sed præclarius satis diu uiuere patriæ. Quòd si statuæ Imperatoribus in bello mortuis publice collocantur, quibus honoribus sunt prosequendi illi, qui non solum uincere, uerum etiam post uictoriam uiuere ad patriae utilitatem potuerunt? Tantæ igitur uictoriae celebritate cum in hominum mentibus statim Venetiarum Princeps designatus esses; neq; quisquam reperiretur non modo in hac urbe, sed ne in orbe quidem terrarum, qui, cum data esset occasio principis eligendi, te certissimum principem non haberet, & factus esses quodammodo Princeps, priusquàm is, cui successurus eras, ex hac uita migraret, post obitum uero eius prius quàm eligereris; neq; solum Venetiæ tibi à Deo opt. max. principatum precarentur, uerum etiam omnes ciuitates Veneto imperio subiectæ, immo uero omnes gentes, & nationes, quò rerum tuarum gestarum fama peruaserat; hoc commune omnium desiderium, hanc cōmune omnium desiderium, hanc communem animorum in te propensionem, hæc communia uota, communesq; preces, quæ fiebant, ut ad principatum eueheréris, præpotens Deus exitu comprobauit. si quidem, cum primum Aloysius Mocenicus, princeps præstantissimus, diem suum obijt; cum primū senatores selecti sunt ad principem eligendum; cum primum illi in senatum conuenerunt, nulla mora interposita, quod de nullo unquam alio auditum est, te summo cōsensu elegerunt; qua præstanti electione nihil tibi ad famam illustrius, nihil ad gloriam honestius poterat euenire. Quare tibi isto tuo tam excellenti bono gaudendum est; & fruendum cum isto principatu, tu etiam omnium in te beneuolen

tia,atq; obſeruantia;nos vero,qui cum fortunam, & gloriam tuam,tum præſtantiam,& fortitudinem admiramur,ac magnificæ philoſophorum,& medicorum Vniuerſ. nomine tibi ſupremam iſtam dignitatem gratulamur,tua lenitate,ac manſuetudine complectendi ; præclaraq; litterarum ſtudia propter Reip. decus,& commodum fouenda,ac protegenda.Nam maximum ſplendorem afferunt,& plurimum proſunt litterarum exercitationes non ſolum priuatim,ſed ēt publice,non ſolum togatis,ſed ēt armatis hominibus,non ſolum domi,ſed ēt foris,non ſolum in pace,ſed ēt in bello, dum exprimunt immortalem gloriam propoſitam ijs,qui ne mortem quidē fugiunt, ut patriæ proſint; dum charitatem patriæ oſtendunt oībus rebus anteponendam;dum proponunt exemplum fortisſimorū virorum,qui ſanguinem pro patria profuderūt. Quamobrem tibi tuenda ſunt ſtudia noſtra,ne armorum quidem exercitationi inutilia; ac illud gymn. amandum, quod cum ſit omniū artium,quæ in precio ſunt, clarisſimum domicilium, oēs Venetæ Reip.partes maxime illuſtrat, & quantum reliquis fere oībus gymn. doctorum ex omni terrarum parte accitorum præſtantia,& auditorum ex oībus regionibus perpetuo, asſidueq; in ipſum concurrentium frequentia antecedit, tantum Venetum nomen exornat. præterquàm quòd vtilisſimum eſt cum oībus gentibus,ac nationibus, quæ in vrbem Patauium tanquàm in celeberrimum omnium doctrinarum mercatum, & clarisſimum totius terrarum orbis theatrum confluunt, tū vero omnibus Veneti imperij populis , & in primis Venetæ ciuitati, quæ ciuilis initia,ac fundamenta prudentiæ ex optimarum diſciplinarum cognitione, ac ſcientia in eo haurit , & præclaram iuuentutem ſuam,priuſquàm ad tractādam,& adminiſtrandam Remp. admittat, ingenuis facultatibus ibidem excolendam tradit. ſic ex hac ciuitate maximi oratores, præſtantisſimi legati , optimi ſenatores ſolent exiſtere. ſic in ipſa floruerunt ſemper ſummi philoſophi, egregij poetæ,illuſtres hiſtorici,aliarumq; omnium liberalium artium doctiſſimi viri. ſic Contareni,ſic Barbari,ſic Bembi,ſic Donati,ſic alij heroes nomina ſua ad omnem poſteritatis memoriam conſecrarunt. ſic facient quotidie magis patricij Veneti , ſi præclara litterarum ſtudia fouebuntur; quibus etiam tu ita deditus fui

ſti, ut eorum auxilio inter egregios huius ciuitatis oratores refulſeris, quæq; ſemper attulerunt nobiliſſ. familiæ tuæ maximum decus,& ornamentum; ut ſapientiæ ſtudia omni beneuolentia is complexurus eſſe videatur, qui litterarum tractatione delectatus ſit, quiq; ex ea familia originem traxerit, quæ ſapientiæ,tanquàm rei ſuæ perpetuum habuit patrociniũ. Quàm charum huic Reip. illud gymn. ſit, præter plurima,& maxima ſtudioſorum iuuenum commoda, ac tot, tantorũq; doctorum ampliſſima præmia,illud certiſſimum , ac firmiſſimum habemus argumentum, quòd maiora huius ciuitatis lumina illi præfici ſolita ſunt; vt hoc tempore illius moderationi præſunt illuſtriſſimi viri, Iacobus Foſcarenus, Franciſcus Venerius, Paullus Theupolus,qui ita litteratos omnes complectuntur , vt clariſſimum beneficentiæ ſuæ monumentum prodere poſteris, eos fouendo , atq; adiuuando ſtatuiſſe uideantur. ſperamus te hanc publicam in noſtra ſtudia beneuolentiam perpetuo conſeruaturum; & nobis pro tua ſingulari benignitate , atq; humanitate maximopere fauturum . Quod ut facias, amplitudinem tuam obſecramus; tibiq; tanquàm ſummo litterarum patrono , magnificum Rectorem noſtrum, magnificam vniuerſitatem , doctores , ac ingenuarum artium ſtudioſos omnes, noſtraq; iura, vt integra,incorrupta, atq; inuiolata ſeruentur , denique vniuerſum gymnaſium Patauinum, quod profitetur ampliſſimas laudes tuas ſe perpetuo prædicaturum, commendamus ; & nomine omniũ tum qui adſunt , tum qui Pataiuj ſunt, quorum vniuerſitatem magnificus Rector noſter repræſentat, omnem obedientiam amplitudini tuæ pollicemur .

Habita Menſe Octobri. M. D. LXXVII.



AD



AD NICOLAVM PONTIVM VENETIARVM Principem

Pro Patauini Gymnasij Doctoribus,

Antonij Riccoboni Oratio.



PRAETER consuetudinem accidit, Serenissime Princeps, vt Doctores omnes Gymnasij Patauini, quorum inusitatam frequentiam hic astantem vides, Principi suo præstantissimo Principẽ dignitatem voluerint gratulari: propterea quòd tot, tantasq; virtutes, quæ tibi principatum confecerunt, tot, tantaq; in se merita, ac tantum splendorem taciti præterire non potuerunt. Itaque, vt primum per publicum docendi munus licuit, cuncti in conspectum tuum venire properarunt, ut te optime de litteris meritum, ac communem litteratorum omnium patronum in hoc supremo solio sedentem consalutarent, seq;, ac sua studia, quibus semper pro singulari tua benignitate mirabiliter fauisti, commendarent. Quoniam autem non poterant oẽs sine aurium tuarum molestia propensionẽ animorum suorum in amplitudinem tuam uerbis declarare,

& intelligebant eſſe aliquem deligendũ, qui vtriuſq; partis tũ Iuriſconſultorum, tum Medicorum, ac Philoſophorum perſonam gerere poſſe videretur, vinculum omnium artium Humanitatem adhibendam duxerunt, meq́; iuriſconſultum quam illis minimum, & Humanas litteras in illo gymnaſio profitentem, quæ vtriq; ſtudio aditum patefaciunt, & vtrumq́; exornant, hoc gratulationis, & commendationis munus obire mei ſtudioſiſſimi uoluerunt; cui neceſſe fuit quodammodo, & q̃d patroni mei uoluerunt, & quòd præcipue id à me præſtari debere intelligebam. Nam, vt taceam, quàm honeſtum ſit tot, tantorumq́; virorum auctoritatem repræſentare, qui litterarum ſplendore vniuerſum terrarum orbem colluſtrant, cum tua potiſſimum opera, Sereniſſime Princeps, in hunc clariſſimum numerum, in hanc doctorum lucem, in oculos omnium gentium, & nationum productus fuerim, & ex hoc fonte ad non nullam hominum famam profluxerim; ecquæ cauſſa eſt, cur arripere omnem occaſionem non debeam tui ampliſſimi nominis celebrandi? Quamquam non profiteor me uerbis ſoluturum, quod re ipſa debeo: ſed quæ explere merita re non poſſum, grata animi beneuolentia aſſequor; & quantum dicendo valeo, tantum ad tuorum beneficiorum prædicationem perpetuam cum his præſtantiſſimis Patribus libentiſſime confero, nihilq; in te magis admirandum exiſtimo, quàm excellentem de patria tua, atq; adeo de uniuerſo hominum genere benemerendi facultatem, eamq; potiſſimum beneficentiam, quæ ab eloquentiæ præſtantia proficiſcitur. Nam, ut alias laudes tuas alijs enumerandas relinquamus, & hanc unam oratione noſtra cõprehendamus, ab una benefaciẽdi uirtute originem habuerunt tot honores, tot dignitates, tot magiſtratus, quos tanta tua cum laude, ac tam incredibili omnium cum admiratione geſſiſti. Illud enim, huius Reip. præcipuum decus, atq; ornamentum exiſtit, quòd ipſa ſuos de ſe benemeritos patricios ad altiores dignitatis gradus extollere conſueuit. Id quod ſi probare uellem, replicata memoria temporum, & repetitis uſq; à principio urbis exẽplis, hodie dicendi finem non facerem. ſed profecto ita eſt, ut dicam. nulla maiora huius omnium præclariſſimi inſtituti data ſunt documenta, quàm ſuperiori proximo poſt inſignẽ

illam

illam contra Turcas uictoriam tempore. Nam illi ipsi, qui pro patria, pro honestate, pro Christiana religione fortissime pugnauerant, statim ut ab illo bello reuersi sunt, quod tuo potissimum consilio, Serenissime Princeps, gestum est, dignissima suis meritis præmia inuenerunt, & ad magnos honores facilem aditum habuerunt; ut alij procuratores Marcij facti sint, alij consiliarij declarati, alij in x. uirum numerum recepti, alij alijs magistratibus etiam supra ætatem exornati. Quid commemorem summam omnium consensionem in Sebastiano Venerio illo, cuius fortitudinem nunquam satis aut laudatã esse, aut laudari posse existimo, Principe declarando? ecquæ fuit caussa, cur ad Principatũ tam facile eueheretur, nisi quòd cum ille Miltiadem, Cimonem, Themistoclem, rerum gestarũ magnitudine superasset, illius uirtuti debitum præmium hæc gratissima Resp. non esse denegandum putauit? O tutissimã uiam conseruandi, atq; amplificandi imperij, ut, quò quisq; præstantior est, eò magis honoretur, & præstantioribus uiris etiam necessitas quædam imponatur muneris publici obeundi, ac uirtus nullo modo deprimatur, omnibus modis extollatur. Hæc uera caussa est, quamobrem hæc Resp. tam diuturno imperio perfruatur. Hæc illa caussa est, cur eius semper fuerit idem tenor, semper idem cursus, cur in ea semper floruerit libertas, nunquam in ea factiosi homines locum habuerint. Quod de alijs Reb. p. quàmuis magnis affirmari non potest. Etenim, ut alias mittamus, &, quæ maxime celebrantur, eas breuissime cõferamus, Atheniensis, & Romana Resp. multas, easdemq; graues mutationes habuerunt; cum illa quidem modo Monarchiæ formam habuerit, modo Democratiæ, & paruerit modo Quadringentis, modo Triginta uiris, modo paucis quibusdam fautoribus Antipatri, modo alijs paucis, qui cum Cassandro fecerant pactionem: hæc uero primum experta sit Regium imperium, deinde paucorum patriciorum uoluntati commissa, inde etiam plebi communicata, præterea Tribunorum pl. seditionibus perturbata: tum Syllæ crudelitate, Pisonis, & Catilinæ coniurationibus, Cæsaris, Crassi, Pompeij conspiratione, eiusdem Cæsaris iniustitia labefactata, demum Triumuiratu, & Cæsarum imperio oppressa. At Veneta Resp. uniusmodi semper, & sui similis illarum præ

stantio-

ſtantiorem ſtatum repræſentauit; neq; alia de cauſſa, vt dice-
bam, tam multa imperij ſui ſæcula adhuc numerauit, niſi quòd
in ea virtus regnat, præſtantia decoratur, benemeriti de ea ho
mines maximis præmijs afficiuntur. O ſanctiſſimam Remp.
ex qua eiuſmodi viri ſolent exiſtere, qui cum Ariſtide, cum
ipſo Nicia, cum Pericle, cum Curijs, Fabricijs, Coruncanijs,
cum Scipionibus, Paullis, Lepidis comparari merito poſſunt;
cuius patricij eum ſemper ſplendorem habere viſi ſunt, vt ad
veram nobilitatem demonſtrandam illa vox poſsit ſufficere,
Patricius Venetus eſt; quam nobilitatem etiam varij Duces,
& Principes expetiuerunt, etiam Reges chariſſimam habue-
runt, nec quiſquam eſt, qui maximum afferre decus, & orna-
mentum non fateatur. Cum igitur in hac Rep. virtus ſemper
fulſerit, & ſuperiori proximo tempore animi magnitudo prin
cipem locum obtinuerit, fortitudini doctrina, & prudentia
eloquens, vel docta, & prudens eloquentia meritiſſimo ſuc-
ceſſit. Itaque ad Principatum euectus es, Sereniſſime Prin-
ceps, propter præſtantiam animi, atque ingenij tui ſingula-
rem Egregie. Nam, ſi Mitilenæi Sapphonem, quamuis mu
lierem, ſi Lacedæmonij, alioquin parum ſtudioſi litterarum,
Chilonem honore affecerunt propter præſtantem quandam
optimarum artium cognitionem; quanto ipſe magis eras ho
norandus, vir eloquentiſſimus, & doctor prudētiſſimus, apud
eos, qui præclara litterarum ſtudia magni ſemper fecerunt?
ſi Parij Archilochum, Chij Homerum, Itali omnes Pytha-
goram, Lampſaceni Anaxagoram, quamuis homines pere-
grinos varijs honoribus decorarunt; quanto ipſe magis à Ve
netis Venetus decorandus? ſi viri præſtanti ingenio, & alta
quadam mente præditi maximopere exornari conſueuerunt,
etiam ij, quibus nulla occaſio oblata eſt de Rep. benemeren
di; quanto ipſe magis exornandus, qui tua excellenti præſtan
tia immortalia in Remp. beneficia contuliſti? Cum autem va
rijs rebus opem ferre patriæ ſuæ homines poſſint; quæri me
rito ſolet, quæ nam vtilior eſſe videatur; &, cum alij aliter ſen
tiant, ac alij diuitias, alij fortitudinem, alij alia iudicio ſuo præ
ferant, diſcere nos Sereniſſ. Principis exemplo poſſumus, Pa-
tres Illuſtriſſ., nihil eſſe ad Reip. commodum, dignitatemq;
tuendam, atq; augendam aptius, nihil ad publicam utilita-
tem, &

tem,& decus accommodatius, nihil ad extollendos homines opportunius eloquentia. Ecquæ enim beneficia ab eius admirabili, ac prope diuina eloquentia non emanarunt? ecquos ipse honores eloquentiæ admiratione non est consequutus? Iam cum dicimus eloquentiam, non leuem, & ineruditam loquacitatem intelligimus, non imprudentem cantilenam, sed quæ ex doctissimorum hominum scriptis, ex Dialecticorum, ac Philosophorum spatijs, ex sapientiæ penetralibus prodire existimatur, quæq; nunquam à prudentia separatur. Id quod, cum tu optime cognosceres, Serenissime Princeps, priusquàm eloquentiæ munus obire inciperes, omni disciplinarum genere in clarissimo Gymnasio Patauino erudiri uoluisti; ubi dici non potest, quàm mirabiles progressiones & cursus feceris ad omnem excellentiam; ut facillimum tibi fuerit, tum in hac urbe in Diui Paulli templo illa duo Theoremata publice disceptare, quæ tam multa continent Theorematum millia, Quidquid Aristo. scripsit recte scripsit, Quidquid Auerroes disputauit, recte disputauit; tum Patauij doctoris insignia consequi, & in illud Philosophorum collegium recipi, quod dignitate ceteris fere omnibus antecedit; tum Venetijs rursus in generalibus Fratrum Eremitarum comitijs, quibus Illustrissimus præerat Cardinalis Egidius, cum tres de doctrina disceptationes habendæ essent pro tribus prouincijs, Gallia, Germania, Italia, honorem Italiæ, tuæ præstantiæ commissum mirabiliter tutari; tum demum docendi publice philosophiam munus ab Illustriss. Senatu obtinere. quod cum præclare obires, ita ut prope incredibiles fierent ad te audiendum studiosorum iuuenum concursus, & te omnes admirarentur, ac tamquàm de cœlo delapsum intuerentur; cumq; miram in loquendo prudentiam præ te ferres, multo etiam ante cognitam, & perspectam, quo tempore illi ipsi, quem modo nominauimus, Illustriss. Cardinali cum alijs clarissimis viris nomine publico obuiam processisti, illiusq; laudes in templo sancti Spiritus sancto Spiritu afflatus diuinitus celebrasti: ad alia honestissima eloquentiæ munera cum maxima tua laude adhibitus es, tibiq; publice mandatum, ut Caroli V. Imperatoris legatum præclarissimum, Hieronymum Adornum, qui ad Illustrissimum Senatum in Gallos excitandum

dum venerat, diemq; ſuum Venetijs obierat, in funere laudares. qua in re dubitatum eſt, quid nam magis fuerit laudatum, Adorni ne præſtantia, tua oratione, an tua in eo laudando eloquentia omnium, qui te audiuerunt, uocibus atq; acclamatione. O factum egregium omnibus imitandum, qui in Rep. cupiunt ceteris anteferri, ut eloquentia cum doctrina, & conſilio coniungatur, vtque per ſolidam eloquentiam ſapientiæ, & prudentiæ fundamentis nixam ad ſummos honores aditus paretur. Hic tam latus mihi ſe offert campus laudum tuarum, vt niſi modum teneam, hodie dicendi finem facturus non ſim, in quibus celebrandis tua ipſius eloquentia opus eſſet, ut mirabiles eloquentiæ tuæ effectus explicarentur. Quòd ſi complecti pro dignitate omnes tuas unius generis laudes ne optare quidem, nedum ſperare, audeo, ne dum poſſum; Dii immortales, quid me miſerius, aut afflictius, aut laborioſius eſſet, ſi non unum eloquentiæ argumentum attingendum, ſed cunctas actiones tuas mihi pertractandas propoſuiſſem? ſi comprehendere oratione uellē, quanta cum utilitate huius ciuitatis ab anno Chriſti milleſimo quingenteſimo decimo tertio, quo Sapiens ordinum in hoc excellentisſimum collegium cooptatus es, uſque ad hæc tempora in Rep. uerſatus ſis? quanta cum laude, lumine animi, atque ingenii tui id præſtiteris, quod fieri non poſſe, aut certe difficulter poſſe exiſtimatur, ut maximas diuitias ſimul, & maximos honores comparaueris? quanta integritate, & æquitate ampliſsimum quenq; in Rep. magiſtratum tum in urbe, tum extra urbem adminiſtraueris? quanta aſsiduitate, & charitate miſerrimis, & calamitoſiſsimis peſtilentiæ temporibus patriæ tuæ, quàm plurimis abeuntibus, præſto fueris? Alij igitur laudibus, & encomijs perſequantur, ſi posſint, ſingulas uirtutes, ſingulos magiſtratus, ſingulas tuas res geſtas, ſingula tua ſapienter, & prudenter dicta, & facta: nos ſat habebimus commemorare, Patres illuſtrisſimi, in eo maxime floruiſſe illam dicendi facultatem, qua ſapientisſimus ſcripſit Homerus, magnos illos Reges, &, ut ipſe ait, Iouis ſatu genitos ſibi populos obedientes reddidiſſe, magis etiam, quàm imperio, quo plurimum ualebant, ita ut nemo ſæpius, quàm ipſe in ueſtro illuſtrisſimo ſenatu ſententiam dixerit,

nemo

nemo rarius,quàm ipſe, de nobiliſſimæ gradu uictoriæ depulſus ſit, nemo frequentius aut alienas à Reip.commodis, & dignitate ſentẽtias refellerit,aut utilia ſimul,& decora per ſuaſerit.Quæ cauſſa fuit in primis, cur ei facile mandatæ ſint legationes quàm grauiſſimae, quae cum ſingularem induſtriam,diligentiam,fidem,animi magnitudinem, grauitatem, tum maximam poſtulant eloquentiam, & non niſi eloquentiſſimis uiris committi ſolent. Age enim,mittendus fuit ordinarius Legatus,qui Marino Iuſtiniano vita functo ſuccederet,ad Carolum V.Imperatorem omnium præſtantiſſimum, cum is Iuliam Cæſaream oppugnaret: hic ſicut antea ex principali patriae ſuae aduocatione nondum confecto legitimo ſpatio Vtinum, ſic tunc Vtino ad Imperatorem propter præſtantiam ſuam ad maiora ſemper properantem miſſus eſt; & quidem cum magno Vtinenſium dolore, quibus iam ipſe in medio foro erigendum pulcherrimum fontem curauerat, & aquæductus,ac tubulos per quinque paſſuum millia extruendos mandauerat,quà aquæ in fontem perpetuo curſu influerent; opus ſane egregium, & priſcam redolens virtutem Romanam.Repræſentanda fuit totius Reip. maieſtas ordinario legationis munere apud Paullum iij. Pontificem Max.eum, cuius tanta ſapientia,& prudentia fuit,quanta uix comprehẽdi in homine poteſt: per hunc ita repræſentata eſt, ut nihil in ipſo deſideratum ſit,quod ad tractandam huius Reip.cauſſam, & ad exequenda illuſtriſſimi ſenatus mandata pertineret; qua functus legatione,Matthæo Dandulo ſuffecto,equeſtri dignitate decoratus eſt nouo exemplo, cum ante ipſum nulli legato Veneto is honor à Pontificibus Rom.delatus ſit. Gratulandum fuit Iulio iij.quòd eſſet ad proximum cœlo in terris locum elatus: hic eam gratulationem ita habuit, vt maximam ſit laudem conſecutus; atque ita vniuerſæ Italiæ, totiuſq; Chriſtianæ Reip. ſtatum deplorauit,vt,non, quemadmodum C.Sulpitius puerum pene in humeros ſuos efferẽs, aut M.Antonius cicatrices miſeri hominis oſtendens, aut M. Tullius puerum infantem in manibus tenens, qui plangore, & lamentatione omnia compleret, ſed unius eloquentiæ viribus lachrymas in Pontificis maximi oculis excitarit. Succedendum fuit Matthæo Dandulo Legato ordinario apud eun

dem Iulium iij.hic tam honorifico exitu ſucceſsit, ut vniuerſi ſenatus grauitatem, imperij maieſtatem, Reipu. prope faciem cum omni laudis præconio præ ſe tulerit. Condolendũ fuit de morte Henrici Gallorum Regis cum Franciſco II. eius filio, atq; eidem de Regia dignitate gratulandum:hic ueſtra delectus ſententia, cum ante profectionem deſignatus etiam eſſet ad ſummũ Pontificem Legatus, tamen quia prior fuerat Gallici muneris deſignatio,cum ipſo potius Rege condoluit, ac ipſi gratulatus eſt. Munus præterea gratulationis fuit obeundum apud Pium IIII. quòd eſſet adeptus dignitatem hominibus cœlum pandentem: hic publico decreto cohoneſtatus id ipſum honeſtiſſime obiuit. Legatio eligenda fuit ad ſacroſanctam Synodum Tridentinam: hic ad eam legationem electus eſt; in qua præter alia multa, dici profecto non poteſt, quàm egregie ſe geſſerit aduerſus Bauariæ Legatos,qui anteire Venetis Legatis conati ſunt. Neq; uero quemquam habuiſtis, Patres Illuſtriſſimi, quem iudicio veſtro eidem præferretis in alijs Legationibus, & potiſſimum cum eum iam Procuratorem Marcium in medio belli ardore declaratum gratulari Gregorio XIII. voluiſtis, quòd cœli claues ipſi commiſſæ eſſent; & rurſus cum vobis placuit eundem Legatum deligere tum ad ſummi Pontificis iram aduerſus vos exortam ex pace etiam plus quàm neceſſaria cũ Turcis compoſita vna cum præſtantiſſimo ordinario Legato prorſus extinguendã,tum vero ad ipſum Pontif.magis honorandũ, & multiplici legatione ſupremã ipſius poteſtatẽ agnoſcendã. O rem maximam oĩum admiratione digniſſimam. O ſingularem eloquentiam omni eloquentia celebrandã.Allato nuncio huiuſmodi pacis tanta Pontificẽ ira occupauit eius cauſſas ad huc neſcientem, ut nullis illa precibus mitigari, nullo modo deponi, nulla uetuſtate ſedari poſſe videretur;inflammato animo beatisſimus pater raptus vix quemquam fari apud ſe permittebat,qui iuſtisſimam patriæ ueſtræ excuſationem afferre concupiſceret; multi Romæ, multi in Hiſpania, multi in alijs vrbibus, ac prouincijs contra Venetum nomen immerito clamabant: cum tu, ſereniſſime Princeps, longiſſimo itinere in ipſa ingraueſcente ætate admirabili celeritate confecto expoſitis iuſtis, & neceſſarijs cauſſis huiuſmodi pacis,reddita

ratione

ratione huiusmodi facti Dei in terris Vicario, vna cum Illustrissimo ordinario Legato, eo, qui talem in re tanta operam nauauit, qualem maxime oportebat, ita perturbatum Pontificis animum tranquillasti, vt totus ipse in beneuolentiam uersus, & amoris facibus incensus apparuerit, ac eiusmodi signa dederit reconciliatæ gratiæ, in quibus totus terrarum orbis conquieuit. cognouerunt enim omnes nec potuisse, nec debuisse aliter fieri, ac factum est, ad hanc urbem, atq; adeo uniuersam Xpianam Remp. conseruandam. O eloquentia vere, ut poeta nobilis appellauit, flexanima, atq; omniũ regina, quid non efficis, cum in animis generosis firmiter insedisti. De te quidem uere clarissimus poeta scripsit Euripides, nihil esse, quod ferro, quin idem ui tua effici possit: sed uerius nostro quidem iudicio dixisset, multa per te fieri, quæ ne ferro quidẽ fieri possunt. Ferrum enim corporibus uim adhibet, animis non adhibet: tu uero uel in animis dominaris. Quod etiam notissimum, atq; exploratissimum amplitudo tua fecit, Serenissime Princeps, non solum cum Corcyræ præfuisti, & rei frumentariæ persuasione tua de nonnulla uectigalium parte in illam conuertenda optime consuluisti, uerum etiã cum Patauij præturam administrasti; ubi præter alia multa in illam urbem merita, quorum memoriam Patauini omnes beneuolentia colunt sempiterna, præter ædificatum prætorium, aliaq; industriæ, ac diligentiæ tuæ opera egregia, tu unus persuadere patricijs Patauinis potuisti, ut mons charitatis erigeretur; tu unus uno die in solemnibus supplicationibus ea de caussa habitis, cum in platea sederes, populumq; prætereuntem ad commune bonum adhortareris, blande, & comiter singulos appellando, ad conferenda in montem illum octo aureorum millia, quorum quidem sex millia donata sunt, duo uero mutuo data, eorum animos conuertisti; tu eò perduxisti, ut libentissime opportunis temporibus undique illis pecunijs miro artificio collectis frumenta coemerent in commodum totius ciuitatis, quæ summa sæpe inopia, & caritate rei frumentariæ laborabat; ut merito abeunti tibi prætura post publice habitam de laudibus tuis orationem uexillum aureum donatum sit cum illa honestissima inscriptione; Perpetuo charitatis auctori. Sed quid huiusmodi eloquentiæ

tuæ effectus miramur,cum eloquentia omnia posſit? id quod ueteres ſignificarunt,cum eam coluerunt ſub imagine Herculis catenam quandam auream ore ſuo tenentis, eiuſq; uarijs capitibus,quæ ad aſtantium aures adhæreſcerent,omnes,quò uellet,trahentis. Quid dicam denique de plurimis, maximiſq; beneficijs,quæ in Patauinum gymnaſium uiribus eloquentiæ tuæ contuliſti,cum eius moderator ſæpisſime declaratus, & clariſſimis collegis tuis, & illuſtrisſimo ſenatui toties ea perſuaſiſti, quæ pertinere ad eius ſplendorem tuendum, atque amplificandum uiſa ſunt? Etenim, cum optime intelligeres, afferre illud non ſolum maximam utilitatem Reip. Venetæ,cũ in ipſo Veneta iuuentus liberalibus diſciplinis excolatur, uerum etiam prope incredibile ornamentum,cum ad idem præter ſtudioſos iuuenes ciuitatum Veneto imperio ſubiectarũ ſtudioſorum cateruæ ex omnibus Europæ regionibus perpetuo, asſidueq; concurrant;probaſti ſemper uetus Illuſtrisſimi ſenatus conſilium,& factum,ut in antiquisſimam Veneti imperij Patauinam urbem excellentisſimi Doctores ex omni terrarum parte honeſtiſſimis propoſitis præmijs accirentur:uidebas enim ueterem Romam,ut imperij diuturnitate, ac ſtabilitate, ſic animorum quoq; in optimas artes propenſione à patria tua facillime ſuperari, quòd illa non ſemel doctisſimos homines edicto ſuo eiecerit: hæc ſemper eos in imperium ſuum undique aduocandos exiſtimauerit. Itaq; cùm tibi occaſio oblata eſt (ſæpenumero autem id accidit) ſententiæ in ſenatu dicendæ de doctoribus præſtantisſimis aut euocandis,aut maiore præmio afficiendis,eam libentisſime arripuiſti; ut nemo noſtrum ſit,qui aut publico ſtipendio per amplitudinem tuam primum cõductus,aut poſtea præmio, & honore auctus,aut aliquo alio modo adiutus,& exornatus tibi plurimum ſe debere non fateatur. Quamobrem in te, tãquam in numen aliquod nobis propitium,omnes intuemur; hac ſuprema tua dignitate lætamur; tibi, ut debemus,gratulamur; illudq; gymnaſium uniuerſum,ac nos omnes tuæ benignitati commendamus. Nam ſi unquam ſperauimus fore, ut noſtris commodis conſulatur, hoc ſine dubio tempore ſperare debemus, cum præter Moderatores præſtantisſimos,Iacobum Foſcarenum,Franciſcum Venerium,Paullum Theupo-

lum

lum,quorum præſtantem in adminiſtranda illa Academia ſapientiam omnes admirantur,Principem etiam habeamus litterarum patronum acerrimum, noſtri amantisſimum, omnium rerum ad illam ipſam pertinentium propter creberrimam illius adminiſtrationem peritisſimum,ea eloquẽtia præditum, ut facile posſit omnia noſtra commoda illuſtrisſimo Senatui perſuadere.Quod enim eloquentisſime tum uniuerſo populo,tum patricijs omnibus pollicitus es,id etiam nobis cõfidimus euenturum,ut omnes commẽdatos habeas; cum præſertim ſis illius florentisſimæ Academiæ,& omnium noſtrorum commodorum,atque ornamentorum tamquàm parens, ut nos,qui non ſolum ratione principatus,ſed etiam beneficiorum in nos collatorum à tua auctoritate pendemus,omnino tui ſimus,ac tamquàm ea,quæ tua ſunt,protegendi, exornandi,ac tua humanitate,& manſuetudine cõplectendi.Quod ut facias,amplitudinem tuam rogamus,atque ut benignitate, & beneuolentia tua diutisſime frui posſimus, à Deo Opt. Max. precamur.

Habita III. Nonas Maias M. D.LXXVIII.



AD

a denominatiue de suo subiecto ut albu, uel nigru.



AD
ILLVSTRISSIMUM
S·R·E· CARDINALEM
Iulium Cananium

Ant. Riccoboni patriæ nomine Oratio.



CVM in ordinem Cardinalium, IVLI CANANI, diuino beneficio sis cooptatus, & quidem cooptatus tanto bonorum omnium applausu, tantaq; lætitia, quantam illustrissimus honor illustrissimis uirtutibus tributus potuit excitare; merito, qui te amant, obseruant, & colunt, omnes tibi gratulatum concurrunt: merito uniuersa Diœcesis Adriensis, in quã tua extant grauia, atq; immortalia beneficia, propter maximã dignitatem tuam maxime exultat, atq. triumphat: merito inter ceteros Rhodigium uniuersum amplitudini tuæ charissimum, quod prælegisti, ubi habitares, ubi lumen animi, atq; ingenij tui exerceres, ubi potissimum benignitate, humanitate, mansuetudine, clementia, ceterisq; uirtutibus, quæ te omnibus amabilẽ, atq; admirabilem reddunt, utereris, immensum gaudium ostendit. Cumq; alia prope incredibilis gaudij sui singularia, atq; illustria dederit signa, læto æris campani sonitu, pijs ad Deum omnibus in templis gratiarum actionibus, admirabili ad te uenerandum, & Cardinalem consalutãdum,

riueriscano et onorano.

importante.

in denominatione duo requirunt s. denominans quasi ~~se aliis nominans~~ denominatu, et denominatiuum. denominans est forma accidentalis importata [illegible] nome abstractu, et si denominans quasi se aliud nominans qr. de se dat concreto ut predicetur et [illegible] subiectu; denominatu aut est res ipsa [illegible] cui accidens inheret. sed denominatiuu est accidens significatur denominatiue

dum cōcurſu,magnis ignibus, præclara Inſignis tui omnibus in locis deſcriptione,alijſq;multis, quæ omnia enumerare longum eſſet ; hoc quoque munns obiri concupiuit , ut ad Paſtorem ſuum maxime colendum, & ſummopere prædicandum publica gratulatio haberetur . Ad quod honeſtum munus obeundum tametſi quàmplurimi idonei erant doctrinæ,atq; eloquentiæ laudibus ornati,quibus hæc urbs ſemper fuit affluentisſima, quorumq; non nulli iam deſignati erant ad huiuſmodi habendā gratulationē:tn̄ , cum ad cōem patriæ meæ exultationem,atq; lætitiam concurriſſem , me quoque adhiberi oportere,publico decreto, cunctiſq; ſuffragijs hæc ciuitas cenſuit,ſi non aliis de causſis,at certe hac una huiuſmodi muneri maxime congruentem,quòd inter eos,qui amplitudinem tuam coluerunt,omni ſemper animi,ac corporis contentione appetiui principatum . Itaq; felicibus auſpicijs Clarisſimi huius urbis Præſidis, IO. NATALIS TALIAPETRAE , ac præſtantisſimorum huius communitatis Moderatorum,excellentis uiri tum nomine tum cognomine , tū re ipſa BONIFACII, ſpectabilisq; ciuis IOANNIS CASILINI,quos honeſtatis,amplitudiniſq; gratia nomino,hoc muneris libentiſſime exequar , etiam ſi intelligam me id oneris ſuſcepiſſe , quod non facile ſuſtineri poſſe uideatur. Vnde.n. in latisſimo laudum tuarum campo dicendi principium ſumam ? ubi orationis exitum inueniam ? cui potiſſimum gratulabor ? tibì ne , Cardinalis Illuſtrisſime,quòd maximum honorem maximis uirtutibus tuis debitum ſis conſecutus,an cum ceteris omnibus honori tuo deditis , tum uero patriæ meæ mihi mea ipſius uita chariori,quæ in te paſtore ſuo clementisſimo ualde honorando ſe ipſam valde honorat? Equidem illam celebrem quæſtionem , quam doctisſimi homines pertractarunt, mecum ipſe ſæpe conſideraui , Vtrum honorantis, an eius, qui honoratur,honor eſſet; probabiliaq; in vtramq; partem argumēta inueni. Primum enim in animum induxi meum, non eſſe dubitandum, quin honor tamquàm virtutis præmium,eius ipſius eſſet, in quo virtus reperiretur, cuius meritis tribueretur, qui denominationem in primis ab ipſo honore acciperet; vt,quemadmodum probrum,dedecus, & infamia non eſt eius, à quo affertur , ſed à quo recipitur : ſic

ſic laus non laudantis,ſed laudati,& honor non honorantis, ſed honorati eſſe videatur. Qđ ſi ita eſt,quis per Deū immortalem nō intelligit,amplitudini tuæ amplisſimū eſſe honorem tribuendū,cuius ampliſſimę sūt uiriutes, āpliſſima merita,ampliſſimū nomē inter viros præcipue,atq; inſigniter honoratos, illuſtriq; gloria præfulgētes? Prætermitto īter alia tua decora, & dignitatis inſignia clariſſimā patriam tuā FERRARIAM, vrbem magnificentisſimā,generoſisſimam,præſtantisſimis ad oēm laudem viris affluentisſimam, cum in alijs rebus quàm plurimis, tum in hac maxime celebrandam, quòd in ea virtutis ſplendor eluceat,& qui præſtantiores ſunt, ſine dubio chariores ſint Principi illi Sereniſſimo, in quo celeberrimæ laudes Imperatoriæ mirabiliter ſplendent, ſumma rei militaris ſcientia, in Gallia potisſimum,& in Pannonia admirabilis cognita, egregia virtus, eximia auctoritas, maxima felicitas, ut qui in rerum gerendarum præſtantia, atq; excellentia ei præferendus ſit,non facile in vniuerſo terrarū orbe Princeps inueniatur. Prætermitto nobilem familiam CANANIAM, maiorum tuorum virtutibus nobilitatam, illuſtri rei medicæ pertractatione cohoneſtatam,inſigni iuris Pontificij,& Cæſarei doctrina perornatam,clariſſimo Chriſtianæ religionis ſplēdore colluſtratam. Quæ quamuis maxima ſint ornamenta: quoniam tamen tua propria non ſunt, ſed cum multis communia, idcirco nunc mihi, maxime vero vbi notisſima, atq; exploratisſima habentur,prætereunda exiſtimo. Tantum commemoro virtutes illas, ſermone quidem omnium contritas, & in ore omnium poſitas, ſed ad id, quod agimus, maxime accommodatas, meritoq; à recentioribus Theologis Cardinales appellatas, quæ te merito Cardinalem effecerunt, admirabilem prudentiam, excellentem fortitudinem,præclaram temperantiam, ſingularem iuſtitiam. Coniunxiſti autem cum rerum agendarum prudentia rerum multarum ſcientiam,& in primis earum,quæ ad Reip. Chriſtianæ commodum,dignitatemq; tuendam,atq; augendum pertinere exiſtimantur, tum iuris Pontificij,tum eius,quæ in agendo verſatur,Philoſophiæ tum hiſtoriæ potiſſimum Eccleſiaſticæ;quibus in rebus quantopere excellas, plurima,& maxima, eademq; illuſtriſſima dediſti documenta. Atque, cum aliæ plurimæ recenſeri posſint

uirtutes

virtutes tuæ, mihi tamen,cui Illustrissimi Senatus Veneti decreto abhinc tresdecim annos mandatum est,vt in celeberrimo Gymnasio Patauino veterem eloquentiam profitear,celebranda in primis est præclara illa eloquentia tua, qua tanta tua cum laude aduersus Christianæ fidei hostes,quasi alter Pericles, fulgurare, tonare, permiscere omnia solitus es; qua tã vtiliter in Sanctissima Synodo Tridentina bonum omnium persuasisti; qua tam fructuose populos tuæ fidei commissos monere,atq; hortari consueuisti;qua tam honorifice illustres pro Serenissimo Ferrariæ Duce Legationes obiuisti; qua tã egregie apud Principes, apud Cardinales , apud Pontificem ipsum optimum,& maximum , cum tibi occasio oblata est , semper egisti.Quanta autem,& quàm multa sint tua in Rẽp. Christianam merita, quis est,qui dubitare iure possit? Omnibus enim patet,te plurimum ei profuisse,cum à secretis fuisti IVLII. III. Pontificis Maximi; cum apud eum auctoritatem tibi merito tributam,& nemini vnquam alij, ne Cardinali quidem cõcessam, eorum omnium signandorum,quæ ad potestatem Pontificiam pertinerent, incredibili omnium cum admiratione exercuisti; cum multis Episcopis , multis Cardinalibus, multis principibus in rebus iustis, à quarum regula nunquam tibi recedendum esse existimasti, gratificatus es; vt in illo maximo honore,maximaq; dignitate, in qua te summus esse Pontifex voluit, nulla re magis lætari videreris, quàm quòd prodesse plurimum , & plurimis posses. O benignam voluntatem maxime colendam, maximeq; admirãdam,quæ homines ita collustrat,vt ex hominib⁹ prope Deos reddere videatur.Cũ .n. alia multa in præpotenti Deo mirifice splendeant,nihil tñ sapientissimorum hominum sententia magis illucet,quàm præter summam rerum omnium notitiã eximia quædam de omnibus bene merendi voluntas,ut merito non solum sapientissimus, sed etiam optimus,&cum in alijs rebus , tum in benemerendo maximus sit appellatus . Cuius rei claritate qui magis fulgent,ij propius accedere ad diuinam conditionem existimantur ; vt merito te tamquàm omnium suorum commodorum, omnisq; suæ dignitatis parentem, ac prope Deum Rhodigium veneretur vniuersum , quod maximis , atq; immortalibus à te beneficijs ornatũ est.

Hic ſi hiſtoriam ſcriberem, non orationem haberem, replicarem memoriam rerum tuarum Rhodigij geſtarum ab anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quincto, cum à IVLIO III. Pontifice ſapientisſimo, & gratisſimo, Adriæ Epiſcopus declaratus es; vt ſingula tua in nos merita narrarentur: quoniã vero non ſcribo exteris, vt fortaſſe aliàs faciam, ſed apud ciues meos loquor, quibus omnia, quæcũq; de amplitudine tua dici poſſunt, notiſſima ſunt, tantum vniuerſe dico, Rhodigio nullum unquam datum fuiſſe, aut dari Epiſcopum potuiſſe, te ipſo nec diuini cultus, & Chriſtianæ pietatis ſtudioſiorem; nec pacis, & concordiæ ciuilis amãtiorem; nec hæreticæ prauitatis vindicem maiorem; nec in expellendis, & exagitandis hominum flagitijs, & ſceleribus acriorem; nec in audiendis, & exaudiendis legitimis miſerorum querimonijs benigniorem; nec ad innocentes tuendos, ac protegendos paratiorem; nec denique ad bona omnia tum publica, tum priuata prouidenda, & procuranda, malaq; præcognoſcenda, & propellenda incitatiorem. Quæ omnia ſi ſingulis tuis rebus geſtis, & ſingularibus beneficijs in hanc urbẽ collatis confirmare vellem, hodie dicendi finem non facerẽ. Iñ te igitur Rhodigini omnes, tamquam in numen aliquod propitium intuentur. Quid dico Rhodigini omnes? Immo vero Adrienſes, Lendenarienſes, Abbatienſes, Ferrarienſes, ceteri, qui te nouerunt, omnes, tuoq; præſtanti præſidio, atq; excellenti ope ullo unquam tempore indiguerunt, maximum benignitatis, atq; humanitatis tuæ fructum percipere conſueuerunt. Iamuero, ſi, quemadmodum grauisſimus omnium auctor teſtatus eſt Ariſt., duo hominum genera in primis honorantur, tum qui beneficium dederunt, tum qui beneficium dare poſſunt, dubitandum profecto non eſt, quin inter viros ſummopere honoratos merito habearis, qui Rẽp. Chriſtianam mirabiliter adiuuiſti, ornaſti, auxiſti; qui & ante Epiſcopatus adeptionem, & poſt ita ſemper te geſſiſti, ut de quàmplurimis optime meritus ſis: qui & beneficentia, & benefica voluntate omnium tibi beneuolentiam conciliaſti; denique qui innumerabilibus, atq; illuſtriſſimis rerum documentis declaraſti, quanta, & quàm multa à tuis maximis, clariſſimiſq; virtutibus proficiſci posſint. Quæ cauſſa fuit, qua-

mobrem

mobrem nõ modo ALPHONSVS huius nominis II. Serenisſimus Ferrariæ Dux V. cum Illuſtrisſimo fratre ſuo ALOYSIO Eſtenſi S. R. E. Cardinali generoſisſimo, tibi ſemper inſigniter fauerit, teq; ceteris omnibus imperio ſuo ſubiectis antetulerit, ac tui in primis ſtudioſiſſimus fuerit, expertus nimirũ ſæpenumero fidem, integritatem, præſtantiam animi tui excellentem: verũ etiam GREGORIVS XIII. Pontifex Max. idemq; ſapientiſſimus, & benigniſſimus, uere dignus, qui locum cœlo proximum teneat, te in Cardinalium numerum receperit; quòd intelligeret, qui ſe ſub IVLIO III. Pont.Max. idoneum oſtendiſſet ad ſummum Pontificatum adminiſtrandum, non niſi aptisſimum fore ad Cardinalatus grauitatem ſuſtinendam; quiq; in Epiſc. dignitate ſe etiam dignum præbuiſſet, altiori gradu dignitatis, ad Cardinalatus dignitatem prouehendum eſſe; ut qui rerum ad ſedem Apoſt. pertinentium maxima præditus eſſet experientia (in quo uno rerum uſu ueram fulgere ſapientiam doctisſimi homines cenſuerunt, & M. quoque Cato Cenſorius exemplo ſuo declarauit) is in excelſo collocatus loco plus conferre ad Reip. Chriſtianæ commodum,& ſplendorem poſſet. O beatisſimam, omnibus maxime probatam,à beatisſimo Patre habitam electionem; ut uirtuti ſuus eſſet honor; ut qui tamdiu, & tam honorifice in Ieſu Chriſti militia decertaſſet, legitime coronaretur; ut cuius præſtantisſima opera plurimum ualeret ad Chriſti fidem fouendam, & adiuuandam, is ad clariores Chriſtianæ religionis functiones adhiberetur. Quod ſi maximi Principes de pręſtanti,atq; excellenti uirtute tua ſperare plurimum uidentur, unde omnis in te dignitas profluxit; quid animi eſſe oportet Rhodiginis,qui tot, tantiſq; affecti beneficijs didicerũt, quàm egregia ſit tua in ipſos uoluntas, ac probe intelligunt,& pro certo habent, quantum tibi acceſſit dignitatis,tantundem acceſſiſſe ad benemerendum uoluntatis; ut quò illuſtriori loco ſita eſt auctoritas tua, eò plura,& inſigniora futura eſſe in Rhodigium beneficia uideantur? Merito igitur te Cardinale Rhodigium gaudet uniuerſum; meritoq; quicquid ipſum poteſt,&ualet,ad humaniſſimum,& benigniſſimum confert Paſtorem ſuum excolẽ-

dum. Quamobrem, ut ad id, quod cœperam, mea reuertatur oratio, ſi de honore gratulandum eſt, ut certe eſt, ei ſine dubio gratulandum uidetur, cuius eſſe honor putatur; eius uero honorem eſſe, fere omnes exiſtimant, cuius ſunt uirtutes, cuius ſunt merita, qui conſequitur uiri honorati denominationem; ut in eo magis, qui honoratur, honorem eſſe, quàm in honorante communiter arbitrentur, & magis illi, quàm huic, gratulandum eſſe contendant. Ex qua communi opinione recte facimus Cardinalis Illuſtriſſime, qui tibi nomine publico Cardinalatum gratulamur; tibi, inquam, tam multis, & tam claris uirtutibus perornato, tam illuſtribus, & tam præſtantibus meritis præfulgenti, tam ſolido, & tam germano uiri honorati nomine inſignito. Verum, cum hoc meritiſſimò fiat, idq; omnes libentiſſime confiteantur, nondum tamen de honore propoſitam dubitationem exẽptam eſſe intelligo; maxime uero quia is, cuius auctoritati in litterarum ſtudijs plurimum ſemper tribuendum eſſe cẽſui, quiq. & ſuperiores omnes ſuperaſſe, & poſteris omnibus ſpẽ melioris doctrinæ prope in perpetuum uiſus eſt ademiſſe, tradidit Ariſtoteles, in honorante magis, quàm in eo, qui honoratur, honorem eſſe. Cuius rei tres fortaſſe præcipuæ afferri rationes poſſunt; altera, quòd nihil aliud eſſe honor uidetur, niſi iudicium quoddam, quod de alicuius fit uirtute, omne autem iudicium in iudice ipſo ineſſe, nemo dubitat: altera, quòd qui honorat, honeſte agit, & honor eſt honeſta quædam actio, omnem uero honeſtam actionem eſſe perfectionem agentis, philoſophi docuerunt: tertia quòd eius exiſtimari honor debet, cuius in manu, & poteſtate eſt, pendere autem eum ab honorante, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum; ut honoranti quodammodo magis gratulari debeamus, quia rectum iudicium faciat de uirtute, quia honeſta ſe perficiat actione, quia ipſe eam rem in poteſtate habeat, quam libenter exequens, dum alios ornat, ſeipſum quoq; ornare iudicatur. Nam profecto, ſi, adducta in gyrũ ratione recte hoc perpendere, atq; examinare uelimus, inueniemus, niſi præſtantes uirtute uiri honeſtis ſe actionibus cõſolarentur, niſi ſummum in eis bonum collocarent, niſi ſtatuerent, uirtutem minime mercenariam eſſe, ſed propter ſe

expe-

expetendam, nihil fere esse, cur eis ad altiores dignitatis gradus prouectis tãtopere gratularemur; cũ pateat, quò altius sunt collocati, eò maiores ipsis labores, maioresq; uigilias esse suscipiendas, omnia prouidenda, omnia circunspicienda, omnia moderanda, quæ ad eos gradus honeste tenendos pertinere videantur: propterea quòd hoc maxime propriũ est uirtutis, mollia, planaq; itinera dedignari, ardua, & salebrosa concupiscere; ut, qui virtute præditi sunt, eis, quãuis honore affectis, non in vmbra, atque ocio sit marcescendum, non in rosa, ac viola contabescendum, sed perpetuo agendum, laborandum, vigilandum, pericula subeunda, sanguis quoque ipse, si ita opus sit, pro Repub. profundendus, mors quoque ipsa, si ita Reipub. utile sit, forti animo oppetenda. Itaque si res ipsa difficultatis plenissima, non animus virtute præstantium spectetur, profecto gratulari de honoribus, de dignitatibus, de publicis functionibus, nihil fere aliud est, nisi gratulari de laboribus, de uigilijs, de periculis, quæ toleranda sunt illi, qui suum cum laude munus obire velit; ut illis fortasse magis sit gratulandum, qui uirum virtute præfulgentem honorant, quòd eius illustri opera sint vsuri, eius honestis actionibus fruituri, in eius assiduitate, & vigilantia conquieturi. Quamobrem, Illustrissime Cardinalis, tametsi obseruato in primis excellenti animo tuo ad agendum, & benefaciendum propenso, tibi merito gratulamur, quòd in eum locum ascenderis, vbi tuæ poterunt virtutes illustrius, ac fructuosius exerceri: tamen philosophorum omnium principi, ac coryphæo assentientes Aristoteli, qui censuit honorem quidem esse in eo, qui honoratur, sed magis in honorante, ut ex eius sententia magis huic, quàm illi gratulandum esse videatur; gratulamur primum ei, qui omnium hominum est dignitate primus, summo Pontifici, GREGORIO XIII. Bononiensis soli splendori perpetuo, familiæ Boncompagnæ, bonorum, & virtute præditorum hominum sociæ beneficentissimæ, almo lumini prope sydera collocato, gratulamur, inquam, GREGORIO XIII. quòd rectissime iudicauerit de virtutibus tuis; ut cum per uniuersum terrarum orbem omnibus probata sit felicissima, & pru

dentis-

dentissima, quam superioribus proximis diebus habuit, vndeuiginti Cardinalium electio, non parum apud omnes beatissimum, & sapientissimum eius iudicium laudatum sit, quòd te ad Pontificatus commodum, & dignitatem natum, ac diuinitus datum, inter illos undeuiginti enumerauerit. Gratulamur deinde ALOYSIO Estensi, Cardinali gratissimo, & altissima quadam mente prædito, quòd cum cognouisset incredibilem animi tui propensionem ad honestissime, & in perpetuum amplitudini suæ seruiendum, censuerit, te humanitate, ac benignitate sua prorsus complectendum, & auctoritate, quæ summa est, fouendum, ut tibi omnia amoris, fauorisq; sui uela panderit, & apud Pontificem ipsum optimum, & maximum uirtutes tuas perpetuo celebrarit. Gratulamur præterea ALPHONSO Ferrariæ Duci Serenissimo, quòd cum eius auctoritas apud sedem Pontificiam plurimum, prout debet, possit, & valeat, omnes vires suas, quæ sine dubio maximæ sunt, & potentissimæ, usque ab initio Pontificatus GREGORII XIII. adhibuerit ad te suis prope manibus in locum Summo Pontificatui proximum extollendum, ac nunquam cessauerit, donec tibi Cardinalatum confecerit; vt inter ceteras honorificentissimas, atq; excellentissimas actiones suas hac maxime gloriari posit, quòd te propter præstantiam animi tui singularem alijs quàm plurimis, ijsdemque præstantissimis præferens uiris, quibus merito gaudet Ferraria, ad Cardinalatus gradum incredibili suo, ac prope diuino studio unus euexerit. Quo præclaro tui ipsius honorandi instituto humanissimus, & benignissimus Princeps ita oblectatur, vt te delectum S. R. E. Cardinalem multis statim, magnisq; muneribus affecerit, suoq; Insigni, & Aquilæ nigræ in albam fausta, feliciquc commutatione cohonestauerit, ac dum te omni humauitatis, & benignitatis genere quotidie magis complectitur, admirabile beneficentiæ, & liberalitatis suæ singularis monumentum uelle prodere posteris uideatur Gratulamur denique uniuersæ Diœcesi Adriensi, Adriæ. Rhodigio, Lendenariæ, omnibus locis hac Diœcesi comprehensis, quòd in manu habeant, quomodo Pastorem suum Illustrissimum, si non pro dignitate eius, at saltem pro uiribus

ribus

ribus ſuis immortaliter honorando immortalem poſſint ſibi ipſis honorem comparare. Agite igitur, ciues Rhodigini, ut cœpiſtis, una cum ceteris Rhodiginæ Polyneſi populis, immo uero cum Mundo uniuerſo, Paſtorem ueſtrum à communi in primis omnium Paſtore, ab Illuſtriſſimo Eſtenſi Cardinali, à Sereniſſimo Ferrariæ Duce honoratum ita honorate, ut ſi eius dignitati nec rebus nec uerbis reſpondere poteſtis, at ſaltem gratiſſimos animos oſtendatis: colluſtrate mentes ueſtras iucundisſimo, qui uos fouet, ſplendore: Cardinalem ueſtrum Illuſtrisſimum (ueſter enim & propter conſtantiam ſuam, & propter diuturnam apud uos commorationem factus eſt, & eſſe uult) amate, obſeruate, ſuſpicite: eius memoriam beneuolentia colite ſempiterna: ad eius nomen perpetuo prædicandum ſi non parem orationem, at certe gratam animorum ſignificationem, quantumq; lingua, uoce, dicendi facultate ualetis, libenter conferte: eius grauiſſima, & immortalia in uos merita, ſi fieri non poteſt, ut expleatis, at certe quibuſcunq; poteſtis reuerentiæ, & obſeruantiæ ſignis, non preſſis leuiter ad exigui prædicationem temporis, ſed fixis ad memoriam hominum ſempiternam, adornate: uoſq; perpetuo propenſos, & paratos oſtendite ad eius honorem, & gloriam pro uiribus celebrandam. Quod facere debetis, & ſine dubio facietis, non ſolum, quia ita uos decet: uerum etiam ut illuſtrisſimo Veneto Senatui, à cuius auctoritate, tamquàm à numine aliquo pendetis, cuiuſq; poteſtatem præ ſe fert clariſſimus huius urbis præſes, IO. NATALIS TALIAPETRA, quem iterum honoris cauſſa nomino, gratificemini: cum præſertim conſtet etiam litteris, ut appellant, Ducalibus tum Illuſtrisſimo Cardinali ad gratulandum, tum Summo Pontifici ad gratias agendas misſis, & ſingularibus officijs, dum ipſe ſuperioribus proximis diebus Venetijs fuit, à Sereniſſimo Venetiarum Principe, & ab ipſo Illuſtriſſimo Senatu ei cumulatisſime præſtitis, non minus charam, & iucundam huic Sanctiſſimæ, & Serenisſimæ Reip. ad Cardinalatum promotionem, & electionem IVLII CANANII, quàm AVGVSTINI VALERII Patritij Veneti, & MICHAELIS TVRRIANI imperio Veneto in Foro Iulio

ſub-

di far beneficio

ſubditi, extitiſſe. Tuum uero eſt, Cardinalis Illuſtriſſime, & Clementiſſime, tuam priſtinam mentem in Rhodiginos omnes, tuumq; de Rhodigio uniuerſo benemerendi inſtitutum retinere. Quod te facturum eſſe certo ſperamus; hacq; certa ſpe gaudentes hanc Magnificam Communitatem amplitudini tuæ ualde addictam, & hunc populum nomini tuo omnino deditum, tibi in perpetuam clientelam commendamus; teq; ut Deus Opt. Max. ad ſummum in Chriſtiana Rep. locum reſeruet, & diu incolumem, florentemq; conſeruet, etiam atq; etiam precamur.

dedicata

dedicato, reso si

Habita Rhodigij in auguſtiſſimo Di. Franciſci templo xv. Kal. Feb. M. D. LXXXIV.



forum iulium friuoli corrupto nomine friuli appellatur.
forum cornelius. imola
forum livius. forli.
forum claudius. Tarentesi
forum aurelius.
forum sempronius. fossombruno città

IN



In Obitu IOANNIS CEPHALI I.C.

Antonij Riccoboni Oratio.



Tinam, Auditores, quantus est concursus factus ad cohonestandum Ioannis Cephali, Iurisconsulti funus: tanta in me esset dicendi facultas; qua possem præstantissimi uiri decôra, & dignitatis insignia celebrare; quæ tametsi magnitudine rerũ ab ipso gestarum longè inferior mihi conceditur: tamen ego rẽ esse minus difficilem existimo, uirum clarissimum, in oculis gentiũ, in luce nationũ oĩum, ĩ ipsius gloriæ prope gremio uersatum, eo in loco exornare, ubi actiones eius notissimæ, atq; exploratissimæ sunt; ubi tã multæ, & tãtæ extiterũt, ut eũ longè clariorẽ reddiderint, quàm ut lõga aliqua oratione ipse debeat illustrari. Habẽda igitur oratio est, nõ ut illustriora fiant, q̃ illustriss. existimantur, nõ ut amplificẽtur, quæ ꝑ se maxima sunt: sed solummodo ut hoc grati animi officium ei uiro præstetur, cuius memoriæ oĩa sine dubio debentur; idq; magis, ut muneri nostro aliqua ex parte satisfiat, quàm quòd ipse ulla indigere laudatione uideatur. Neq; uero altera caussa, quamobrem funebres orationes habẽtur, mihi negociũ facessit, ut scilicet in maxima iactura, ac detrimento adhibeatur aliqua auditoribus consolatio. Dico .n. in ea ciuitate; quæ philosophiæ, omniũq; liberalium artium studijs,

unde consolandi,& in oĩbus recte agẽdi præcepta petuntur, affluentissima est; ut magis ipsa alijs gentibus,& nationibus consolaudi uiam,& rationem commostrare posse, quàm ullam postulare consolationem existimanda sit. Quamobrem magis consuetudine,quàm quòd munus obeam necessariũ, audebo uos omnes oratione breuissima cõsolari,atq; in ipso propè uestibulo consolations meæ ponam illud, quod con firmare,meo quidem iudicio, facillimum est, nec eius,qui mortuus est, nec nostra de caussa dolendum. Itaque nullo modo dolendum. Quid enim mortui uicem doleamus, qua si nobis notum, atque exploratum sit, eum in maximis ærũ nis,& miserijs uersari? Non ne summa arrogantia est,homi nes profiteri se id ipsum scire, quod solus Deus diuina sapi entia sua comprehendit? Accedit, quòd dum licuit maioribus huius uitæ commodis,ae dignitatibus perfrui, Ioannes Cephalus vixit: ubi uero satis multos annos, qui fuerunt no uem,& sexaginta,uisus est uixisse,tum sibi,tum familiæ,tum patriæ,tum clarissimis Italiæ Gymnasijs, ac potissimum Pa tauino, quod quattuordecim annos eius maxima præstantia fuit exornatum, id est omnibus gentibus & nationibus,quæ confluere in hũc optimarum artium mercatum solitæ sunt; mortuus est. quid dico mortuus? immo uerò ex hac adumbrata uita,quæ potius mors est, in ueram uitam commigrauit. Hic laxarem eloquentiæ habenas: percurrerem Rhetorum cãpum: cõmemorarẽ Deorũ, ac sapientissimorum hominum de morte iudicium:ponerem uobis ante oculos huius uitæ miserias,&calamitates:describerem mortalẽ hõnum conditionẽ,ac naturã: quàm fluxa,quàmq; caduca sint bona oĩa humana,ostenderẽ: simul declararem magnitudinem illius supremæ felicitatis,qua illos perfrui certissimum est,qui honestè uixerunt,& honestè mortui sunt: sed in angustijs huius tẽporis,qđ ad dicẽdũ datur,oĩa, q̃ mihi in mẽtẽ ueniunt,enarrare cõsiliũ nõ accidit;cũ præsertim intelligã ea magis trita ẽẽ,quàm quæ apud hĩnes doctissimos,& litteratissimos,debeãt cõmemorari.Sat igitur habebo dicere cũ grauissimo omnium Philosopho,& philosophorum corypæo Platone,In oĩbus iis,q̃ accidũt,quiescẽdũ, quippè qui nesciam[9] quorsũ ea ipsa tẽdãt;& tũc maximè id faciendũ, cum profici

nihil

nihil pōt, ac tamq̃ in tesserarum ludo ad ea, quæ ceciderunt, animos parandos, atq; oīnō cogitandum, cum ijs, qui mortui sunt, benè actum esse, si eos honestam vitam duxisse compertum sit. Quod tametsi de Io. Cephalo tam notum est, quàm quod notissimum: tñ quia solet esse grata ēt earum rerum cō memoratio, quæ sciuntur, maximè cum ex officio præstatur; non desinam de præclaris eius rebus gestis aliqua dicere, ex quib⁹ facile apparebit, eum inter Iurisc. mirabiliter floruisse, honestissime vixisse, ac dignum, qui in cœlum penetraret, extitisse. Ortus igitur in vrbe Ferraria nobili, ac celebri, & copiosa, doctissimisq; , ac fortissimis viris, atq; oībus litterarum, & armorum studijs affluenti, quam mœnibus primum septam anno CHRISTI sexcentesimo sexto à Smaragdo Italiæ Exarcho, post auctam mirabiliter ad urbis insignis magnitudinē, atq; amplitudinem potentissimi in hunc usque diem principes sedem suam habuerunt; & quidem ortus in Cephalorum familia, ex qua qui originem traxerunt, ijs proprium semper fuit κεφαλὴν esse, & caput aliorum, ac principem inter alios locum tenere; cum ipse se totum vtriq; iuri Cæsareo, & Pontificio dedisset, vt in eo totus esset, in quo excellentiam appetebat, ac melior fieret Iurisc., ne artem quidem Grammaticā in alijs scriptorib⁹, quàm in veteribus Iurisc. voluit discere, cum præsertim in eorum scriptis latina elucere eloquentia videatur, & illa potissimum verba inuestiganda sint, quæ illius disciplinæ firmissima sunt fundamenta, ad quam aīum appulerimus. Itaq; illorum factum minimè sequutus est, qui, cum vniuersum doctrinarum orbem complectantur, dū oīa se scire profitentur, nihil egregiè tenere existimarunt: sed in vno rerum genere se exercens, in vnam laudem incumbēs, uni arti studens, maluit in legitima excellere disciplina, eiusq; exactam, & exquisitam cognitionem adipisci, q̃ mediocriter, vel minus ēt quàm mediocriter, vt multi faciūt, multa cognoscere. Quamobrem breui temporis spatio in vtroq; iure ita excellere existimatus est, vt facillimum ei fuerit, non solum Doctoris insignia consequi, & in Iurisconsultorum numerū cooptari, magno applausu, & lætitia bonorum: verum etiam extolli ad dignitatem ius ipsum publicè interpretandi, & quidem interpretandi in clarissimis Italiæ Gymn. Ferrariensi,

Ticinensi,Patauino;non in inferioribus locis ipsorum gymn. quod tamen in eorum amplitudine satis dignum existimatur,sed in supremis; concurrenti ad studiosæ iuuentutis vtilitatem non cum infimis,aut mediocribus Iurisc., sed semper cum aliquibus de præcipuis,vt Ferrariæ cum excellentiss. Rōcagallo:Ticini cum Franc. Alciato ꝑꝑ summam sapientiam suam,& singularem probitatem nunc S.R.E.Cardinali Illustriss. , nec non cum Iacobo Berretta I.V.Doct. præstantissimo; Patauij primum cum Vido Pancirollo,mea quidem sententia,immo uero cōi oīum consensione egregio Iurisc., deinde cū Bonifacio Rogerio,& Franc. Mantica,altero illustri Comite,ac magnifico equite,& doctore doctitissimo,atq; officiosiss.altero non minus modestiæ,quàm iurisprudētiæ laudibus exornato.Quid cōmemorem admirabilem semper factum ad eum audiendum studiosissimorum iuuenum concursum? Satis.n.constat,eius scholas semper,cum ipse profitebatur,ita studiosis iuuenibus fuisse refertas,vt oīa in subsellijs loca occupata conspicerentur , & tam frequentes fuisse eius auditores,vt,quemadmodum militum in cohortibus,in legionibus,in exercitibus,sic illorum in ipsius scholis magnus existere numerus videretur. Quid dicam,dum ipse ius explicabat,crebras auditorum assensiones,multas admirōnes, magnos applausus? Quid prædicem,dum ipse domum redibat, post publicas disputationes,propè incredibilem eorum fructum ex benignissimis repetitionibus explicationum, quibꝰ ēt plus temporis,quàm publicis interpretationibus in magna sectatorum caterua tribuebat? Quid recenseam eorundem, ipso duce,atq; auctore in studijs vtriusq; iuris ad excellentiā maximas factas progressiones ? Vt .n. incredibile dictu est, quantopere oēs,qui eum audiebant,ipsum suspicerent,atque admirarentur: sic certo numero comprehendi non possunt illi,qui eius auxilio in legū cognitione excellentes facti sunt, atq; idonei ad iuris veritatem perspiciendam, ad Remp. capessendam, ad leges ciuitati describendas,ad ius dicendū,ad consilium dandum,ad oīa optimorum iurisconsultorū munera optime obeunda;ut mirum non sit,eum in hoc clarissimo gymn. ab Illustriss. Senatu Veneto amplissimum præmium obtinuisse,& in alijs multis gymna. summopere expetitum

fuisse

fuiſſe,ac potisſimum Bononiæ,quò ſæpè honeſtisſimis præmijs inuitatus fuit,ac Piſis,quò admodum Reuer.& Illuſtris vir,Tonſus,gymn. moderator,non litteris,ſed præſentia ſua, cum ſe ob id unum huc contuliſſet , proponens non minimum aliquod præmium, ſed mille,& trecentos ſcutatos, ſuperiore proximo anno accerſebat . Quas maiores utilitates poſt habuit ſemper,quòd ſe Illuſtriſſ. Senatui Veneto maxime deditum, addictum, atq; obſtrictum profiteretur. O virum gratisſimũ,ac de bene meritis optime meritum,oĩumq; uocibus,& litteris celebrandum.Neq; vero ex alijs magis, q̃ ex Io. Cephalo verisſimum eſſe apparuit illud,quod à ueteribus dictum eſt,domum Iuriſc.eſſe totius oraculum ciuitatis; ad cuius conſilium non ſolum totius vrbis,in qua ipſe eſſet, verum ẽt totius terrarum orbis homines confugiebant,non ſolum priuati,ſed ẽt Rerump.gubernatores conuertebantur, non ſolum populi,ſed ẽt Reges,tanquàm ad numen aliquod reſpiciebant,nõ ſolum Sereniſſ. Ferrariæ Duces,& Illuſtriſſ. Cardin. quibus ſemper chariſſimus fuit,verum ẽt ceteri oẽs princeps,cum occaſio offerebatur , nuntios ſuos mittebant; vt in ſuperioribus annis fecerunt Sereniſſ. Ferrariæ Dux, & Illuſtriſſ. Cardin. frater eius,qui,cum controuerſias quaſdã ſuas eius doctrinę, atq; integritati dirimendas vellent cõmittere,ipſe tamen modeſtiæ cauſſa curauit,ut illæ clarisſimo viro,& præſtantiſſ. Iuriſc. mandarentur Tiberio Deciano,quẽ honoris cauſſa nomino magis , ut eius præclariſſ. nomine orõnem meam illuſtrem,quàm ut ipſe orõne mea illuſtretur, qui maxima,qua pollet,ſapientia principibus illis mirabiliter ſatisfecit.Itaq; Io.Cephalus pp ſummam iuriſprudentiã non ſolum potuit merito appellari , quemadmodum Sextus Aelius à ſummo poeta, Egregie cordatus homo catus: verum ẽt tamquam Pythius Apollo apud eundem poetam, gloriari ſe eſſe eum,vnde oẽs conſilium expeterent ſuarum rerum incerti,atq; de eis cum Ennio dicere , Ego mea ope ex incertis certos, compoteſq; conſilij dimitto, ut ne res temere tractẽt turbidas.Quod dictum,meo quidem iudicio , pace antiquitatis dixerim,videtur ẽt magis,quàm Apollini,Io.Cephalo conuenire; ſi quidem illius oracula partim ambigua,& obſcura, & flexiloqua,partim falſa,partim caſu vera fuiſſe traduntur:

huius

huius vero reſponſa certisſima, verisſima, & ſumma rōne firmata ſemper habita ſunt; vt incredibile dictu ſit, quantam exiſtimationem, & gloriam ſuis ſibi conſilijs, quantamq; vtilitatem, & cōmodum ijs oībus, qui eum conſulebant, ipſe comparauerit. Declarant id conſiliorum volumina ab ipſo edita, quibus nihil ad laudem illuſtrius, nihil ad famam honeſtius, nihil ad explicandas Iuriſconſultorum tricas, ad dirigendos legum mæandros, & anfractus, ad hominum negocia pertractanda, ad iudicia de humanis actionibus ferenda accommodatius pōt excogitari. Taceo eum non ſolum bis ex diuturno quadraginra ſex annorum profitendi tempore ius comitis Palatini habuiſſe, quod, vt uobis Iuriſc. notisſimum eſt, acquiritur viginti annorum ſpatio ex libro Codicis duodecimo de profeſſoribus, qui in vrbe Conſtantinopolitana docentes ex lege meruerunt comitatum: verum ēt Illuſtrem Comitem & magnificum Equitem fuiſſe meritisſimo declaratum; ac potuiſſe ēt eſſe Mediolani Senatorem, ſi relinquere publicum interpretandi munus, cui ſemper mirificè deditus fuit, voluiſſet; curante id potisſimum excellentiſſ. viro, Gabriele Cueua, præſtantisſimo Mediolanenſis Ditionis gubernatore, qui per prudentisſimum eius conſilium magnum quendam Ducatum fuerat conſecutus. Hæc, & multa alia huiuſmodi, breuitatis cauſſa omitto, ac tantum dico id, quod ad perfectam, & abſolutam eius gloriam uidetur pertinere, in legum diſciplina ita eum verſatum eſſe, vt cum eius munus ſit, ciues efficere bonos, & legibus ſubiectos, non tam ipſe ſtuduerit exemplo ueterum Iuriſconſultorum ad iuſtitiam homines adducere, quàm iuſte viuere; ita ut incertum ſit, quænam virtus in eo maior extiterit, ſcientia nè legum, an probitas, pietas, religio, integritas, innocentia; cuius virtutis ſplendor in eo ita enituit, ut eum omnibus amabilem, atq; admirabilem reddiderit. Notisſimum autem eſt, quàm pius fuerit, & religioſus ex ijs, quæ ſanctisſimo huic templo Diui Petri dicauit, ex ornamentis ipſius templi, ex numis ante tempus mortis diuino ſacrificio conſtitutis, & tempore ipſo mortis auctis, ex ſanctisſima morte, quam ex ueteri inſtituto Reip. Chriſtianæ chriſtianisſimè obiuit. Et quiſquam exiſtimabit, male actum eſſe cum Ioanne Cephalo, qui omnis probita-

tis, &

tis,& pietatis ſpecimen,& exemplar, ad eum locum,qui e-
ius uirtuti maxime congruebat, à Deo Opt. Max. uocatus
alis modeſtiæ, æquitatis, ceterarumq; uirtutum,quæ ad ui-
rum pertinent Chriſtianum, in cœlum penetrauit?Non igi
tur eius cauſſa,quamuis mortui,dolendum eſt.At noſtra po
tiſſimum cauſſa dolor cócipi merito poſſe exiſtimatur,quòd
tãtum iuriſprudentiæ decus , tantum legum ornamentum ,
tantus legitimæ diſciplinæ ſplendor,tanta commoda , tantæ
utilitates, quæ ab hoc clariſsimo uiro proficiſcebantur , ex
tinctæ ſint , & tanto adiumento uniuerſa iuriſconſultorum
Reſp.uniuerſum gymnaſium Patauinum,uniuerſa hæc urbs,
immo uniuerſus terrarum orbis priuatus ſit. Ac id quidem
magnum eſt detrimentum, fateor, magna iactura : non ta-
men noſtri incommodi cauſſa dolendum , ne noſmetipſos
amare plus nimio uideamur, & ob id eſſe iniuſti, ac timidi
& inconſtantes exiſtimemur. Age enim,qui ſe plus nimio a-
mat,ſui ipſius cauſſa oĩa & uult,& facit,ſic iniuſtus eſt,cum
omnia utilitate ſua,non honeſtate metiatur; ſic adumbratã,
& Epicuream, non ueram, & Platonicam amicitiam ſequi-
tur; ut ſi ueri amici Ioanni Cephalo exiſtimari uelimus,eius
felicitate propter incommodum noſtrum dolere non de-
beamus . Præterea uero qui rebus humanis, & uariis euen-
tis plus iuſto commouetur,tum timidus,tum inconſtans ap
paret. Quare ne nimis timidi , & nimis inconſtantes uidea-
mur, dolere Ioannis Cephali morte,etiamſi plurimis,maxi-
miſq; commodis , & utilitatibus,quæ ab eo proueniebant,
priuati ſimus,nos minimè decet: ſed maximè oportet dolo-
rem compeſcere,cui qui indulgent, ſua ipſi uoluntate,ſuoq;
arbitratu,miſerrimi, atq; infeliciſſimi fiunt. Id quod elegan
tisſime etiam fictis fabulis memoriæ proditum eſt , quòd
cum Iupiter genitis à ſe diis diuerſa officia adſcriberet , ac
diſtribueret,illud luctui conceſſerit , ut ipſe præſto eſſet ſo-
lis iis,qui ipſum uoluiſſent,ipſumq; elegiſſent.Quid? in obi-
tu tanti uiri nullus omnino dolor eſt exprimendus ? Non
dico id, Aud.neq; .n. uos eſſe,ut inquit ille, ex quercu , aut
è ſilice natos exiſtimo,non ferreos,aut adamantæos, nec ad
mitto uæſanam illam indolentiam Stoicam , quæ etiam in
maximis malis nihil ſe pati profitebatur ; ſed uos maximo-
pere

pere laudo,quòd nec Craſſum , nec Domitium imitemini, quorum alter extincta in piſcinis murena fleuit amare , alter cum diuerſis temporibus tres uxores ſuas mortuas conſpexiſſet,ne guttam quidem lachrymæ effudit;laudo, inquã, uos etiam, atq; etiam,quòd tanquam ſapientes, & alta quadam mente præditi modum in dolendo adhibeatis.Sic pergite,Aud.ut ueſtram ſapientiam decet; ac maximas , clariſſimaſq; Ioãnis Cephali uirtutes, ad imitandum propoſitas habete.Tuq; in primis, excellens uir,Io.Baptiſta,fili eius,excellentem præſtantiam,& præſtantem excellentiam optimi patris,ſingularem probitatem,ac propè incredibilem manſuedinem,ceteraſq; oẽs uirtutes , quæ in eo mirabiliter elucebant,imitare, ut ſis non ſolum fortunarum, ſed etiam uirtutum paternarum heres.Id quod te facturum,pro certo habemus, non ſolum quia ex bonis boni , ex præſtantibus præſtantes oriri ſoliti ſunt: uerum etiam quia lumine animi,atque ingenii colluſtratus, & rectiſſimis ſimul ſtudiis ad uerum decus,& ueram gloriam,quæ à ſola uirtute manat,conformatus,nihil niſi ſublime cogitas ; unde cum maxima tua laude,iuris utriuſq; doctor factus es, & quotidianis laboribus , atq; aſſiduis uigiliis tuis uiam tibi paras ad nominis immortalitatem . Vos uero iuuenes legum ſtudioſi , qui à præclariſſimo ſene,tanquàm à dulciſſimo parente chariſſimi liberi diligebamini, qui non ſolum doctrinam,& eruditionem præſtantiſſimi,ac præcellentiſſimi Iuriſconſulti, uerum etiam modeſtiam,humanitatem,& benignitatem experti eſtis, qui facilitati eius,& amori plurimum debetis, cum eius chariſſimum filium, & heredem illis omnibus officiis, quæ à gratiſſimis animis proficiſci conſueuerunt,ne grauemini conſolari,tum uero etiam uoſmetipſos effingite ad tanti uiri imitationem,& memoriam doctoris optimè de uobis meriti beneuolentia colite ſempiterna.


Habita Patauij in Templo Di. Petri V. kal.Ian.
M. D. Lxxx.





In Obitu
PATARI
BVZACHARENI
Patauini

Antonij Riccoboni Oratio.



VM satis re ipsa factum sit Patari Buzacharenj decori, atq; ornamento, magnificentissima pompa funerris, nobilissimo cõsessu ciuium Patauinorum, maximo concursu Doctorum, & Iuuenum studiosorum, summo mœrore Patauij vniuersi, quod quidem prope cõuulsum sedibus suis ad cohonestandũ præstantissimum ciuem suum totum confluxisse in hoc templum uidetur: oratione simul erat satisfaciendum, quæ magnitudini rerum ab ipso gestarum aliqua ex parte responderet. Nam, si præclarum ueterum institutum fuit, ut, qui in bello fortissime pugnando occubuissent, publice laudarẽtur; cur illi laudibus non efferantur, qui, cum egregiam operam Reip. nauauerint, suam tamen uitam reseruare ad alia Reip. commoda potuerunt? Quo quidem in numero cum fuerit Patarus Buzacharenus, exornandus esse merito uidebatur: idq; munus sane egregium, & præclarum cum hesterno die mihi delatum sit, me in breuem quendam quasi

orbem colligam ; ñec prorſus difficile exiſtimabo Patauinum apud Patauinos collaudare , qui non minus, immo uero etiam magis, quàm ego Clarisſimi Viri ſingularem præſtantiam nouerunt . Neque uero expectare eruditisſimum Patauium debet, ut de huius uitæ cõditione conſolandi cauſſa diſſeram, quæ tam multis miſerijs , & calamitatibus oppreſſa, tamquàm fluctibus, & uentis aduerſisſimis agitata cõſpicitur, ut melius cum illis actum eſſe exiſtimetur, qui citius ex his malis diſceſſerint. Quid enim eſt tam ſermone omniũ tritum, & peruulgatum in hac urbe omnium diſciplinarum altrice, omnis ſcientiæ parente, quàm ferendam eſſe communem conditionem, ut omnes mortales iuxta legem naturæ à Deo Opt. Max. ſibi impoſitam moriantur ? Neq; nobilisſima Buzacharena familia uidetur deſiderare, ut in ea conſolanda tempus conteram, quæ cum omni ſapientia, ac prudẽtia præſtet, optimeq; per ſe nouerit, ſuperuacaneum eſſe mœrorem, qui proficire nihil queat, nullam mea quidem ſententia aliam expetit conſolationem , niſi ut maximi uiri maximæ uirtuti debitus honor præſtetur . Non faciam igitur , non faciam eam Pataro Buzachareno iniuriam , ut magis in alienis ornamentis celebrandis uerſari, quàm propria eius decora, quæ totam orationem meam perquirunt, attingere uidear. Quæ cauſſa etiã erit, quamobrem perpauca dicam de Patauij, ubi ipſe ortus eſt , nobilitate, ac de familiæ Buzacharenæ, ex qua idem originem traxit , ſplendore. Satis enim conſtat, urbem Patauium Troianam originem habere, atque ita antiquam eſſe, ut uel ipſam gentium Principem Romam originis ſuperet uetuſtate. Mitto antiquam eius poteſtatem humanarum rerum conditione commutatam. Mitto felicem hunc, ac plane diuinum genium Patauinum, quem omnes gentes , & nationes ſemper excoluerũt . Tantum dico, præter alia huius ciuitatis decora, & dignitatis inſignia eam doctrinæ laude potisſimum præſtitiſſe, ut in ea clariſſimus hiſtoricus T. Liuius, in ea maximus iuriſconſultus Paullus, in ea nobilisſimi poetæ, Stella, & Flaccus, in ea alij quàm plurimi omni optimarum genere artium præſtantes floruerint; de quibus ſingulis ſi conſilium mihi accidiſſet dicere, hodie dicendi finem non inuenirem. Nec tamen

idcirco

idcirco prætermittenda est T. Liuii gloria celeberrima, qui temporibus Augusti Imperatoris ea maiestate historias conscripsit, centum, & quadraginta libris comprehensas, eamq; delectationem, atq; iucunditatem afferre lectoribus consueuit, ut uel Alphonsus posterior Hispaniæ Rex incõmoda laborans ualetudine, cum à Medicis sanari non posset, iucundissima unius Liuij lectione sanatus esse dicatur. Idem Alphonsus cum audiuisset in hac urbe T. Liuij cineres, atq; ossa inuenta esse, sic eius memoriam ueneratus est, ut statim Legatos miserit, qui, si fieri ullo pacto posset, illos cineres, atq. illa ossa, quocunque liberet precio, emerent, cui quidem nobilissimi, & benignissimi Patauini tantummodo brachij os dono concesserũt, tamquàm summo præstantissimi ciuis sui fautori. O famæ celebritatem admirandam. Accedit ad gloriam ciuium per totum terrarum orbem clarissimorum excellentia utriusq; Collegij, tum Iurisconsultorum, tum Medicorum, & Philosophorum, quorum utrunque maximam sine dubio apud omnes obtinet auctoritatẽ: celebritasq; Clarissimi Gymnasij, quò perpetuo iuuenes studiosi ex omnibus regionibus, assidueq; concurrunt; ut quibus placet in hac urbe uitam degere, ij non solum in clarissimo totius Italiæ conspectu, uerum etiam in omnium gentium, & nationum oculis, atq; in maxima hominum luce, omninoq; in celeberrimo omnis dignitatis, & gloriæ domicilio uiuere uideantur. Ac quemadmodum quidem Patauij patet nobilitas: sic Buzacharenæ splendor familiæ prorsus illucet. Etenim, cum sapiẽtissimus philosophus scripserit Aristoteles in familiarum nobilitate requiri, ut generis auctores illustres fuerint, & ex ipso genere multi illustres extiterint, tum uiri, tum fœminæ; profecto generis Buzachareni auctores & se, & posteros suos maximopere illustrarunt, ac totã familiã suã clarissimã reddiderũt; quæ in hac antiquissima urbe adeo ãtiqua est, ut ipso prope Patauij natali die orta esse existimetur: ex genere aũt Buzachareno quàm plurimi extiterũt generosi uiri, qui splendorẽ à maiorib⁹ acceptũ cum maxima sua laude conseruarunt, atq; adauxerunt; vt inter ceteros Buzacharenus senior, Ducius, Fulcus, Buzacharenus iunior, Tisius, Nicolaus, Patarus, viri in re militari exercitatissimi, ac

omni armorum laude inſignes: Salio primus, Fulcus ſecũ
dus, Buzacharenus tertius, Paduanus, Pantaleo, vtriuſque
iuris doctiſſimi, ac legum interpretes eloquentiſſimi: Salio
ſecundus, Mathematicus,& Aſtrologus ſapientiſſimus: Salio
tertius, Canonicus Patauinus religioſiſſimus, & Adriæ Epi-
ſcopus perilluſtris: Fina, fœmina præſtantiſsima, Franciſci
Carrarienſis, qui Patauij dominatus eſt, vxor, quam quidem
præclarum in hac vrbe Seruitarum templum éxædificandũ
mandaſſe, vetera monumenta teſtantur: Arcuanus Finæ fra
ter, fortitudine,& magnanimitate, omniq; bellica gloria illu
ſtris, qui propter ſingularia in Remp. Florentinam merita
anno Chriſti ſeptuageſimo vltra milleſimum, & trecenteſi-
mum honeſtiſſimis priuilegijs decoratus eſt, ſummuſq; Lu-
douici Vngariæ Regis præfectus fuit, ac propter excellentem
præſtantiam ſuam aquilæ albæ inſigni anno poſt Chriſtum
natum milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octauo ab eo
donatus eſt, quæ aquila adhuc cum Buzacharenorum inſigni
coniuncta cernitur: tres Arcuani filij, Patarus alter, Ladiſ-
laus, Franciſcus, Equites clariſſimi, & celeberrimi: Ludoui-
cus ille præſtantiſſimus, qui ſummus fuit Veneti exercitus gu
bernator: alij tam multi tum armorum, tum litterarum lau
de florentes, vt ſi recenſere omnes velim, hodie finem factu
rus non ſim. Ad te igitur venio, qui tertius ex domo Buzac
harena Patarus extitiſti, cuius maxime omnium mœrore ex-
tincti exequias nunc celebramus; qui quidem cum patriæ
ſplendore fulgeres,& familiæ fulgore ſplenderes, non tibi in
ocio marceſcendum putaſti, ſed eam viuendi uiam iniuiſti,
quæ uerum decus, ueramq; gloriam à ſola uirtute profici-
ſcentem conſectatur. Itaque, cum & corpore robuſtus,& ani
mo intrepidus ſemper fueris, fortitudinis in primis laudem
adamaſti, id eſt eius præclaræ, atq; egregiæ virtutis, quæ com
mune commodum, communemq; dignitatem priuatæ ſaluti,
atq; incolumitati anteponit. Hæc nimirum illa virtus eſt, quã
immortale nomen reddere, declarauit Leonides Spartanus,
is, qui cum trecentis ciuibus ad Thermopylas toti Aſiæ pro
Xerxe militanti obiectus fortiſſime occidit; tunc cum dixit,
Prandete, Commilitones, tamquàm apud inferos cœnaturi:
declarauit Epaminondas Thebanus, qui contra Lacedæmo-
nios

nios dimicans magno animo perijt;tum cum traiectus haſta quæſiuit,an clypeus eſſet ſaluus, an fuſi hoſtes; eaq; vbi ex ſententia animi ſui eueniſſe intellexit, ſe potius naſci, quàm mori profeſſus eſt: declarauit Brutus, qui pro patria pugnã do ſimili ictu Aruntem hoſtem transfixit, ac transfixus eſt, ita ut ambo duabus hærentes haſtis moribundi ex equis lapſi ſint: declarauit Decius pater,qui in bello Latino; Decius filius, qui in bello à Gallis, Etruſcis, & vmbris ſimul illato; Decius nepos, qui in bello contra Pyrrhum pro patriæ ſalute mortem ſibi forti animo eſſe oppetendam exiſtimauit: declararunt P. & Cn. Scipiones,qui in Hiſpania aduerſus Pœnos dimicando; Paullus Aemilius, qui ad Cannas; M. Marcellus,qui ad Venuſiam; Albinus, qui apud Latinos; Gracchus,qui apud Lucanos;alij prope innumerabiles; & vniuerſi quoq; exercitus, qui ſtrenuiſſime pro Rep. occubuerunt. Hanc præſtantem,& præcellentem virtutem Rebuſp. plurimum prodeſſe, teſtis eſt Miltiades, qui maxima ſua cum laude Darium Perſarum Regem ad Marathonem vicit: teſtis Themiſtocles, qui Xerxem perſarum quoq; Regem ſuperauit: teſtis Cimon, qui etiam de Perſis victoriam reportauit: teſtis vterq; Africanus, quorum alter Carthaginem populo Rom. reddidit tributariam, alter funditus deleuit: teſtes alij quàmplurimi Imperatores, atq; inter ceteros Sebaſtianus Venerius, & Auguſtinus Barbadicus, qui cum Trierarchis ſuis,& in primis cum eo, quem nunc merito laudamus,viro præſtantiſſimo,Pataro Buzachareno,inſignem de Turcis uictoriam retulerunt. Nam in ſuperiori proximo bello contra Turcas, teterrimos Chriſtiani nominis hoſtes, geſto, nonnullis accitis ab Illuſtriſſ. Senatu ex ciuitatibus Veneto Imperio ſubiectis, qui in tanto, tamquàm graui periculo Reip. quantum fieri poſſet, opitularentur, atq; inter ceteras hac generoſiſſima ciuitate ad aliquam opem ferendam publice inuitata; Patarus cunctis ciuium ſuffragijs factus eſt Trierarchus, qui ad præliandum pro Chriſti fide proficiſceretur. Itaq; Patauinæ Triremi præfectus,dici non poteſt,quàm egregiam, & excellentem operam nauauerit. Etenim inibi erant immaniſſimi Turcæ, vt vniuerſum Imperium Venetũ occuparent. quid dico Imperium Venetum? immo uero ſi-

mul

mul ditionem,& poteſtatem Hiſpanorum, & Romanorum, qui cum Venetis ad tutandam Remp. Chriſtianam ſanctiſſime conſpirauerant; immo etiam oẽs Chriſtianorum principatus, omnia Regna, omnium gentium, & nationum dominatum: ſuperbiebant immaniſſimi hoſtes, ac proſpera fortuna ſe efferebant, ſingularemq; ferociam, & immanitatem repræſentabant: ex portu Naupacti cum munitiſſima, & numeroſiſſima claſſe non hominibus ſolum terribili, ſed Neptuno quoq; compedes, & cælo tenebras minitante exiuerant, ac nõ minus ſuperbi, inſolenteſq;, quàm ſi iam uictoriam reportaſſent, ludibundi irruerant, ut Chriſtianas claſſes, quæ non procul conſpiciebantur, diriperent, triremes effunderent, immo vero frangerent, incenderent, obruerent, militeſq; atq; imperatores contrucidarent: horribili clamore vndiq; omnia replebant; vndiq; tubarum, timpanorum, buccinarum ſonitu æthera feriebant; undiq; armorum fulgore præſtringebant oculos; vndique ſagittas emittebant; vndiq; ſaxa iaciebant; & ſagittarum, ſaxorumq; fragore turbulentam tempeſtatẽ miſcebant; vndiq; tormentorum militarium tonitruis omnes terrere, horrificiſq; ictibus, quaſi fulminum iactibus omnia diruere, delere, perdere conabantur: cum Patarus Buzacharenus fratribus ſuis comitatus Brunoro, & Auguſtino, alijſq; patritijs Patauinis, fortisſimis, ac ſtrenuiſſimis, nequaquam degenerantibus à bellicoſis Troianis, vnde genus traxerunt, Patauinam Triremem in confertiſſimas Turcarum Triremes cupidus pugnandi, uincendi, in ſuo ipſorum ſanguine natantes hoſtes ſpectandi, perduxit, atq; vna cum ceteris animoſe ac glorioſe præliando ita ſe geſſit, ut maximum partibus ſuis adiumentum, pulcherrimum patriæ ſuæ decus, ſempiternum familiæ ſuæ ornamentum, immortale ſibi ipſi nomen comparauerit. Nam præter ceteras eius res geſtas maxime dignas memoria immortali, præter vulnera excepta, omnia aduerſa, nulla auerſa, præter ſanguinem pro Chriſti fide effuſum; certiſſima, veriſſimaq; habentur teſtimonia, & Sereniſſimi quoq; Venetiarum Principis extant litteræ, quæ apertiſſime teſtantur, Patari opera, & beneficio Caracoſium Archipiratam omnium immaniſſimum, atq; audaciſſimũ, Chriſtianarum claſſium exploratorem aſſiduum, ac vehementem,

cum

cum ea, quam ductabat, munitiſſima Trireme captum eſſe; cuius rei cauſſa ipſe Patarus immortaliter laudatus eſt à ſummis Imperatoribus, Ioanne Auſtrio, M. Antonio Columna, Sebaſtiano Venerio, quorum alterum Romanæ claſſi pro Pio V. Pontifice Max. primum Hiſpanæ pro Philippo Rege Catholico, tertium Venetæ pro Aloyſio Mocenico Venetiarum Principe, Venetaq; Rep. ea tempeſtate præfuiſſe, notiſſimum eſt. O virtutem admirabilem, atq; apud omnes gentes, & nationes deprædicanda. O mirificum in Remp. Venetam, immo in vniuerſam Remp. Chriſtianam beneficium. O fortitudinem ſemper admirandam, ſemper colendam, ſemper celebrandam, quæ nomen Patauinum, & Buzacharenũ reddidit immortale. Hac tanta celebritate famæ mirum profecto non fuit, ſi ſtatim poſt eiuſmodi bellum multis ipſe dignitatis gradibus ab Illuſtriſſ. Senatu Veneto ornatus eſt: ſi gubernator propugnaculorum Allieniaci factus eſt: ſi tempore ſuperioris proximæ peſtilentiæ miſſus eſt Brixiam ad caſtellum cuſtodiendum, quæ poteſtas non niſi patritio Veneto permitti conſueuit: ſi poſtea electus eſt gubernator Tauriſi, & præfectus vniuerſæ militiæ non ſolum Tauriſanæ, ſed ẽt Meſtrinæ, & Baſſanenſi; qđ ipſe munus cũ maxima ſua laude hoc tẽpore obibat. Quas dignitates, vere dignitates, digno viro tributas, & ipſius quoq; meritis inferiores ita adminiſtrauit, vt nihil unq̃ in eo deſideratũ ſit, quod ad illas ſumma cũ fide, prudentia, animi magnitudinẽ, innocentia, atque integritate adminiſtrandas pertinere exiſtimaretur. Tanta uero benignitate ſemper, atq; humanitate uſus eſt erga milites ſibi ſubiectos, & ſuo ductui, atq; imperio commiſſos, ut qui auctoritate ceteris anteſtabat, manſuetudine, & morum facilitate par omnibus, aut etiam inferior uideretur. Quamobrem oẽs milites expetebant ſub tam præſtanti, & benigno duce militare, qui ſe illis non ſæuiſſimum imperatorem, ſed quadam cum grauitate, immo potius granditate amantiſſimum ſocium præbebat: omnes ei libentiſſime parebãt: omnes eius officijs, beneficijsq; obſtringebantur: omnes eũ tamquàm cœlo delapſum intuebantur, atq; admirabantur, omniumq; ſuorum commodorum, parentem, ac prope deũ appellabant, colebant, ueuerabantur. Itaque non ſine cauſſa

omnes

omnes audita eius morte uarijs modis intimos animorum, ſuorum angores aperuerunt: Venetiq; Senatores maximum dolorem conceperunt, quòd quem in tanto bello ad hibitũ ad oẽs maiores dignitates pro Reip. conſeruatione reſeruabant, ſibi morte præreptus ſit. Is .n. propter maximas, clariſſimaſq; uirtutes ſuas, ac ſingularem præſtantiam, & in armorum tractatione excellentiam Illuſtriſsimo Senatui adeo charus erat, ut, qui in hac Rep. omnium gratiſſima uiris fortisſimis, ac fidiſſimis honores propoſiti ſunt, eonſecuturus eſſe omnes ſine dubio uideretur. Quòd ſi tanti uiri iactura uel exteri dolent; quid animi eſſe oportet nobilisſimæ huic ciuitati, & generoſisſimæ familiæ Buzacharenæ, quæ tanto bono priuata eſt? Merito igitur ſquallent omnes, merito lugent omnes, merito fletum omnium triſtiſſimus huius templi habitus comitatur, ut etiam ipſi parietes quodammodo Patari Buzachareni mortem conqueri, & lamentari uideantur. Cum autem uos, ciues Patauini præſtantisſimi, hunc egregium, & præclarum ciuem ueſtrum amiſeritis; cum uos, nobilisſimi Buzachareni, hunc clarisſimum propinquum ueſtrum ex hac uita ſurreptum eſſe doleatis: nolite, obſecro, exiſtimare, male actum cum illo eſſe, qui pro Chriſti fide pugnando, & Chriſtianiſſime uiuendo, ac Chriſtianisſime moriendo ſibi aditum in cœlum parauerat, ac quadrageſimo octauo ætatis ſuæ anno ad globos cœleſtes penetrauit; nolite cogitare extinctum eſſe illud lumen, quod lucebit quotidie magis non ſolum in ſplendore cœleſti, uerum etiam in memoria hominum ſempiterna; proponite uobis ante oculos admirabiles eius uirtutes ad imitandum; pergite, ut facitis, honorem habere ei, qui uos tanto honore affecit; pergite ornatiſſimum ciuem Patauinum ornatisſimi ciues Patauini quotidie magis ornare; pergite pulcherrimum dare poſteris documentum, pro patria, pro honeſtate, pro Dei cultu pugnantibus omne decus tribui, & ornamentum.

Habita Patauij in templo Di. Auguſtini, VI. Id. Ian.
M. D. LXXXI.



POST SVPERIOREM PROXIMAM HABITAM

Orationem eius auctori datum est hoc Priuilegium.

IN NOMINE PRAEPOTENTIS DEI,

Nos Doctus Doctius Eques, Io. Franciſcus Muſaptus, Robertus Trapolinus, Albertus Comes, Sapientes Deputati ad utilia Patauinæ, ciuitatis,

ANTONIO RICCOBONO,

ciui Rhodigino, Legum Doctori, in Florentisſimo Gymnaſio Patauino Humanitatem Profitenti S. D.





EMPER fuit Troiani proprium ſanguinis ius ſuum cum viris virtute pręſtantibus communicare. Itaque Romani cognati noſtri pręclariſſimi, ab Aenea, & Aſcanio, heroibus Troianis, oriundi quàmplurimis gratuito ciuitatem impertiti ſunt, quos

ſine dubio anteferendos eſſe Thebanis, Lacedæmonijs, Athenienſibus, alioquin omnem laudis excellentiam ſuperantibus, qui vel nullos, vel paucos in ius ciuitatis ſuæ admiſiſſe, & hoſpites quoque expuliſſe commemorantur, doctiſſimi homines cenſuerunt. Et Antenor, qui poſt Troiæ excidium cum Aenea in Italiam venit, cum vrbem Patauiū in hac camporum, colliumq; amœnitate condidiſſet, multos ad hāc rerum omnium ubertatem, & copiam concurrentes benigne excipiendo, ciuium ſuorum numerum mirabiliter auxit; cuius præclaris inſtitutis diligētiſſime ſeruandis ſe potuit hæc ciuitas tam multos abhinc annos ab interitu vindicare. Et nos eius, à quo originem trahimus, inſignibus veſtigijs inſiſtendo, tametſi hanc ipſam vrbem laudari audimus rebus quibuſdam, quę fortaſſe nec nobis diſſimulandæ, nec alijs contemnendæ ſunt, originis vetuſtate, viarum commoditate, ædium elegantia, agrorum, & montium fertilitate, fontium, & fluminum pulchritudine, ciuium in armis, & litteris excellentia, publici gymnaſij celebritate, vtriuſq; collegij, tum Iuriſconſultorum, tum Philoſophorum, & Medicorū claritate, quibꝰ quidē rebus iuſto iudicio hæc vrbs cum oībꝰ Italiæ urbibꝰ certare me

rito

rito posse existimatur: tamen, nullam sane laudem maiori studio consectamur, nullumq; decus, atq; ornamentum antiquius habemus, quàm vt ciuitate omnibusq; honoribus virtute præstantes uiros donasse, & decorasse dicamur. Quorum in numero cum esse te maxima tua cum laude nobis notissimum, atq; exploratissimum sit, qui cum in clarissimo Iurisconsultorum collegio Legum Doctor nemine penitus dissentiente declaratus es, &, posteaquàm in locum Francisci Robortelli Vtinensis, uiri clarissimi, ad veterem eloquentiam tum Græcam, tum Latinam in florentissimo Gymnasio tradendam publico Illustrissimorum Venetorum decreto successisti, præstantię tuæ mira dederis documenta; cumq; obseruauerimus, in honestissimis munerib⁹ publice obeundis, & in priuatis quoque collocutionibus fuisse te semper Patauini nominis obseruantissimum, huiusq; urbis præconem eloquentissimum: allatis magnificæ uniuersitati nostræ litteris, quibus suppliciter petebas, ut te in numerum Patauinorum ciuium cooptaremus; næ, ita nos Deus amet, propensam tuam in nos uoluntatem charissimam, & iucundissimam habuimus; statimq; communi omnium consensu, sum

miq; ciuium legitime congregatorum honori tuo libentiſſime ſuffragantium ſtudio, ac prope incredibili uniuerſi populi lętitia, & applauſu, approbantibus id Illuſtriſſimis præſidibus huius magnificę urbis, Aloyſio Grimano Prætore, & Daniele Priolo Præfecto, uiris integerrimis, hodierno die te, quiq; ex te, liberiſq; tuis naſcentur, omnes in numerum ciuium Patauinorũ aſciſcimus, deligimus, aſcribimus, referimus, & aſcitum, delectum, aſcriptum, relatum communi omnium uoce comprobamus, huiuſq. ciuitatis ius, quàm poſſumus, ampliſſimum tibi, poſteriſq. tuis omnibus ex te, liberiſq. tuis orituris concedimus, & impertimur, atq. in Patauinã nobilitatem, ac ciuium, qui in hac urbe orti ſunt, cœtum te cum filijs, nepotibus, & à te deſcẽſuris omnibus recipimus, & aggregamus. Idq. eò libentius facimus, quòd hac in re putamus nos ualde gratificari non ſolum Rhodiginæ ciuitati, quæ cum uoluerit eſſe te inter conſiliarios non ad certum tempus, ſed tôto uitę ſpatio illam magnificam Communitatem gubernantes, lætabitur ciues ſuos à nobis magnifieri: uerum etiam Illuſtriſſimo Senatui Veneto, cuius ditioni ſubiecti ſumus, cuiuſq; in te honorando quaſi

præroga-

prærogatiuam, tūc potissimum datam, cum ad principem ueteris tradendę eloquentiæ in celeberrimo gymnasio locum honestissimo ille te prœmio extulit, facile suffragia nostra, quæ ius ciuitatis tibi dederunt, sunt consecuta; & quia simul in spem certissimam uenimus fore, ut, quemadmodum iurasti, leges omnes, quibus teneris, tibi seruandas existimes; ut iuri Veneto, & Patauino pareas; ut munera obeas, & onera subeas, quæ sunt tibi cum ceteris ciuibus communia; ut pro Serenissima Rep. Veneta, & pro magnifica ciuitate Patauina, cum offeretur occasio, tibi propugnādum putes, atque utriusq; iura, cum per auctoritatem licebit, defendas; ut imperio Veneto, & Patauinę Communitati fidelis sis; ut imminentia ciuibus pericula tollere studeas; ut concordiam inter discordes ciues procures; ut amicis fidem serues; denique ut omnia optimi ciuis officia exequaris, nihilq; omittas eorum, quę Patauino nomine digna esse existimantur. Quamobrem, Antoni Riccobone, ciuis noster nobis charissime, nobiscum gaudebis pleno Pataui iure; omnibusq; priuilegijs, pręrogatiuis, beneficijs, muneribus, qualiacunq;, & quantacunq; nobis ipsis cō cessa sunt, tum in urbe, tum extra urbem, per

frueris

frueris. Quod Reip. Venetæ, & populo Patauino, ac familię tuę bonum, fauſtum, felix, fortunatumq; ſit. Cui noſtro priuilegio, decreto, ſtatuto nemo contradicere, contrauenire, aut aliquid derogare audeat; quiq. aduerſari, repugnare, obſiſtere uiſus fuerit, legum inimicus, aduerſarius, obtrectator habeatur.

Ex Tabulario Patauinæ Communitatis.
V. kal. Febr. M. D. LXXXI.


IN





In Obitu TIBERII DECIANI I. C.

Antonij Riccoboni Oratio.



Agnam calamitatem, Aud. ornatissimi, ex morte Tiberij Deciani, accepimus; magnamq; iacturam in obitu iuriscon sulti tam egregij, atq; eximij nobilissimum fecit gymnasium Patauinum; vt cum eius præsidio priuati simus, cuius singulari sapientia nitebamur, merito mœreamus omnes, merito mœstitiæ nostræ non obscuram significationem demus. Sed in communi omnium luctu ea consolatio est capienda, quòd ipse non solum quotidianis laboribus, atq; assiduis vigilijs suis nominis sibi immortalitatem comparauit: verum etiam vitæ integritate, innocentia, probitate, Christiane viuendo, & Christianissime moriendo, aditum sibi in cœlum patefecit. Equidem hunc communem mœrorem, egregia huius pompa funeris, honestissimo, & frequentissimo hoc uestro concursu declaratum, non possum non omnib. laudibus efferre. Sed quemadmodum, cum Achilles socijs suis narraret, Patroclum amicum suum in quiete sibi visum esse deflentem miseriam suam, & rogantem, vt suum sepulturæ corpus daretur, in eis statim excitata est admirabilis quædam lugendi cupiditas, non sine aliqua iucunditate ex ipsius Patrocli recordatione, & quasi conspectu: sic ego non vereor, ne ex tā

ti viri grata commemoratione vos in tanto omnium dolore illam percepturi ſitis delectationem, quod ipſe ita vixerit, ita mortuus ſit, vt eius rerum geſtarum memoria nunquam intermoritura eſſe, eiuſq; mors immortalem, & felicem ipſi attuliſſe vitam uideatur. Etenim, dum hanc vitam mortalē vixit, tametſi floruit honoribus & abundauit ijs rebus, quæ ſummopere ab hominibus appeti conſueuerunt: felix tamen appellari non potuit, quòd ea ſit huius ipſius vitæ conditio, vt ante obitum neminem nominari beatum merito poſſe recte dixiſſe Solon exiſtimetur. Maxima enim, & plura hominibus mala propoſita ſunt; de quibus non eo animo, eoq; cōſilio nunc eſſe aliquid dicendum arbitror, quo Cyrenaicus Hegeſias dicitur diſputaſſe, qui hanc miſeram vitam ita deflere ſolitus eſt, vt multi eo audito mortem ſibi ipſi conſciuerint, idcircoq; illa ipſa amplius diſputare à Ptolemæo Aegypti Rege prohibitus ſit: ſed cum uobis nec poſſim, nec, ut poſſim, uelim hoc tempore perſuadere, hæc terrena membrorum vincula, has corporis compages, hunc corporeū carcerem, in quo animi incluſi ſunt, iniuſſu Dei eſſe infringendum, ſat habebo, ſi in memoriam veſtram reuocauero in hac uita nullam felicitatis ſpem eſſe ponendam, in qua maximis, atq; innumerabilibus miſerijs, & calamitatibus homo ſubiectus eſt, non ſolum propter aduerſam fortunam, uerum etiā propter corporis morbos, atq; animi perturbationes tot, ac tantas, vt bene cum eis actum eſſe exiſtimari debeat, qui ex his corporibus euolauerint. Fortuna enim multas, atq; ingentes hominibus difficultates, ac moleſtias obijcit; exilia, vincula, egeſtatem, orbitatem, contemptum, odia ad eos agitandos exercet; cumq; interdum opes, honores, imperia permittat, eſt tamen adeo inconſtans, ac volubilis, vt pleraq; eius bona in miſeriam, & calamitatem conuertantur. Quid commemorem multitudinem, & varietatem morborum, qui immenſam prorſus, atq; inexplicabilem dolendi materiam corporibus afferunt humanis? plurimis enim, & maxime varijs ægrotationibus homines conflictantur; vt ſtranguria Epicurus, dyſenteria Polyænus, tabe Nicocles, aqua inter cutem Agathobulus, multiplici febre, multiplici inſania, lethargo, elephantia, nobili illa morborum Regina Podagra, quæ Bacchi, & Vene

ris

ris filia dicitur, alijſq; alij miſerrime excruciati ſunt; neq; ſo
lum multos, magnoſq; dolores hominum corpora ex ſe ſe
colligunt, verum etiam verbera, vulnera, venena, extrinſecus
inferuntur, nulla pene non parte mortifera; & pernicioſi
ſunt morſus ferarum, ac in primis ſerpentium, aſpidis, cera-
ſtæ, dipſadis, chelydri, atq; etiam, ſcorpionis, & phalangij.
Cum autem tot, tantiq; morbi corpus humanum perturbēt,
ne animus quidem vacuus eſt à maximis, plurimiſq; pertur
bationibus, quæ prorſus eum miſerum, atq; infelicem effi-
ciunt. Nam voluptatum illecebræ, dolorum faces, diuitia-
rum ſplendor, obſcura, & contempta paupertas, honorum
ſitis, ignominiæ metus, aliæq; furiæ, & peſtes eum conuellūt,
ac labefactant: eum compellunt in primis, & funditus contur
bant furentis libidinis flatus: in eo ſolet radices agere immē
ſa illa, atq; inexplebilis accumulandarum opum auiditas,
quæ non ſolum inopia, ſed etiam copia incenditur: is inflam
matur facibus illius perturbatricis humanarum rerum, cor-
ruptricis optimi cuiuſq; ingenij, concitatricis bellorum om-
nium ambitionis, quam numquam conſeneſcere, ſed ſemper
in eis, quos ſemel occupauit, uirere doctiſſimi homines cen
ſuerunt. Hic igitur, & alijs tot, tantiſq; malis, quibus ſubie-
cta eſt uita humana, liberatus præcellentiſſimus vir, Tiberius
Decianus, quam felicitatem in hac vita habere non potuit,
ad eam ex Dei optimi maximi uoluntate per mortem perdu
ctus eſt. Neq; enim aliter exiſtimare poſſumus de eo, qui
maximas, clariſſimaſq; uirtutes ex præſtanti patriæ nobilita
te hauſerit, ex liberali parentum inſtitutione arripuerit, ex
præclaris litterarum ſtudijs expreſſerit, ut ad rectum à natu
ra factus, & educatione, ac bonarum artium pertractatione
formatus eſſe omnibus uideretur. Nam originem traxit à
nobiliſſima Carnorum regione, quod Forum Iulium nuncu
pamus, cuius regionis præſtantia ex optimis, & præſtantiſſi-
mis ingenijs, quæ in ea oriuntur, quorumq; maximus nume
rus in hunc ingenuarum artium mercatum quotannis con-
fluit, perſpici facile poteſt; & natus eſt in celebri urbe Vtino,
copioſa, & ad omnem laudem præſtantibus hominibus af-
fluenti; quæ tot uiros in omni genere excellentes protulit, ut
ſi enumerare omnes uelim, hodie finem facturus non ſim;

H inter

inter ceteros aũt produxit duo illa clariſsima earum artiũ, quæ ad Humanitatẽ pertinent, quaſi limina, immo potius lumina, & eloquentiæ flumina, immo vero orationis fulmina, Romulum Amasæum, & Franciſcum Robortellum, quorum ille in celeberrimo Bononienſi gymnaſio, hic & in Bononienſi, & in Patauino principem veteris tradendæ eloquentiæ locum maxima ſua cum laude, ac prope incredibili omnium cum admiratione obtinuit; qui viri litteratisſimi ea doctrinæ documenta dederunt, ea litterarum monumenta reliquerunt, vt clariores, atq; illuſtriores ſint, quàm vt aliquo orationis meæ lumine indigere videautur. Hoc tanto patriæ ſplendore illuſtratus Tiberius Decianus ne familiæ quidem caruit claritate, quæ inter patritias Vtini familias fulget, clariorq; cum ab alijs, tum vero à Tiberij patre Io. Franciſco reddita eſt, viro omni laude cumulato, ciue egregio, legum Doctore eximio. Cumque Tiberius ijs artibus inſtructus, quæ ætatem puerilem ad Humanitatem informãt, annos natus quattuordecim in hoc gymnaſium ſe contuliſſet, eloquentiamq; cum iuris ciuilis, ac pontificij ſcientia per octo annos coniunxiſſet, atque obſcuriſſima Theoremata in patria ſua publice diſputaſſet tanto ingenio, & doctrina, tantaq; dicendi copia, & memoria, vt omnibus eſſet admirationi, ac tandem in clariſſimo Collegio Patauino Iuris vtriuſq; Doctor declaratus eſſet; in patriam redijt, vt eam excellenti conſilio, atq; opera adiuuaret, ſtatimq; adhiberi cœptus eſt ad publica munera obeunda, & præcipuas patriæ ſuæ dignitates adminiſtrauit, deq; rebus grauiſſimis ad Sereniſſimum Venetiarum Principem legatus miſſus eſt; in quibus publicis officijs exequendis eam prudentiam, fidem, diligentiam, integritatem, eloquentiam exercuit, vt omnibus ciuibus ſuis eſſet amabilis, atq; adeo etiam admirabilis. O ciuem optimum, æterno præconio celebrandum. Neq; uero ſolum in ciuium auctoritate, & ſtatu ciuitatis defendendo ſe virum eloquentiſſimum oſtendit; verum ẽt in priuatorũ cauſſis pertractandis: aliquod.n.ipſe tempus amicorum temporibus tranſmiſit, ſummaq; animi, ac corporis contentione in priuatorem periculis caſte, integreq; verſatus eſt, potisſimum Venetijs, vbi ad eum audiendũ tanquàm alterum Demoſthe

nem,

nem, atq; alterum Ciceronem, maximus fiebat hominum cō-cursus; vt non solum optimus ciuis Vtinensis, uerum etiam optimus orator extiterit. Accessit tertium ornamētum, quòd optimum quoq; iudicem se præbuit. Cum.n.eius præstantissima excellentia, & excellentissima præstantia omnibus nota, atq; explorata esset, nemo erat ex Venetis Senatoribus, cui aliqua ciuitas gubernanda committeretur, qui eum sibi assessorem non expeteret. Quamobrem assessor fuit tum Vicetiæ clarissimo viro, Laurentio Venerio, tum in hac urbe ei præstantissimo viro, qui postea factus est S.R.E. Cardinalis, Bernardo Naugerio, tum Veronæ amplissimo viro, Francisco Venerio, ei, qui Venetorum principatū est consecutus: summo enim viro cum summis viris contigit uersari; qui si munus assessoris perpetuo exercere voluisset, cum unus præ ceteris exposceretur, præcipuas omnes Veneto Imperio subiectas ciuitates sine dubio gubernasset. Sed vir ad commune commodum, & vtilitatem natus quartum decus appetebat, eamq; curam habebat infixam in animo sempiternam, vt publicus iuris interpres esset; cūq. interpretis munus in duabus potissimum rebus positum sit, in consilio dando, & in iure explicando, dici non potest, quàm egregie, & admirabiliter vtrumq; præstiterit. Nam cum esset assessor Bernardo Naugerio, deficiente in hoc gymnasio explicatore eius partis iuris, quæ ad crimina dicitur pertinere, huiusmodi onus Tiberius sibi honorifice impositum tam feliciter sustinuit, ut omnes iuris studiosi, qui Patauij erant, ad eum audiendum cōfluerent, eiusq; explicationes tamquàm oracula quædam audirent. Itaq; tunc præclarum specimen dedit futuræ gloriæ suæ. Ex qua publici muneris functione ad exercendum Veronæ iudicium, ut Francisco Venerio gratificaretur, se contulit, ita tamen, vt ei iuris publice interpretandi locus reseruaretur; ac Verona reuersus in locum excellentiss. iurisc. Hieron. Cagnoli tunc mortui ad explicationes iuris ciuilis ordinarias, & matutinas suffectus est, anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, ætatis suæ quadragesimo tertio, cum ortus esset anno millesimo quingentesimo nono. Quam interpretis dignitatem per triginta annos præclarissime gessit, & quidem cum præstantissi

mis collegis gessit; primũ cum clariss. iurisc. comite,& equi te,M.Mantua Benauidio,quem præceptorẽ habuerat, digno mea quidem sententia,qui alteros viuat nonaginta tres ãnos ad commodum,& splendorem honestissimæ domus suæ,atq; aliquo ẽt temporis spatio cum egregio Doctore Franc. Mantica Fori Iulij lumine fulgentiss.: deinde cum summo Iurisc. Iacobo Menochio, qui, quamuis præstantissimus, ei semper cedens amabilem cum eo per decem annos loco secundo cõcursum ꝑꝑ eius dignitatẽ ẽt primis aliorum gymnasiorum locis anteposuit. Principem.n.apud collegas suos locum Decianus obtinuit,præterquàm apud Benauidium; ceterisq; ea demum publici decreti declarõne prælatus est, ut in gradu dignitatis nemo ei par esse posset; atq; eum se perpetuo præbuit,vt ipsum maxima semper iuuenum frequentia cum maxima attentione,atq; admirõne audiuerit,vt ipsum tamquàm cœlo delapsum interpretem oẽs suspexerint, denique vt ipso nullus unquam interpres extitisse gloriosior videatur; à quo prope innumerabiles doctores ꝑꝑ eius maximam auctoritatem,& sapientiæ,atq; eloquentiæ gloriam insignia doctrinæ suae, accipere dignissimum iudicarunt.Quod attinet ad consulendi munus,satis constat,Patauij neminẽ unquàm sæpius, quàm eum fuisse consultum;vt eius domus haberetur huius totius ciuitatis,immo uero totius Italiæ,atq; vniuersi terrarũ orbis celeberrimum oraculum,vnde Principes oẽs,Duces,Reges,Imperatores,Pontifices,nedum inferiores personæ, consilium petebant. Atq; in consulendo ita eum excelluisse compertum est,vt, re ab ipso declarata, melius non quæreretur: cuius excellentiæ amplissima sunt testimonia consiliorum magna volumina ab eo edita; & testis quoq; est Illustriss. Senatus Venetus, qui eum his temporibus honestiss. continuato præmio mille,vt appellant, scutatorum, & quàm dignissimo huius gymn. oblato loco,quem supraordinarium vocant,sibi in iure cõsulentem deligere auebat.O virum præclarissimũ, atq; oĩbus laudibꝰ ornatissimum; merito in alijs clarissimis gymn. & potissimum Bononiensi expetitum , atq; eò etiam summis precibus inuitatum;merito à Pio IIII. Pont. Max.dignum existimatum , qui , si oblatam conditionem accipere voluisset,ad grauissimas Reip. Christianæ caussas Romæ iudican-

dicandas Rotæ Auditor conſtitueretur; merito ab eo, cuius fe licissimo principatu nunc fruimur, Sereniſſ. Venetiarum Principe, Nicolao Pontio, summo litterarum patrono, Equitis dignitate decoratum. Quòd si M. Catoni Censorio ad gloriam fuit insigne, vt tribus summis rebus ornatus existimaretur, & optimus senator, optimus orator, optimus imperator celebraretur: si P. Crasso Mutiano ad famam fuit illuſtre, vt quinq; bonarum rerum maxima, & præcipua habere diceretur, quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentiſſ., quod iurisconsultiſſ., quod Pont. Max.: cur Tiberius Decianus summis laudibus non efferatur, qui optimus ciuis, optimus orator, optimus iudex, optimus iuris interpres cognitus eſt? Accedit ad magna eius decora, & ornamenta, quòd præter scripta quàmplurima, & litterarum monumenta, quæ cum in lucem, & aspectum hominum proferentur, magnum iuris ciuilis ſtudiosis afferent adiumentum, tres etiam filios procreauit ſe ipſo dignissimos; Nicolaum, legum Doctorem excellentiſs. ad regendam Vtinensem ciuitatem sæpius deputatum, grauissimis de caussis ad Serenissimum Venetiarum Principem legatum missum: Io. Franciscum, uirum ornatissimum, ad Vtinensis itidem ciuitatis rectionem sæpe deputatum: Roncadenum, virum optimum, atq; Oeconomicum accuratissimum; qui quidem cum parentis facem sibi prælucentem habeant ad uirtutem, præſtantis quoq; ipsorū naturæ ſtimulis incitati domus suæ dignitatem non modo non imminuunt, sed etiam (quod inter omnes conſtat) quàm maxime amplificant. Hac tanta celebritate famæ cum ad annum ætatis suæ septuagesimum tertium peruenisset, morte quidem sua maximum sui desiderium apud omnes reliquit, ac mœrorem prope incredibilem omnibus attulit: sed egregijs, atq; excellentibus uirtutibus non solum nomen suum reddidisse immortale, uerum etiam in cœlum penetrasse exiſtimatur. Quamobrem, quem dolorem noſtra caussa capimus, eius caussa deponere debemus; cum præsertim in hoc ipso, quod nobis contigit, malo nihil prosint lachrimæ, & squalores, nihil gemitus, & singultus, summaq. ſtultitia sit fruſtra confici mœrore, ubi profici nihil possit. Mortuus certe eſt Tiberius Decianus, si modo mortuus dicendus eſt is, qui in perpe-

tuum

insegna

protettore

memorie

reggimento

e pure

tuum per gloriam uiuere intelligitur. Mortuus, inquam, eſt: at erat mortalis: at tres, & ſeptuaginta annos natus: at plus quàm triginta annos iuris interpretationem cum ſumma gloria profeſſus. Nemo.n. gloriari poteſt in hac uita ſe immortalem eſſe. Nam ut ſis nobiliſſimus, ut antiquiſſimo genere natus, ut præſtantiſſimorum maiorum imaginibus exornatus, ut abundes diuitiis, honoribus, propinquis, amicis, omnibus rebus, quæ ſuauem, & iucundam uitam efficiunt, ut eloquentia ualeas, doctrina polleas, gratia ſplendeas, auctoritate fulgeas, proſpera fortuna omnibus in rebus utaris, ut ſis præfectus, ut conſul, ut dux, ut imperator, deniq; rex, deniq; regum rex: Ire tamen reſtat, Numa quò deuenit, & Ancus. Omnibus enim eſt moriendum, & tam fragilis exiſtit, tam fluxa, tamq. caduca humanæ uitæ conditio, ut merito eam poetæ ſimulachro, pulueri, umbræ ſimilem eſſe dixerint. Quam moriendi conditionem ſapientiſſime animaduerterunt ueteres illi tantopere celebrati, Anaxagoras, Pericles, Xenophon, Puluillus, Cato, Metellus, alii quàmplurimi, qui neceſſariorum ſuorum obitum fortiſſime ferendo pulcherrimum nobis exemplum reliquerunt ad mortē mortalium æquo animo tolerandam. Cum igitur Tiberius Decianus tot, tantiſq; huius uitæ incommodis liberatus ad nominis immortalitatem ſatis diu uixerit, atq; alis innocentiæ, ac probitatis ſuæ ad globos cœleſtes euolaſſe credatur, nullumq; remedium inueniri poſſit, quo nobis reſtituatur; oportet nos in diuina uoluntate acquieſcere, & inſignes, ac præſtantes eius uirtutes pro uiribus imitari, atq; interim meminiſſe, nos eſſe homines, & mortales.

Habita Patauij in Templo Carmelitarum
VI. Id. Febr. M. D. LXXXII.





In Obitu
M. MANTVAE BENAVIDII I. C.
Antonij Riccoboni Oratio.



EST hominum communis opinio, neminem ante hoc tempus in hac ciuitate mortuum esse, qui, cum diu uixerit, diuturniore tamen, & magis perpetua uita dignus esse existimaretur, quàm Marcus Mantua Benauidius; qui tres quidem, & nonaginta uixit annos: sed tantum decus, & ornamentum gymnasio Patauino, iurisperitorum collegio, uniuersæ huic ciuitati afferebat, ut eum sempiternam uitam ducere omnes cō cupiscerent. Quantum autem fuit omnium studium in ciuem Patauinum præclarissimum, iurisconsultum summum, comitem, & equitem magnificentissimum: tantus luctus, ac mœror hac clarissima pompa funeris, atq. hoc nobilissimo hominum concursu est merito declaratus; tantaq; eloquentia requiritur in eo, qui eius præstantes, atq; eximias uirtutes in hoc honestissimo loco, & in hac maxima doctorum, iuuenum studiosorum, ciuium frequentia sit explicaturus. Quam dicendi uim, & copiam, cum fatear à me longe abesse; mestissimi Aud. nihil profecto me miserius, aut laboriosius, aut afflictius fingi posset, qui præclaram uoluntatē uestram, ad M. Mantuam modis omnibus honorandum mirabiliter propensam mea, qui unus ex multis ad eum e-

xornandum delectus sum, infantia impediturus esse uidear; nisi intelligerem, tametsi animus concideret , memoria excidèrent omnia, prætermitterentur illa quàmplurima , quæ minime obscura sunt, quæ patent, quæ ad maximam eius laudem pertinent: satis tamen esse posse , ut uniuerse dicam , omnium, qui fuerunt, qui sunt, qui erunt in hac antiqua, ac celebri urbe, & copiosa, atq; ad omnem laudem præstantissimis hominibus affluenti clarissimum fuisse M. Mantuam. Hoc potest satis esse : in hoc licet concludere orationem meam. Nam, quemadmodum singularia quidem, quæ sunt infinita, fieri non potest, ut scientia comprehendantur, quorum certe ratione & Socrates, & Democritus, & Anaxagoras, & Empedocles recte dixit, nihil perfecte sciri, & ipse Democritus affirmauit ueritatem in profundo demersam esse, & Arcesilas existimauit, ne illud quidem sciri, quod sibi exceperat Socrates; uniuersalia uero, in quibus iubebat Plato sapientiæ studiosos conquiescere , ad scientiam accõmodata sunt: sic singulas quidem M. Mantuæ laudes nulla tanta ingenij facultas, nulla tam singularis industria, nullum tam acre studium , nulla tam accurata diligentia reperitur, quæ non dicam exornare, sed enarrare, pro dignitate possit; uniuerse uero maxima eius decora , atq; ornamenta complecti , cuiq; uel infantissimo licet ; ut mihi quoque satis esse existimandum sit, si summatim dixero , cum plurimi in hac urbe omnibus floruerint temporibus omni uirtute præstantes, M. Mantuam omnium gloriam superasse : qui & ad patriæ suæ claritatem tuendam, atq; augendam natus esse diuino quodam consilio uidetur, & cum satis diu uixerit naturæ, satis diu gloriæ, satis diu quoque huic gymnasio , collegio, ciuitati, diuinitus in cœlum penetrauit; ut, quàm nobis notum, atq; exploratum esse debet , diuina prouidentia omnia fieri, tam recreari, ac refici in communi omnium mœrore nos deceat. Is enim, qui hanc rerum uniuersitatem architectatus, & fabricatus est, Deus, cum omnia intelligat, & omnia uideat, omnia etiam procurat, & moderatur, omnia regit, & gubernat; neq; solum per secundas caussas globos cœlestes impellit, quorum concursionem modo Fati , modo Fortunæ nomine Plato significauit : uerum etiam animos

hominum

hominum afflat; vnde ars contemplandi proficiſcitur, unde ars agendi originem habet,unde tantum & naturæ,& doctrinæ lumen in M.Mantuam profluxit,quantum homini deſiderare fas eſt.Nam,quod idem Plato memoriæ mandauit,præpotentem Iouem per alios ſibi ſubiectos deos animalia omnia ex elementis procreaſſe, per bonos aũt dæmonas , quos recentiores Theologi Angelos nuncuparunt , ipſa animalia rebus omnibus ad vitam neceſſarijs inſtruxiſſe, ita ut Prometheus,qui ſignificat ſuperiorum dæmonum ordinem, homines illuſtrarit, & Epimetheus , qui inferiores dæmonas repræſentat, belluas exornarit; hoc figmento voluit diuinus philoſophus denotare nihil mea quidem ſententia aliud, niſi illam Dei procurationem, quæ M. Mantuam diuino mentis lumine colluſtrauit,iiſq; corporis viribus adornauit , ut ad extremam ſenectutem bene valens , atq; indolens potuerit peruenire . Neq; vero obſcurum eſt , hunc ipſum omnium grauiſſimum philoſophum triplicem diuinam prouidẽtiam cognouiſſe, vnam vniuerſalem, alteram minus vniuerſalem, tertiam ſingularem. Prima enim ſummo Deo tribuitur,qui omnia proſpicit, omnia præbet, nihil ut ſit toto cœlo,terra, mari,quod eius ipſius nutu non feratur,ut idem dederit,idẽ abſtulerit M.Mantuam Deus, cui velle obſiſtere ſuperuacaneum, in quo nolle acquieſcere, ſtultum eſt . Altera in alijs mentibus cœleſtibus conſtituitur,quæ ſingulæ non omnia ſimul munera omnibus , ſed quædam afferre conſueuerunt ; quemadmodum M.Mantuæ Saturnus præſtitit admirabilem iuris Cæſarei, ac Pontificij intelligentiam , Iupiter ſingularẽ agendi virtutem , Mars animoſum in diſputando ardorem, Sol clariſſimam opinandi in legum ſtudio facultatem,Venus honeſtiſſimi cuiuſq; deſiderij motum, Mercurius facillimam iura interpretandi viam,& rationem, Luna corporis ad labores,& vigilias idonei optimam naturam . Tertia pertinet ad bonos dæmonas, qui quædam quibuſdam ſubminiſtrãt, & ſedem, ac domicilium habent partim in igne , partim in aere puro, partim in aere craſſo; ita ut primi conuertant intelligendi facultatem ad diuina, & humana omnia contemplanda,& præſint vitæ,quæ verſatur in contemplando: alteri faueant iraſcendi facultati,& regant vitam,quæ poſita eſt

in agendo: tertij moueant uim concupiſcendi, & dirigant homines ad honeſtas voluptates. Primi igitur boni dæmones M. Mantuam aptiſſimum ad omnem iuris diuini, & humani contemplationem: alteri vehementiſſimum in utroq; iure diſputatorem: tertij minime auarum iuriſconſultũ red diderunt. Itaq; fuit ipſe omnium, qui in hac vrbe vnquam fuerunt, aut futuri ſunt, doctorum diuinis muneribus ornatiſſimus. Neque enim tam admirabilis, ac diuina ingenij præſtantia aliunde emanaſſe, niſi à Deo videtur; qui cum omnino eſſe communi opinione omnibus hominibus innata, & in animis hominum quaſi exculpta comperiatur; quẽadmodum hanc mundi fabricam confecit, quod nobis perſuadet Sol, Luna, ſydera omnia, cœli, & ſignorum ortus, viciſſitudines rerum, atq; ordines, aliaq; admirabilia, quæ non niſi præpotenti Dei manu confici potuiſſe putandum eſt: ſic paruum mundum, qui vocatur homo, ita fabricauit, ut in eo diuina multa appareant; ſicut etiam in huius præcellentiſſimi viri animo diuinitus fulſit tum memoria, & ea infinita rerum innumerabilium, quam propriam eſſe iuriſcõſultorum doctiſſimi homines cenſuerunt, tum in difficillimis quæſtionibus inuentio, atq; excogitatio ueritatis, tum grauis, plenaq; legum doctrina, tum profluens quædam elocutio, abundans idoneis uerbis, accommodatiſq; ſententijs, tum alia quàmplurima, quæ non ſine cœleſti aliquo mentis inſtinctu, nec ſine Deo exiſtere potuerunt. Quamobrem, cũ falſiſſimum ſit illud, quod nonnulli impij philoſophi exiſtimarunt, eum, qui poſſit, ac ſciat, nolle rerum vniuerſitatẽ gubernare; eumq́;, qui facere etiam res minimas grauatus non ſit, earũ negligere gubernationẽ; & cui facilis fuit rerum procreatio, ei difficilem eſſe procurõnem; quiq́; oĩum accuratiſſimus ſit, eum tardiorem eſſe ipſa natura, ipſaq; arte, quæ res omnes tum magnas, tum paruas curant, ac partium uenuſtatem ad totius pulchritudinem diſponunt: profecto bona omnia diuinæ prouidentiæ accepta ſunt referenda, ac pro comperto habendum, hunc perilluſtrem, ac percelebrẽ iuriſconſultum ſine diuino ingenio, & ſine diuina impulſione tam mirabiliter excellere in præclaro legum ſtudio non potuiſſe. Qua maximi viri exornatione vniuerſe habita

conten-

cōtentus esse statueram:sed cum vos videam tam benigno ,
& attento animo ea omnia , quæ dico,audire, tametsi nihil
afferre possum,quod vobis nouum sit, aut antea inauditū :
tamen in tam iucunda vobis clarissimi Doctoris comme-
moratione non desinam amplissimum singularum,& singu-
larium eius laudum campum aliquantisper ingredi, deq; ip-
sius rebus gestis prope innumerabilibus tres præcipuas at
tingere. Non enim mihi consilium accidit antiquissimam ,
ac præstantissimam vrbem Patauium eius patriam ne gen
tium quidem principi Romæ originis vetustate, & ciuium
præstantia concedentem in hac temporis angustia oratio-
ne celebrare,cuius nobilitas,& claritas ita à veteribus scri-
ptoribus expressa est,ita suorum scriptorum excellentia, iu-
riscōsultorum,philosophorum,medicorum,oratorum,poe-
tarum,historicorum,omnis generis litteratorum hominum
gloria,conseruata,atque adeo etiam amplificata, vt nullis te
stimonijs , nullisq; laudibus egere amplius videatur ; quam
multis rebus admirabilem esse,cœli , fontium, fluminumq;
in omnes partes nauigabilium amœnitate, atque opportu-
nitate,agrorum vbertate, collium amœnissimorum varieta-
te,maris vicinitate , nemo est, qui hic adsit,qui non optime
nouerit ; vt plurimis ijs, quæ de hac generosissima urbe di-
ci possent , prætermissis illud dicere satis sit,natum esse M.
Mantuam in urbe Patauio,in qua præstantissimi, & altissi-
ma quadam mente præditi homines nasci,atque honestissi-
me educari consueuerunt; & in ea maiores omnes dignita-
tes singulari sapientia gessisse ; ac pro ea etiam honestissi-
mo legationis munere functum esse tunc,cum Frãcisco Do
nato Serenissimo Venetiarū Principi nomine publico Prin
cipatus dignitatem admirabili eloquentia est gratulatus.Nec
statui in nobili eius familia exornanda,& nobilibus viris,qui
in ea floruerunt, commemorandis versari;non solum,ne sim
longior,quàm locus,& ratio temporis postulet : verum etiã
ne propriæ eius laudes, quæ plurimæ,ac innumerabiles oc-
currunt, mihi deesse ad dicendum videantur. Quamobrem,
vt cœperam dicere, tria potissimum in memoriam vestram
reuoco,& uobis consideranda, atq; admiranda propono;pri
mum quæ munera sane egregia,& præclara in hoc celeber-

rimo gymnaſio ſexaginta annorum ſpatio obiuerit: deinde vero quibus dignitatibus propter ſingularem animi, atq; ingenii ſui præſtantiam ornatus fuerit: poſtremo quantopere eſſe vtilis legum ſtudioſis multorum etiam librorum,& voluminum conſcriptione, atq; editione ſtuduerit,& conatus ſit; ex quibus apparere facillime poteſt,eum mirabiliter floruiſſe,in ſummo honore vixiſſe, ſibi nominis immortalitatem quotidianis laboribus,atq; aſſiduis vigilijs comparaſſe, maxime dignum fuiſſe,qui maximarum,& clariſſimarum virtutũ ſplendore in cœlum euolaret. Etenim parente natus Petro Mantua, Medico celebri,& viro probo, poſt earum artium ſtudium, quæ ad Humanitatem pertinent,quibus ſemper eſt mirabiliter delectatus,cum ad utrumq; ius Cæſareum,& Pôtificium animum appuliſſet, breui temporis ſpatio in eo ita excellere exiſtimatus eſt, vt facillimum ei fuerit, non ſolum Doctoris inſignia conſequi ætate annorum vnius,& viginti, & in iuris conſultorum collegium cooptari, ingenti applauſu,& lætitia bonorum; non ſolum cum magna ſua laude adhiberi ad criminum cauſſas pertractandas,& defendendas,in quibus excellentem gloriam adeptus eſt; eamq; eloquentiã adhibuit, vt non nullis quoq; ad ſummum ſupplicium damnatis pepererit vitæ incolumitatem: verum etiam ad dignitatem extolli ius ipſum publice interpretandi. Hic non dicã, quos ſtudioſorum concurſus habuerit ita,vt referta eius ſchola auditoribus facile aliarum ſcholarum, & aliorum doctorum eadem hora profitentium ſubſellia nudarentur;,quantas admirationes, quantos applauſus,quanta ſuarum laudum præconia, cum leges interpretaretur,excitarit; quos progreſſus,& curſus fecerit ad celebrem famam,cum eum præceptorem habere ſexaginta annorum ſpatio ſibi glorioſum duxerint ex omnibus gentibus,& nationibus tot legum ſtudioſi, tot viri illuſtres, tot Epiſcopi, tot Cardinales, in quibus ẽt fuit is, qui poſtea factus eſt S.R.E.Illuſtriſſimus Cardinalis, Tridentinus,& Illuſtriſſimus Cardinalis Carafa,& alij clariſſimis dignitatibus præfulgentes, quos omnes enumerare, & nominare longiſſimum eſſet. Tantum non tacebo ſingulari omnium iuris vtriuſq; ſtudioſorum, qui eum audire potuerunt, utilitate,ac prope incredibili auditorum concurſu, at-

tentione,

tentione, admiratione, Illustrissimi Senatus Veneti decreto in hoc præclarissimo gymnasio interpretem fuisse; primum Institutionum Iustiniani Imperatoris cum eiusdem muneris collega præstantissimo Nicolao Ianotio Patauino, eo, quem Serenissimus Vrbini Dux consiliarium, & religiosissimus Foroliuiensis Episcopus parentem habuit: deinde sexti voluminis iuris Canonici cum Ludouico Gometio Hispano, eo, qui Romæ fuit postea, vt appellant, Rotæ Auditor, cuiusq; monumenta extant litterarum præclarissima: præterea iuris ciuilis cum Vincentio Dallochio Bononiensi, & Aloysio Descaltio Patauino, egregijs iurisconsultis: inde iuris canonici cum Baldassare Cardutio Florentino, eoq; ex hac vrbe profecto, cum Bernardino Claricino Bononiēsi, vtroq; doctore eximio: rursus iuris ciuilis cum Franc. Curtio Papiensi, viro excellentiss. cum Io. Antonio Rubeo Alexādrino, legum explicatore clarissimo, cum Hieron. Cagnolo Vercellēsi, interprete subtilissimo, cum Tiberio Deciano Vtinensi, summo legum magistro, ac prope deo: rursus iuris canonici stipendij loco habens octingentos, ut uocant, Florenos, id est maius omnino præmium, quàm alij unquam huius gymnasij Doctores in iure canonico interpretando habuisse feruntur. Quo temporis spatio, ut omittam maximum eorum numerum, qui ab eo Doctoris insignia in celeberrimo iurisconsultorum collegio accipere uoluerunt; ut taceam admirabilem eorum frequentiam, qui eum tamquàm alterum Apollinem de rebus grauissimis consuluerunt; ingentes diuitias honestissime comparauit, ut sexaginta annis plusquàm sexaginta millia scutatorum, dico iterum, scutatorum plusquàm sexaginta millia lucratus esse comperiatur. O singularem hominis industriam, unde magnificentissimæ ædes, unde locupletissimum musæum, antiquis signis, & operibus ex ipsa antiquitate petitis, ac rebus preciosis refertissimum, unde horti amœnissimi, unde egregia in pauperes liberalitas, quibus eum fuisse munificentissimum etiam parietes huius templi ab eo propter uicinitatem frequentati testari uidentur, unde alia decora, & ornamenta proficisci potuerunt. Ite uos, qui philosophiam iuris studio ea contentione anteponitis, ut iurisconsultos à philosophis disiungatis, qua

si inter

da Pavia

studio, galleria

liberalità

ſi inter omnes facultates libero homine dignas inenodabile fœdus non ſit, ac legum diſciplina non habeatur eius philoſophiæ, quæ in agendo uerſatur, pars nobilisſima, & , ut Ariſtotelis uoce utar, architectonica; ite, inquam , & philoſophorum lucrum cum iuris conſultorum honeſtisſimo lucro conferte; ac tandem aliquando iuris magnificentia cum philoſophiæ inopia comparata deſinite nobis (meam enim ſimul cauſſam ago) maledicere; nec ꝓpter leguleios aliquos, propter corruptam in aliquibus legum diſciplinam, propter barbariem à recentioribus in iuris prudentiam, quemadmodum etiam in philoſophiæ ſtudium inuectam, diuinam legũ maieſtatem lædere nolitis. Partis igitur excellenti doctrina ſummis M. Mantua opibus inter alia multa, quæ magnificentisſime confecit, ſuum, ut modo dicebam, muſæum mirabiliter adornauit, ita ut etiam in ſummis principibus prope incredibilem eius emendi excitarit cupiditatem, & præcipue in Galliæ Rege Chriſtianisſimo, cuius nomine Gallis quibuſdam nobilisſimis ipſum emere cupientibus, etiam me præſente, audiente, & rem uerbis illorum procurante, non ſe uenditurum eiuſmodi muſæum tanto Regi, ſed donaturũ profeſſus eſt, quod negotium ut cum præſtanti eius dignitate tractatum: ſic illis Regis ſui mandata tranſgredi recuſantibus non ſine magna gratiarum actione diſſolutum eſt. Hac tanta celebritate famæ nullum erat publicum gymnaſium, nulla gens, & natio, quæ eum ſummopere non expeteret; immo & ipſa gentium, ac nationum omnium princeps Roma ipſum ad dignitates ſuas inuitauit. Neque enim ſolum nobilisſimi Bononienſes honeſtisſima, atque amplisſima præmia ei propoſuerunt, ut in ſuum clarisſimum gymnaſium eum adducerent; non ſolum magnus Rex Luſitaniæ eundem accerſendum curauit: uerum etiam Paullus iij Pontifex Maximus, & ſapientisſimus inter Rotæ auditores habere concupiuit; qui tamen, ut gratisſimum animum Venetis principibus, à quibus fuerat ornatus, oſtenderet, patriamq; ſuam, qua nihil unquam charius habuit, deſerere ne uideretur, huius gymnaſij ſplendorem ceteris dignitatibus, & commodis, quamuis maximis, & plurimis, antepoſuit. In quo gymnaſio tandem, tamquàm miles emeritus, interpretis locum,

eum, quem ſupraordinarium nominant,cum facultate uel profitendi,uel non profitendi arbitrio ſuo,nouo inter Patauinos ciues exemplo, eſt conſecutus; cumq; ex diuturno ſexaginta annorum, quibus profeſſus eſt, ſpatio ter comes palatinus haberi poſſet (ſingulos enim viginti annos ius tribuere Comitis Palatini notum eſt) tamen etiam comes, & eques ampliſſimis priuilegijs à ſummis Principibus eſt factus,& declaratus; primum à Carolo V. maximo Imperatore anno Chriſti milleſimo quingẽteſimo quadrageſimo quincto: deinde à Ferdinando, maximo item Imperatore anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo: denique à Pio IIII. max. Pont. anno milleſimo quingent. ſexageſimo quarto;tantamq; auctoritatem adeptus eſt, vt multi ẽt principes eũ viſere non dubitarint;& eo ipſo anno,quem ſanctũ appellant, cũ in extrema ætate non ſine ingenti periculo Romam proficiſci poſſe uideretur,Gregorius xiij.Pontifex ſummus diuinum beneficium ei ſponte impertitus ſit, ita ut ipſum haberet,perinde ac ſi ipſe Romæ adeſſe potuiſſet.O uirum uel ſummis principibus gratioſisſimum,uere dignum, qui ſexies comes,& eques,ter ex iure,ter uero etiam ex Principũ facto haberetur.Taceo quàm plurimos illos, qui Doctoris in iure canonico ornamenta priuatim ab eo, tamquàm ab illuſtrisſimo Comite,& magnificentisſimo Equite deſumpſerunt. Taceo alia conſulto,quòd certos mihi terminos præſcripſerim,quòdq;, cum de uarijs interpretandi muneribus, deq; uarijs dignitatibus M.Mantuæ iam dixerim, tertium, quod mihi propoſueram, nunc breuiter complecti debeã, ut uobis ſtrictim exponam,quantos labores,quantasq; uir nunquam defeſſus uigilias ſuſceperit in multis operibus cõficiendis,& libris,ac uoluminibus conſcribendis. Quorum editorum,& edendorum numerus, & magnitudo ea eſt, ut eum publice occupatum potuiſſe tam multa ſcribere uix veriſimile eſſe uideatur. Quod enim de M.Terentio Varrone dictum eſt,idem dici de M.Mantua Benauidio poteſt, eum tam multa legiſſe,ut ei uacaſſe aliquid ſcribere, mirum ſit; eum tam multa ſcripſiſſe, quàm multa uix quenquam potuiſſe legere,credendum ſit.Et quiſquàm erit,qui honeſtiſſimum tot, tantorumq; operum conatum,ac flagrantiſſimũ

iuuan-

iuuandi præclara litterarum ſtudia deſiderium reprehende re audeat, & non potius magnis laudibus efferat? Quid pro feram variorum operũ inſcriptiones, uarios tum in ius Cæ ſareum, tum in Pontificium commentarios, Collectanea, Cõ ſilia, Scholia, Apophthegmata, Problemata, Dialogos, Enchi ridia, Epitomas, Centurias, Orationes, Epiſtolas, & id genus alia quàmplurima, partim edita, partim edenda, quæ vix enu merari, nedum ſingillatim exornari poſſunt? Quamobrem Benauidium propter immortales animi virtutes immortali corpore dignum fuiſſe, conſtans hominum eſt opinio: ſed id, Aud. etiam ſi in quibuſdam eſſe optabile arbitramur, humana tamen conditio non patitur. Natus eſt enim homo, præclarum animal, plenum rationis, plenum conſilij, qui ceteris omnibus animantibus imperaret, omnes terræ partes perluſtraret, omnia maria nauigaret, innumerabiles rerum formas, quæ in his elementis oriuntur, cognoſceret, in cœlum uſq; cogitatione, & contemplatione penetraret: ea tamen conditione, ea lege, vt moreretur. Quòd, ſi in hac uita immortales eſſemus, quid nobis miſerius, ac calamitoſius fingi poſſet, quos perpetui huius ipſius vitæ fluctus, & turbi nes agitarent, continui animorum errores, immo terrores, continuæ perturbationes, immo euerſiones opprimerent, aſ ſidua mala, & incommoda conflictarent? At erat Benauidius huius ciuitatis ſplendor, quo extincto non poſſunt omnes non valde dolere. Laudo Aud. laudo hanc ueſtram in uirum clariſſimum animorum propenſionem, vel potius pietatem; neq; hunc communem mœrorem ullo modo impro bo, quòd non ferrei, non ſaxei, non ex quercu, non ex ſilice nati ſimus: ſed illud unum contendo, in diuina uoluntate eſſe acquieſcendum; dolorem noſtrum immortali huius uiri gloria leniendum, qui ſatis diu publicum interpretandi munus obiuit, ſatis diu huius vitæ honoribus perfrui viſus eſt, ſatis diu in litterarum monumentis componendis laborauit, & vigilauit, vt nominis immortalitatem compararet; dolore depoſito egregias eius virtutes imitandas; ipſius memoriam beneuolentia colendam ſempiterna; eiuſdem propinquos conſolandos, quòd ipſe ſatis multos annos vixerit, qui fuerunt, ut initio dicebam, tres, & nonaginta, quòd chri

ſtia-

ſtianiſſime mortuus ſit, ita ut iñ cœlum ſine dubio aſcendiſ ſe exiſtimetur, quòd eius clariſſimum nomen nulla vnquam obſcuratura ſit obliuio, quòd ipſius laudes prædicent omnes, ipſum omnes magna veneratione colant; ipſi tamquàm cui dam deo quaſi ſacra faciant, & animos conſecrent. Id quod ego quoq; cum ceteris facio, atq; ita facio, vt cum clara etiam diuini numinis, quod in hoc auguſtiſſimo templo ſanctiſſime veneramur, conteſtatione pollicear, me ſemper inter eos, qui M. Mantuæ Benauidij, ciuis Patauini oĩum maximi, iuriſconſulti omnium clariſſimi, comitis, & equitis omnium illuſtriſſimi, & magnificentiſſimi, laudes celebrabunt, appetiturum eſſe principatum.

Habita Patauij in Templo Eremitarum Pridie Non. Apr. M.D.LXXXII.





In Obitu BERNARDINI TRIVISANI, PHILOSOPHI, ac Medici,

Antonij Riccoboni Oratio.



CVM mortem Bernardini Triuiſani, præſtantiſſimi Philoſophi, ac Medici, mirum in modum omnes lugeāt & ob grauiſſimum, quod ex ea nobis accidit, malum nemo noſtrum prorſus reperiatur, quin ualde mœreat, confectaq; ciuitas dolore ſit, ſqualleat collegium, affligetur gymnaſium Patauinum, ex omnibus deniq; gentibus, & nationibus lectiſſimi iuuenes, qui ad hunc celeberrimum optimarum artium mercatum confluxerunt, tam beneficum, tam benignū, tam præſtantē doctorem deſiderent: laudo, laudo vos, Aud. quòd gratiſſimis animis proſequamini nomen clariſſimi viri: ſed, quidquid rerum externarum nobis vel accedit, vel decedit, illud firme ſeruandum, Ne quid nimis, vt nec nimis lætemur proſpero rerum ſucceſſu, nec nimis doleamus ad-

uerſo:

uerſo:animiq; noſtri conuertendi ad vetus illud Athenarum inſtitutum, vt virtute præſtantibus viris non ſolum rebus, ſed etiam verbis in funere ſatis fiat: præclariſq; actionibus præclarum laborum præmium tribuendum, ut in bene morata, & bene inſtituta decet ciuitate, propterea quòd honeſta laus non ſolum illis,quibus tribuitur,ad gloriam illuſtris eſt, ut ipſorum memoria etiam poſt mortem excolatur, uerum etiam ſuperſtitibus omnibus ad honeſtas actiones, & laudabilem imitationem ſtimulos quaſi quoſdam affert, ac eſſe ſolet uirtutis fax, ſiue cos, ad eam ſiue inflammandam, ſiue exacuendam. Quod inſtitutum in alijs honeſtiſſimis ciuitatibus retentum, & in hac generoſiſſima, omniſq; uirtutis æmula, atq; imitatrice perpetuo cuſtoditum, merito debuit obſeruari in obitu huius præcellentiſſimi uiri,ut in hoc eius uirtutibus congruentiſſimo funere, præter hunc maximum doctorum, ſtudioſorum iuuenum, ciuium Patauinorum, omnium generum, atq; ordinum concurſum, præter hunc funebrem, & lugubrem apparatum, præter hunc cõmunis mœroris publice datam ſignificationem,cuius decori, atq; ornamento rebus alijs abunde ſatisfactum eſſet,eidẽ oratione ſatisfieret. Id quod cum mihi mandatum ſit, cũq; intelligam me in eo argumento uerſari oportere,quod omnem ſuperat laudis excellentiam, ueſtra benignitate confido, benigniſſimi Aud. uos in hoc ampliſſimo rerum dicendarum campo nihil à me amplius quidquam, quàm quod ingenij, atq; induſtriæ meæ mediocritas ferre queat, eſſe deſideraturos. Neque uero expectetis, dum plura recenſeam de hac urbe eius patria nobiliſſima tantopere,& tam ſæpe à me non ſolum ex antiquiſſima origine Troiana, uerum etiam ex florentiſſimo gymnaſio, ex clariſſimis collegijs, ex præſtantiſſimis ciuibus, alijſq; rebus quàmplurimis celebrata. Nec multa dicenda ſunt de nobili Triuiſanorum familia;in qua plurimi ſemper maxima virtute præſtantes floruerunt; atq; inter ceteros maxime illuſtris fuit Nicolaus Triuiſanus, ſummus I. C. & Epiſcopus Cenetenſis omni reuerentia,atq; obſeruantia digniſſimus, qui poſteaquàm annos viginti maxima ſua cum laude, ac prope incredibili eorum,quibus ſanctiſſime præerat, cum vtilitate Epiſcopatum adminiſtrauit,

frate cugino

tenuntiata ſacra dignitate Richardi fratris ſui patruelis Equi ris filio, eximio Iuriſconſulto, cui Petri nomen fuit, anno Chriſti nonageſimo octauo ſupra milleſimum, & quadringenteſimum, morte ſua admirabile ſui deſiderium reliquit. Neque vero parum claritatis habuit Marcus eiuſdem Richardi filius, Doctor præcellentiſſimus, is, qui cum alijs egregijs laudibus fuerit ornatiſſimus, in eo tamen fuit præcipue laudandus, quòd tot præclara ingeniorum, atq; animorum lumina ediderit; familiamq; ſuam reddiderit veluti ampliſſimum omnis doctrinæ, omniſq; probitatis ſeminarium. Nã, vt alios multos prætermittam huius familiæ præſtantes heroas, in quibus etiam nunc ſplendet Benedictus, Eques magnificentiſſimus, & altiſſima mente præditus: ex ipſo Marco ſeptem orti ſunt præſtantiſſimi viri, atq; ex his quinq; doctores præcellentiſſimi. Primus Petrus, maximus iuriſconſultus, orator diſertiſſimus, legationis munere pro hac clariſſima ciuitate quàm ſepiſſime functus, inter ſapientes ad Patauij vtilia Deputatos cum maxima ſua laude perſæpe uerſatus, pater iuuenum egregiis animi bonis, & multis laudibꝰ ornatiſſimorum, tum Marci iam Doctoris excellentis, atq; in Iuſtiniani Inſtitutionibꝰ publice explicãdis excellenter ſe gerentis, q aui nomen, & virtutes mirabiliter repræſentat: tum Nicolai, admirabilem curſum, atq; progresſionem facientis ad Medicinæ excellentiam, ut magnus Medicus futurus eſſe uideatur: tum Roberti uere generoſo animo præſtantis. Alter Franciſcus, uir innocentisſimus, ac probiſſimus. Tertius is, cuius exequias nũc celebramus, Bernardinus, egregius philoſophus, atq; eximius Medicus. Quartus Richardus, ureconſultus clariſſimus, qui quidem in compluribus Venetæ Reip. urbibus maiora magna cum laude iudicia exercuit, Bergomo, Ciuidali Beluniano, Brixia, Crema, iterum Ciuidali Beluniano, Vtino, iterum Brixia, unde nunc non minori certe gloria magnis uirtutibus parta, quàm dolore ex morte clariſſimi fratris concepto reuerſus eſt. Quinctus Vincẽtius presbyter incorruptis moribus, & bonitate clariſſimus. Sextus Philippus I.V. Doctor inter Reuerendos Patres Ieſuitas omnis probitatis, modeſtiæ, integritatis, prudentiæ ſpecimen, & exemplar. Septimus Triuiſanus, philoſophiæ, ac Medicinæ

dicinæ Doctor præclarus,amabili prorſus ingenuitate,ac doctrina exornatus.Conſtat igitur Triuiſanum genus eruditione, ac probitate fertiliſſimum eſſe; in quo inſigniter enituit is, cuius excellens præſtantia meam nunc ad ſe trahit orationem. Ac, quemadmodum quidem ad eum exornandum non omnes patriæ laudes, nec omnia Triuiſanorum encomia in hac temporis anguſtia mihi colligenda exiſtimaui: ſic ne omnes quidem eius res geſtas perſequar, ne ipſe eò redigar, unde egredi nequeam:ſed unam, atq; alteram attingam,ex cuius nihilominus amplitudine facillime eius amplitudo appareat. Sat enim habebo commemorare, ipſum fuiſſe Medicæ facultatis Interpretem præclariſſimum, ac Medicum ſine dubio præcellentisſimum, ad hominum commoda,atq; utilitates diuinitus natum, ita ut eo nihil eſſet non ſolum doctius,atq; eruditius,uerum etiam diligentius,laborioſius,exercitatius. Egregie. Vt enim quiſque uirtute præſtantiſſimus eſt: ita maximis in laboribus,ac uigilijs uerſari conſueuit. Nam Deus, quam præſtantibus uiris dederit præſtantem uirtutem,deſidere otioſam non patitur; idcircoq; ei offert, quibus ſe exerceat,occaſiones; quoſq; magis amat, & chariores habet, eos magis omni laborum,ac uigiliarũ genere in hac mortali uita exercet, ut habeat, quod poſt ipſorum mortem in eis remuneretur. Nemini autem eſt dubitãdum,quod doctiſſimi homines optime iudicarũt, omnibus ijs,quorum diligenti opera genus humanum fuerit conſeruatum,adiutum, auctum, in cœlum aditum eſſe, ubi ſempiterna beatitudine perfruantur: propterea quòd nihil eſt illi Principi Deo, qui cœlum, terram, mariaq; & quidquid in eis continetur,regit,atq; gubernat, quod quidem inter homines fieri acceptius uideatur,quàm ut hominum commoda procurentur. Ac inter ceteros quidem,qui in hominum genus benefici eſſe comperiuntur, præcipui ſemper fuerunt excellentiſſimi medici. Neque uero loquor de Medicis Medicorum nomine parum dignis: ſed de illis prope diuinis, omniq; laude ornatiſſimis, quibus hæc ciuitas fuit ſemper affluentisſima, Paternis,Mercurialibus,Capiuacceis,aliiſq; huius ordinis Clariſſimis, in quorum inſigni numero maximie floruiſſe Bernardinum Triuiſanum ſatis

conſtat.

conſtat. Neque enim peſſimum illorum factum ſecutus eſt qui paucis quibuſdam cognitis præceptionibus,& remediorum,ut ipſi appellant, receptionibus,quattuor,uel ſex mentium ſpatio,uix ſcientijs de limine ſalutatis, ſe Medicos eſſe egregios profitentur,& ſine ulla Dialecticæ,ac Philoſophiæ cognitione,bonarumq; litterarum notitia ſe tamquàm bonos Medicos uenditant: ſed in præclaris litterarum ſtudijs diu, multumq. uerſatus mirabilem curſum,atq; progresſionem fecit ad ſapientiæ excellentiam. Cum autem duplex ſit ſapientia, una uniuerſalis, quæ res tum diuinas,tum humanas cognoſcit: altera ſingularis, quæ eſt ſumma alicuius artis,& facultatis cognitio;in omnibus quidem Sapientiæ partibus,ac omni doctrinæ genere Bernardinus Triuiſanus excelluit:ſed præcipue in Medica ſcientia;quam quidem Dei, & naturæ adminiſtram eſſe, doctiſſimi homines tradiderũt; ſiquidem ſanitatis auctorem Deum, Dei inſtrumentum naturam, utriuſque miniſtrum Medicum appellarunt. Cuius quidem ſcientiæ præſtantia , cum ex ijs, qui eam profeſſi ſunt, ſatis intelligi poteſt, etiam Regibus, etiam , ut Theologi loquuntur,Archangelis,etiam diuinitate quadam præditis uiris,quibus diuinos honores eſſe habitos compertum eſt: tum uero ex præſtantia finis perſpicitur,quem ipſa propoſitum habet, quo nihil gratius,nihil acceptius, nihil optabilius humano generi à Deo immortali dari potuiſſe exiſtimatur. Quamobrem recte Pyrrhus Epirotarum Rex, cum in templis Deos coleret, non amplitudinem Regni,non uictoriam de hoſtibus, non diuitias, non alia huiuſmodi,quæ alij optare conſueuerunt,ſed ſolum ſanitatem ab eis precabatur, qua bene conſtituta ſperabat fore,ut cetera omnia ſibi proſpere poſſent , atq; feliciter euenire. Quò reſpexiſſe præclarum Socratis uotum uidetur in Phœdro Platonis in hanc ſententiam conceptum; Amice Pan, ceteriq; indigetes Dij, datote mihi, vt intus pulcher efficiar ; &, quæcunque extrinſecus habeo, internis ſint amica : ſolum ſapientem diuitem eſſe rear; tantumq; mihi auri ſit , quantum nec ferre, nec ducere queat quiſquam,niſi vir temperans. Id eſt, ut nobis ſic liceat interpretari , Concedat mihi diuina Maieſtas , vt interna ſint ſana; quæcunque autem extrinſecus ſunt,in-

terna

terna non corrumpant, quæ vera est sanitas corporis: quod uero attinet ad animi sanitatem, neminem existimem diuitem, nisi sapientem; tantumq; auri habeam, quantum satis sit homini temperanti. Hanc igitur præclaram sciẽtiã suis ipsius studijs tamquàm finem proponens, ad eam sibi facillimum aditum parauit per Dialecticæ, ac Philosophiæ cognitionem; tantumq; profecit, vt annos natus vix octodecim, anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, nondum doctoris insignia consecutus, propter summum ingenium, ac singularem industriam suam dignus habitus sit, qui in vrbe Salerno Logicam facultatem publice explicaret; quod ipse munus cum maxima sua laude, atq; admirabili studiosæ iuuentutis concursu aliquandiu obiuit. Postea uero in hac nobilissima vrbe patria sua Philosophiæ, ac Medicinæ Doctor summo clarissimi Collegij consensu, atq; ingenti oĩum applausu anno quadragesimo septimo supra millesimũ, & quingentesimũ est declaratus. Paulloq; post Logicæ in hoc florentiss. Gymn. explicandæ publico decreto præpositus; in quo quidem ita se gessit, vt in nemine vnquam maius ingenij acumen, Dialecticorũ propriũ, maiusq; animi lumen apparuerit. Deinceps pp maximam excellẽtiam suam factus, ut appellant, simplicium medicamentorum Interpres, magna commendatus doctrina, non sola herbarũ experientia, & plantarum nomenclatione, etiam hortulanis, & nonnullis cyclicis communi. Inde electus Medicinæ Theoricæ extraordinarius explicator; quem quidem locum duodecim annos cum ingenti nominis sui prædicatione obtinuit. Postremo delectus Medicinæ Theoricæ ordinarius explanator, qui ad studiosorum utilitates, & commoda cum Bernardino Paterno eorum, qui Galeni doctrinam profitentur coryphæo concurreret, quemadmodum non sine magna doctrinæ, benignitatisq; in omnes studiosos laude diu fecit. O uirum præstantissimum, ad splendorem, & dignitatem natum. Mitto eum in ornatissima Eleuatorum Academia, quæ Patauij floruit, cum clarissimo Doctore, & magnificentissimo Equite, Sperone Speronio inter nostrorum temporũ litteratos lumine fulgentissimo, cum Bernardino Tomitano, uiro exquisitæ litteraturæ, cum alijs immortalitati ingenijs

consecra-

cõſecratis egregiam operam nauaſſe, dum in ea Mathemati cas diſciplinas acutiſſime interpretaretur. Mitto eum præter plurimas Principũ, Baronum, Comitum, omnis generis hominum, excellentem eius operam expetentium curationes, adhibitum quoque fuiſſe Medicum ordinarium ad curandas multas huius vrbis vniuerſitates, & monaſteria, ut Di. Iuſtinæ, Di. Petri, Beatæ Helenæ, Miſericordiæ, Di. Mathiæ, Di. Matthæi, Di. Sophiæ, Di. Bernardini, Di. Antonij Viẽnenſis, Di. Danielis, Domus Dei, & ad veſtram etiam ipſarum curationem, Di. Stephani Virgines Sacratiſſimæ, quæ quidem eius præſtantiam, & excellentiam tam ſæpe cum maximo veſtro commodo, atq; adiumento expertæ fuiſtis. Dicite igitur vos, quæ optimum, & amplisſimum de ipſo teſtimonium ferre poteſtis, quantum laborem, quantam aſſiduitatem, quantam diligentiam, quantam fidem, conſtantiam, doctrinam, ſtudium, ac prope diuinitatem ad curandum adhibere vir præſtantiſſimus ſolitus ſit, hancq; gratorũ animorum ſignificationem date ut Medici optime de uobis meriti, tamquàm parentis ueſtri, memoriam ueriſſimis, ac nobiliſſimis ueſtris uocibus ſempiternam reddatis. Mitto eius integritatem, probitatem, manſuetudinem, affabilitatem, innocentiſſimos, optimos, ſuauiſſimos mores. Mitto eius præclarum in deligendo genero iudicium, Hercule Saxonia, Philoſophiæ, ac Medicinæ Doctore præcellentiſſimo, qui quidem ea doctrinæ in Clariſſimo huius urbis gymnaſio, & generoſisſimæ huius ciuitatis curatione documenta dedit, ut ad quantumuis magna explicandæ Medicinæ munera, & quantumuis magnas, ac periculoſas hominum curationes adhiberi merito poſſe uideatur. Mitto alia eius decora, & ornamenta longe clariora, quàm ut ullo indigeant lumine orationis; & idcirco mitto, quia ſi omnia, quæcunque nunc mihi in mentẽ ueniunt, exprimere uerbis uellem, dies, uox, latera me deficerent. Quamobrem uela complicabo orationis meæ, illud unum addens, ſi hæc noſtra, quæ dicitur uita, uera uita eſt, Bernardinum Triuiſanum digniſſimum fuiſſe, qui diutius uiueret: ſi uero hæc ipſa uita tot miſerijs, & calamitatibus oppreſſa, tamquàm uentis aduerſiſſimis, & fluctibus uehementiſſimis agitata potius mors eſt, atq; illi

ipſi,

ipſi,qui mortui uidentur, uere uiuunt,cum ex his membrorum uinculis, & corporum compagibus in cœlum euolarunt; melius profectò cum eo eſſe actum , qui , cum omnis integritatis, innocentiæ,pietatis,modeſtiæ,probitatis,uirtutis cultor fuerit,& ſexaginta annos Chriſtianisſime uixerit, ac pridie Natalis ſui (heſternus enim dies fuit Natalis eius) Chriſtianiſſime mortuus ſit: ad ſydera, ut conſtanter nobis perſuadere debemus , penetrauit ; receptuſq; eſt in cœtum beatorum , ubi cœleſtis fructum beatitudinis percipiat ſempiternum. Quamobrem eius quidem cauſſa dolendum non eſt, cui tantum boni eueniſſe exiſtimamus: ſed noſtra fortaſſe cauſſa dolor habendus , qui tam excellenti bono priuati ſumus; & hanc totam ciuitatem eius obitu mœſtam, totum Philoſophorum,& Medicorum Collegium afflictum,totum Patauinum Gymnaſium mœrore ſquallidum , omneſq; in primis eius amantiſſimos, ſtudioſiſſimos, obſeruantiſſimos auditores dolentes,& conquerentes videmus, quòd clariſſimo viro, tamquàm ſuorum commodorum , atq; ornamentorum parente,tam cito,ut ipſi putant,& dictitant , carere coacti ſint. Verumtamen , mœſtiſſimi Aud. cum inani mœrore, nihilq; proficiente confici diutius non debeamus; vehementem dolorem temperemus, præſtãtem virtute uirum collaudemus, atq; adeo, quantum poſſumus imitemur,mœſtiſſimos eius fratres, ac fratris filios cum mœſtiſſima filia , & genere conſolemur,quòd lumen quidem ſplendidisſimum ipſis extinctum ſit , ſed cuius nomen memoria hominum vigebit ſempiterna,ſed cuius animus in cœleſti beatitudine perpetuo relucebit.

Habita Pataui j in Templo Di. Stephani. XV. Kal. Aprilis. M. D. LXXXIII.





In Obitu IOSEPHI MOLETII MATHEMATICI.

ANTONII RICCOBONI Oratio



NEMINEM vestrum ignorare arbitror, mœstissimi Aud. cum maxima iactura facta sit Iosephi Moletij Messanensis, Mathematici præclarissimi, mihi potius propter arctissimam, quã cum eo habebam, consuetudinem, & familiaritatẽ flendum esse, quàm vel laudationem ullam in hac vrbe suscipiendam, vbi eius maximæ, clarissimæq; virtutes satis patẽt, vel consolationem aggrediendam in molestissimo malo, quo tantopere conflictamur. Ecquis enim est tam rudis, tam ab omni sensu alienus, qui tali, tantoq; viro extincto non uehementer commoueatur? Siccine te nobis, vir præstantissime, dedit Deus, vt, cũ tua singulari præstantia maxime frue bamur, te ipso nos priuaret? O miseram hominum conditionem, quos tot mala vndiq; circunstant, tot fortunæ tela percutiunt, tot perturbationes angunt, atq; excruciant. Equidem

conuersatione, pratica, familiarità

dem tam acerbum dolorem, miseriamq; percepi, ut, cum egregij viri ex vetere instituto in funere exornandi onus susceperim, in communi omnium luctu nihil prope verborũ me facturum esse existimem ad rem ipsam pertinentium, vearq; profecto, ne, dum lachrymæ profluunt, non solum oratio, sed etiam mens mihi excidat mœrore perturbata, atq; confusa: facere tamen non possum inter lachrymas, & singultus, quin nobilissimæ Siculæ nationi, in qua ipse florebat, quantum in me est, gratificer; quin admirabilem amici virtutem pro uiribus meis in cœlum feram; quin antiquissimum maiorum nostrorum institutum retineam in Doctore clarissimo laudibus prosequendo. Ceterum si non omnia, quæ dicenda essent, complexus fuero, quæso à vobis, benignissimi Aud. vt in temporis angustias, & molestiæ magnitudinem culpam reijciatis; nec minus benigno, minusq; attento animo me audiatis; atq; interim permittatis, ut quo dolore frangor, differor, ac pene tabesco, eum aliqua ex parte vobiscum scindam, humanasq; miserias, & calamitates aliquantisper deplorem. Quamquã mirari soleo, quid sit, quod hac ipsa de re veterum sapientum tam diuersæ extiterint, discrepantesq; sententiæ; & alij quidem hominem omnium animalium postremum, atq; infelicissimum clamauerint: alij vero eum ceteris animalibus præstantiorem deprædicauerint, felicemq; ac diuinum, & mortalem nuncupauerint deum. Non defuerunt igitur, qui hominem defleuerint tam quàm miserrimum, ærumnisq; perpetuis circumseptum, ac ipsis etiam cocleis, vt dicebat Aristides, viliorem, quo nihil sit fragilius, nihil fugacius, nihil vbiq; gentium calamitosius. De quo siquis dubitet, ei potest fidem facere optimus auctor Homerus, qui modo cecinit, homine nihil ærumnosius esse: modo hominum genus tale esse, quale est foliorũ, quo dicto Pyrrhonem Academicum valde delectatum fuisse testatur Laertius: modo homine nihil enutrire terram infirmius: modo homines finiri breuibus spatijs; & ubiq; eos miseros, atq; infelices vocauit. Quid Aeschilus, & Sophocles, alijq; Græci poetæ? Nonne hominem appellare modo vmbram, modo vmbræ somnium consueuerunt? Menander vero humanam vitam, & dolorem affines esse affirmauit; &

Plutarchus ex Menandri sententia ad Apollonium scripsit, nullum animal esse, quod modo surgat, modo cadat citius, atq; crebrius, quàm faciat homo, animal debilissimum, & maxima nihilominus negocia pertractans,& administrans: alibiq; conqueritur, uitam nostram esse non nisi temporis punctum. Taceo Plautum animæ salillum nos appellasse, omnibusq; fortunæ telis subiectos. Taceo Varronem bullæ hominem comparasse. Taceo Plinij grauissimam de humana miseria conquestionem; aliaq; vel sexcenta sapientissimorum hominum testimonia de humanis calamitatibus conquerentium consulto prætereo, contentos vos esse posse existimans unius Ciceronis auctoritate scribentis; Non nasci longe optimum, nec in hos scopulos incidere vitæ: proximũ autem, si natus sis, quàmprimum mori, & tamquàm ex incendio effugere violentiam fortunæ; atq; si nostra longissima ætas cum æternitate conferatur, non esse nos admodum dissimiles bestiolis illis, quas ad Hispanim fluuium ab Europæ parte influentem in Pontum Arist. ait nasci, & vnũ diem uiuere: ꝑpea quòd modo pueros, modo adolescẽtes, in cursu à tergo insequens, nec opinantes, assequatur senectus; nihilq; fere sit nostra longissima uita ad sempiternum illud tempus, quod post mortem viuimus. Cum aũt exoriens quidem uita ad mala ducat, non ad bona, mors vero à malis abducat, non à bonis, hoc à Cyrenaico Hegesia ita copiose in Aegypto fuisse disputatum, memoriæ proditum est, ut quoniam, multi eo audito mortem sibi ipsi consciscerent, & alij se præcipites darent, alij aquis mergerent, alij iugularent, alij alijs miseris modis necarent, à Ptolemæo Rege prohibitus sit illa in scholis disputare, aut in concionibus dicere, ne propter perniciosam hominis eloquentiam humanum genus plus nimio diminueretur. Atq; hi quidem miseros esse homines censuerunt. Aliorum uero contraria fuit sententia, nihil felicius homine reperiri. Etenim Abdalam Sarracenum ferunt, cum ex eo quæreretur, quid in hac quasi mundana scena maxime admirandum spectaretur, respondisse, nihil uideri homine præcellentius. Mercurius autem Trismegistus magnũ miraculum esse hominem affirmauit, Deumq; appellauit mortalem, omnium beatissimum, excellentissimum. Zoroa-

stres

ſtres uero, Orpheus, Perſarum Magi, is etiam, quem modo nominabamus, Homerus, Empedocles, Plato, Ariſtoteles, Anaxagoras, ipſe quoque Cicero, innumeriq; alij in Philoſophorum ſcholis exercitati, hominem dixere ſingularem quandam eſſe naturam diuino animo præditam, ab his uſitatis, notiſq; naturis ſeiunctam; animal prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilij; eundem præclara quadam conditione generatum à ſummo Deo, ſolum ex tot animantium generibus participem eſſe notitiæ Dei, qui cuncta quaſi recordetur, atq; agnoſcat, ſuperis familiarẽ, inferiorum Regem, ſenſuum indagine perſpicacem, intelligentiæ lumine interpretem, ſtabilis æui, & fluxi temporis interſtitium, mundi copulam, hymenæum, cameleonta, per Protheum in myſterijs fabularum ſignificatum, ut interpretatus eſt Aſclepius Athenienſis, microcoſmum, in quo omnia cognoſci poſſint, ut in Alcibiade ait Plato, unde illud prodijſſe dicitur, Noſce te ipſum, id eſt, in te ipſo noſce omnia, in cetera dominãtẽ, nobiliſſimũ generoſisſimũ, ſapiẽtiſſ. Quid igitur in tam diuerſis, atq; inter ſe diſcrepãtibus doctiſſimorũ hominum ſententijs dicendum eſt? Hominem ſcilicet ex duobus conſtare, corpore, & animo, mortali, & immortali, caduco, & æterno, duplici natura præditum, & tamquàm Ianum duplici facie donatum, ita ut ex altera quidem parte mortali, & caduca, nihil eo ſit miſerius: ex altera uero immortali, & æterna, nihil beatius; præſertim ſi animum ſuum uirtutibus, & doctrinis excoluerit, ſibiq; aſcenſum parauerit ad beatitudinem ſempiternam. Quod ita eſſe, cum ex alijs perſpici, atq; cognoſci poteſt, tum uero etiam ex Ioſepho Moletio, cuius grauiſſima, & iucundisſima conſuetudine mors acerba nos nunc priuauit; quem quidem, ſi corpus ſpectemus, infeliciſſ. fuiſſe confitebimur, prorſus debilitatum, infirmum, uarijs morbis obnoxium, perpetuis fluxionibus perturbatũ, frequentibus febribus agitatum, ut uix ullus præteriret menſis, quo non grauiter febricitaret, languidum, naturalibus uiribus deſtitutum, ad ſenectutem ante tempus perductum, ut qui uix quinquageſimum ſeptimum ætatis annum agebat, ſeptuagenarius, immo uero etiam octogenarius uideretur, denique grauiſſima ui morbi oppreſſum, nobis præreptum,

extin-

extinctum, in feretro repoſitum, in ſarcophago reponendū. O maximam corporis miſeriam. Si uero animum conſideremus, feliciſſimum iudicabimus, non ſolum lumine illo, atq; acumine ingenii exornatum, quo antiquiſſima eius natio Sicula gaudere, & gloriari merito poteſt: uerum etiam Philoſophum, & Medicum præcellentisſimum, Mathematicarum diſciplinarum interpretem celeberrimum, ſcriptorem egregium, & ob id multis principibus charisſimum, Ducibus Mātuæ, Senatui Veneto, ſummis Pontificibus iucundiſſimum. O admirabilem animi felicitatem. Ortus igitur in clariſſima prouincia Sicilia, quam primos incoluiſſe antiquiſſimos Cyclopas, Thucydides ſcriptum reliquit; quæ optimis ſtudiis dedita, referta aſſidue, atque, ut ita dixerim, fœta eruditiſſimis hominibus, tulit Empedoclem Agrigentinum, tulit Archimedem Syracuſanum, tulit alios innumerabiles ad omnem laudem præſtantiſſimos uiros; quæ ob fertilitatem ſuam Romanorum horreum, Romanæ Reip. cella penaria, Romæ frumentarium ſubſidium eſt nuncupata. Ortus in præſtantiſſima natione Sicula, quam M. Tullius Cicero, ut acutiſſimam, & ingenioſiſſimam celebrauit, ac oratorijs controuerſijs maxime aptam, & natam, unde etiam primi ſcriptores Rhetoricæ artis extiterint, Corax, & Tiſias; quæ quàm generoſa ſit, intelligi facile poteſt ex tam multis optimarum artium ſtudioſis Siculis in præclaris ſtudijs iuris ciuilis, Philoſophiæ, Medicinæ, Mathematicarum diſciplinarum, omniumq; bonarum litterarum excellentibus, gymnaſiumq; Patauinum, tamquā ſtellis quibuſdam, illuſtrantibus, quos ſingulos, ut merentur, laudare, & honorare conarer, ſi modeſtiſſima eorum præſentia id pateretur. Ortus in nobilisſima urbe Meſſana, amica, & ſocia populi Rom. pro qua ſuſceptum eſſe grauiſſimū bellum primum Punicum L. Florus teſtatur; cum in Philoſophia, Medica facultate, ac præcipue Mathematicis diſciplinis admirabilem curſum, ac prope incredibilem progreſſionem feciſſet ad excellentiam; Venetiaſq; tamquàm in lucem Italiæ, atque oculos omnium gentium, doctus, & in primis eruditus ſe contuliſſet; ibi ab omnibus, quicunque aliquod iudicium facere de ingeniis poterant, cognitione, atq; hoſpitio dignus exiſtimatus eſt; chariſſimuſq; fuit Venetis Patri-

tijs

tiis, senatoribus, principibus, ut Medicus non spernendus, ut Philosophus summus, ut Mathematicus eximius, ut Astrologus egregius, ut uir omnibus partibus, ac numeris absolutus. Facere cogor, Aud. quod in repentinis prœlijs imperatores cōsueuerunt, ubi hostes aut ex insidijs erumpentes, aut à tergo, lateribusq; præter expectationem celeriter aduolantes, atq; irruentes conspiciunt. Quemadmodum enim illi suos protinus milites, quàm angustissime possunt, in unum cogunt: ita ego statim me ipsum in breuem quendam veluti orbem colligere, meamq; orationem in pauca conijcere necesse habeo; vt apud vos satis excusatus esse debeam, si nō omnia pro dignitate complecti possum. Vt igitur breui multa comprehendam, in celeberrima huius præstantissimi viri fama, & maxima famæ celebritate, cum Gulielmus, Dux Mantuæ, altissima mente præditus, qui litteris, & litteratis viris mirifice semper est oblectatus, præstanti aliquo indigeret doctore ad docendum Mathematicas disciplinas Principibus admodum necessarias Vincentium filium suū, nunc Serenissimum Ducem; honestissimo proposito præmio Venetijs Mantuam Iosephum Moletium acciuit; qui quidem cum maxima sua laude, ac prope incredibili parentis consolatione, filijq; vtilitate, atq; vtriusq; gaudio, & uoluptate, circiter annos septem id muneris obiuit; generosissimum Principem Mathematica scientia erudiuit, tanta facilitate, atque dexteritate (quæ eius propria erat) vt se ei prorsus amabilem, atque admirabilem redderet; eundem amantissimis consilijs, & saluberrimis præceptionibus ad res dignas genere suo præstandas etiam sponte currentem incitauit; tantumq; profecit, vt eius præstantem operam sibi gratissimam fuisse, & pater, dum uiueret, & filius ipse semper professus sit. Cumq; ab illustrissimis moderatoribus, illustrissimo Senatu, Serenissimo Venetiarum Principe in celeberrimum gymnasium Patauinum inuitaretur, maiori etiam præmio, quàm vllo vnquàm tempore in hoc ipso Gymnasio cuiquam Mathematicarum disciplinarum interpreti propositum fuerit, in gratiam Venetorum honestissime dimissus est, ingenti pecunia donatus, singulariter dilectus, insigniter honoratus, ita ut uel Princeps ille,

qui

qui patri præſtantisſimo præſtantiſſimus ſuccesſit, eum dignũ fecerit,apud quem non ſemel in hac urbe hoſpitaretur quemq; in publicis Scholis non nunquam honeſtatis, & amplitudinis gratia audiret. Cum igitur Ducibus illis ſummæ laudes,atque honores debeantur, quòd egregie cenſuerint, quàm neceſſarij ſunt oculi hominibus in corporis actionibus, tam neceſſariam eſſe ſapientiam in populorum adminiſtrationibus,ut,quemadmodum T.Manlius Torquatus,cum intellexiſſet ſe fuiſſe conſulem declaratum, minus ſe idoneũ exiſtimauit ad ſummum imperium adminiſtrandum propter ualetudinem oculorum;& ob id conſulatum recuſauit: ſic,qui carent lumine ſapientiæ,minus digni exiſtant,qui populis præſint; cum inquam illi ſint ſummopere laudandi, atq; honorandi, ob præclarum inſtitutum ſapientiæ ſtudioſisſime perſequendæ,& eruditiſſimorum hominum omni benignitate complectendorum: ne uulgaris qu dem laus eſt, talibus,& tantis principibus tantopere placuiſſe,ac non ſolum doctiſſimo Duci probatum eſſe,atq; ab eo pro filii inſtitutione expetitum, accerſitum, omnibus modis honeſtatum: uerum etiam ad doctrinam ipſum filium mirabiliter prouexiſse; & quidem ad eam doctrinam, qua nihil eſt in principe illuſtrius,ad imperium tuendum,mœnibus,& propugnaculis ſtabiliendum; idoneis copijs,& exercitibus, cum oportet,inſtruendum,atque amplificandum maxime accommodata;quæ aditum præbet ad reliquam ſapientiam,ut ſine ea nihil propemodum in ſapientiæ ſtudijs profici poſse uideatur,idcircoq; diuinus Plato neminem Geometriæ expertem ad ſe audiendum ingredi pateretur; quæ denique tam firmam,&certam rationem habet,ut una inter ceteras artes, &facultates proprie appellari ſcientia doctiſſimorum hominum iudicio mereatur.Itaq; nõ uereor,ne, ſi uel unum hoc duntaxat dixerim, Ioſephum Moletium à Gulielmo Duce Mantuæ ad Vincentium Principem Mathematicis diſciplinis erudiendum adhibitum eſſe; eum à me parum, aut frigide laudatum fuiſse obijci iure queat. Quemadmodum enim numorum precioſiſſimos eos exiſtimamus, quibus materiæ dignitate,metalliq; præſtantia,non formæ magnitudine auctoritas concilietur: ita ſatis eſse poteſt, ex omnibus huius

amplisſimi

ampliſſimi viri laudibus vnam, quæ maxima ſit, attingere; cum præſertim ea ceteras fere omnes complecti quodãmodo uideatur. Etenim qui magnis principibus ita placeat; neceſſe eſt, ut ſit conſuetudinis elegantia commendatus; nullis inſignioribus uitijs notatus; bonarum litterarum cognitione, & liberalium artium tractatione ornatus; ſermonis feſtiuitate probatus; non ſolum ad eloquentiæ, ſed etiam ad ſilentij artificium, & opportunam taciturnitatem idoneus; omni prudentia præditus, qui nihil amori, aut beneuolentiæ cuiuſquam, nihil odio, aut iracundiæ tribuat, ſed omnia ubique ad ſui Principis commodum, dignitatemq; referat; omni diligentia, ſolertia, uigilantia, inſtructus, qui,quid acciderit, prouidiſſe, nihilq. improuiſum omnino, aut non diu meditatum egiſſe videatur; denique ad honorem, ad ſplendorem, ad decus, ad gloriam natus. Qualem fuiſſe Ioſephum Moletium, ſi vel ex eo perſpici poteſt, quod tam egregie Gulielmo Duci ſapientiſſimo, & Vincentio eius filio generoſiſſimo ſit ptobatus, nihil eſt ſane, cur ego firmiſſima hac laude diffiſus in alijs recenſendis mihi admodum laborandum eſſe exiſtimem. Quid enim commemorem ſatis notam vobis, & perſpectam eius aſſiduitatem, ingenium, doctrinam, perſpicacitatem, præſtantem excellentiam, excellentem præſtantiam in interpretandis, & explicandis de ſuperiori loco, quem per annos duodecim in hoc clariſſimo Gymnaſio honeſtiſſime tenuit, Mathematicis diſciplinis, Geometria Euclidis, Sphæra Ioannis Sacrobuſti, Opica, Mechanica, atq; vniuerſa Coſmographia, Anemographia, Hydrographia, Geographia? Quid recenſeam eius ad nominis immortalitatem opera inſignia, egregie conſcripta, & edita; vt librum de Geographia non ſemel typis impreſſum: vt Ephemeridem, quæ in tanto uſu eſt hominum litteratorum: vt Commentarios in Geographiam Ptolemæi, qui à doctiſſimis viris tantopere laudantur: vt tabulas Gregorianas, quas iuſſu Illuſtriſſimi Senatus Veneti in gratiam ſummi Pontificis conſcriptas non ſolum ipſe Senatus ducentis, vt uocant, ducatis ipſi donatis, verum etiam Gregorius XIII. Pontifex Maximus trecentis, ut appellant,cameræ ſcutatis ei do-

no miſſis, & pluribus etiam pro earum continuatione pro miſſis, cenſuit honorandas? Quid nominem alia quàmplurima, eademque grauiſſima ſcripta, ab eo inchoata, & nobis relicta; quæ quamuis ab ipſo perfici non potuerint, contendere tamen merito poſſe cum aliorum recentiorum iiſdem de rebus conſcribentium perfectioribus operibus uidentur? Date, quæſo, mihi hanc ueniam, Aud. ſi potius hiſtorico, quàm oratorio munere fungi nunc vobis propter anguſtias temporis, & magnitudinem doloris mei uiſus fuero; ac permittite, ut in hoc ampliſſimo tot, tantarumq. laudum mari uela tandem contraham orationis meæ: maxime uero quia, ſi uelim ſingulas eius res geſtas commemorare, & enumerare tantum, nedum exornare, & illuſtrare oratione, perinde ſit, ac ſi pulchra aliqua poma ex optima arbore in horto quopiam egregie culto nata, & ab omnibus ſpectata, digito commonſtrare contendam: aut ſi picturas aliquas ſingulares, non niſi ab excellenti artifice, optimis coloribus, maxime accommodatis penicillis, factas fuiſſe, quæ per ſe notiſſima, atq; exploratiſſima ſint, oſtendere uobis coner. Quemadmodum autem dicebat Socrates, non eſſe difficile Athenienſes apud Athenienſes laudare, ubi ſcilicet, quæ exornarentur, ab omnibus cognoſcerentur: ſic mihi uidetur eſſe facile, laudationem, & exornationem Ioſephi Moletij perorare, cuius actiones uos plane nouiſtis; cuius comitatem, & animi candorem perſpexiſtis; cuius prudentiam, & dexteritatem experti eſtis; de cuius virtutibus teſtimonium alijs præbere poteſtis; cuius bonitatem, & facilitatem nemo fere in hac tota urbe reperitur, aliquo aut ingenij, aut uirtutis iudicio notus, qui ampliſſime teſtificari non queat. Iam uero cum uir præſtantiſſimus, & præclariſſimus huius uitæ malis, quibus eius corpus perpetuo uexabatur, ſit liberatus, & tandem aliquando ad globos illos cœleſtes, quos eius animus tantopere, & tam excellenter fuerat contemplatus, peruolauerit; ac nunc multo melius, quàm in his corporis compagibus, in his terrenis membrorum uinculis, in hoc obſcuro carcere faciebat, uideat in ſplendidiſſimo candore inter flammas orbem lacteũ elucentem; uideat magnitudinem illarum flammarum uel

ipſam

ipſam ſuperantium magnitudinem terræ; uideat in cœlo infixos illos ignes innumerabiles,& ſempiternos, quæ ſydera,& ſtellæ nuncupantur; uideat curſus Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, Lunæ, quæ ſunt errantes ſtellæ, & retro contrario motu feruntur, atque ſuperius cœlum; videat terram ſuis libratam ponderibus in medio mundi ſitam, quaſi puncti inſtar obtinentem, ſi cum cœlo conferatur, quinque circulis redimitam, & circundatam, duobus habitabilibus, & tribus inhabitabilibus, vt veteres crediderunt, uel potius omnibus habitabilibus, ut recentiores inuenerunt, & ipſe Moletius optime demonſtrabat; uideat intuitu vno totam rerum vniuerſitatem, totum mundum, &, quæ in mundo continentur, omnia; denique uideat deum, eiuſque uiſione gaudeat,quam uiſionem,& gaudium ambroſiæ, & nectaris nomine Plato ſignificauit: eius certe cauſſa non eſt dolendum, maxime uero, quia chriſtianiſſime uixit, & chriſtianiſſime mortuus eſt,ita vt ab his terrenis malis ad cœleſtem beatitudinem eum perueniſſe ſine dubio credendum ſit: uerum ſi dolendum, noſtra cauſſa dolendum, qui tanto, tamque excellenti bono careamus, atq; priuati ſimus. Tamen debemus cogitare, mœſtiſſimi Aud. ſi habebamus non ſolum immortali animo, ſed etiam immortali nomine Doctorem, nos non habuiſſe eum corpore immortali;tandemque acerbiſſimi doloris modum inuenire; maxime qui ſtudia ſapientiæ pertractamus, & profitemur, quibus licet quidem aliquantiſper dolere,ne prorſus inhumani, prorſus feri, omniſque expertes humanitatis videamur, ſed non diutius in dolore perſiſtere. Quamobrem deſinite, obſecro, præſtantiſſimi Siculi, tantopere, vt facitis, dolere. Deſinite omnes optimarum artium ſtudioſi, qui ex eius doctiſſimis explicationibus maximam utilitatem percipiebatis, tam vehementer mœrere. Deſine, vniuerſum gymnaſium Patauinum, quod vnum de tuis doctoribus præcipuis amiſiſti, mœrore confici, ubi proficere nihil potes. Deſine, Bernardine Petrella, vir præcellentiſſime, qui tantam ex eius conſuetudine conſolationem, & voluptatem mecum capiebas, conqueri, lamentari, lugere ob malum commune, cui remedium adhibere non poſſumus. De-

sinamus omnes de Iosepho Moletio soliciti esse; qui maximum quidem nobis sui desiderium reliquit: sed summa cũ tranquillitate inter cœlestes degit; animumque reuocemus ad Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum; totique conuertamur ad Iesum Christum seruatorem nostrum, qui vnus ægras mentes consolari potest, unus uera est consolatio, ueraq; felicitas; eumque suppliciter oremus, ut & ad viri optimi, ac doctissimi imitationem nos conformare, &, quemadmodum eum sanctissimo afflatu suo creditur adiuuisse, ita nos quoq; adiuuare pro maxima benignitate sua non grauetur.



Habita Patauij, in Templo Di. Francisci, VI. Kal. Febr. M. D. LXXXVIII.





In Obitu SPERONIS SPERONII ANTONII RICCOBONI Oratio



SI qua unquam iactura fuit summopere deploranda, mœstissimi Aud. hæc profecto est summo ploratu dignissima, quam in obitu Speronis Speronij fecit non solum Resp. litteraria uiro orbata litteratissimo; non solum Resp. Veneta, uiro amisso omnium sub imperio suo in litterarum studijs præstã tissimo: uerum etiam ciuitas Patauina, quam ipse suo lumine mirifice collustrabat, & familia Speronia, cuius idem habebatur singulare decus, atq; ornamentum; ut merito mœreant omnes; meritoq; ego, cui mandatum est, ut in tanta populi frequentia, tantoq; litteratissimorum hominum concursu, ad uirum præcellentissimum in funere exornandum orationem habeam; quiq; satis intelligo, ut is pro dignitate laudaretur, eius ipsius, qui laudandus est, opus fore ingenio, & eloquentia, non mea, quæ aut nulla est, aut certe admodũ exigua, uix obsistere doloris magnitudini queam; nihilq. me miserius, aut laboriosius esse confitear, qui onus, quod

humeri

humeri sustinere mei non possunt, gratificandi studio subire quodammodo coactus sim; nec satis uirium mearum imbecillitatem excusare potuerim. Ac æquum quidem erat, ut qui uiuus omni uirtutum genere ceteris fere omnibus antecelluisse existimatur, & ob id maximum sui desiderium apud omnes reliquit, idem mortuus egregia funeris pompa, & honore aliquo eximio cohonestaretur: sed uereor, generosissimi Patauini, ne præclaram hanc uoluntatem uestram, ut præstantes eius, & præcellentes laudes celebrentur, ego ad hoc munus obeundum delectus aliqua ex parte impediam; qui ut aliquid in dicendo ualerem & aliquantisper in dicendi exercitatione uersatus essem, grauitate tamen oneris ita opprimor, ut non solum oratio, uerum etiam mens mihi concidat, memoria excidant pene omnia, &, quid dicturus sim, fere prorsus ignorem. Verum illud aliquantulũ me recreat, & reficit, quòd, quemadmodum Socrates dicere solebat, non esse difficile Athenienses apud Athenienses laudare, ubi nimirum eorum ipsorum laudes, qui exornarentur, notissimæ essent, atq; exploratissimæ: sic ego sperare possum fore, ut in urbe Patauio Speronem Speronium Patauinum non difficulter laudẽ, ubi eius præstantiam omnes norunt; ut, quæ uniuerse de eius dixero excellentia, iis uos assensuri, quæq; singillatim propter infinitatem enarrare non potuero, aut propter obliuionem prætermisero, ea uos suppleturi esse facillime uideamini. Quid dico in urbe Patauio? Immo uero tanta ipse erat famæ celebritate, ut, quod eueniebat Athenis de laudibus Atheniensium, id euenire posse de laudibus Speronis Speronij non in una modo urbe, uerum etiam in toto terrarum orbe existimandum sit; quòd nullus prope reperiatur tam inaccessus, tam ab omni hominum cõsortio remotus in terris locus, quò non eius fama peruaserit. Cum autem tanti uiri decora, & dignitatis insignia, ac fortunæ, corporis, animi ornamenta innumera fuisse uideantur; satis fortasse fuerit, si uniuerse exposuero; Speronem extitisse talem, à quo quidem clarissimi uiri idea desumi potuerit, etiam præter doctissimorum hominum consuetudinẽ. Hi enim consueuerunt magis rerum formas, quas appellarunt ideas, quàm res ipsas exprimere, & quandam earum

per-

perfectionem,atq. absolutionem exquirentes magis, quales esse oporteat, quàm, quales sint,demonstrare; ut ex eorum sententia nemo inueniatur tam perfecte,& absolute prudēs, aut fortis,aut temperans, aut iustus, nulla rei familiaris administratio tam exacta,nulla Resp. tam recta,quàm ab ipsis descripta sit,& optimis rationibus cōformata.Sic fictus poeta inter ceteros ab Horatio. sic architectus à Vitruuio. Sic Imperator à Vegetio.Sic paterfamilias à Xenophonte. sic ciuis ab Aristotele.sic orator à Cicerone.Nos uero optimam clarissimi uiri imaginem exprimere cupientes, pace nūc Philosophorum, & Dialecticorum, præposteram rationem sequemur,& non uniuersa singulis,sed singula uniuersis accōmodabimus,atq; ex uiro uere singulari uniuersalem præclari uiri formam colligemus,eamq; speciem,quam ipsi Philosophi non cerni,sed tantum teneri animo posse censuerunt, oculis etiam uestris subiectam fuisse,ac digito commonstrari potuisse, dum ille uiueret, ostendemus. Itaq; filiant nunc quæso,Philosophorum dogmata, ut ab uniuersis ad singula delabamur.Taceant Dialecticorum præcepta, ut rem uniuersalem singulari non comprobemus,dum à singulis unius uirtutibus, & ornamentis ad clarismum uirum uniuerse cōformandum ascendemus,ut ipsam ideam intueamur,unum mente nostra intuentes,qui unus esse omnibus potest norma, regula,& præscriptio. Quemadmodum enim M. Cato Censorius tres summas in homine res præstitisse existimatus est, optimus orator,optimus Senator, optimus imperator: & P. Crassus Mutianus quinque habuisse rerum bonarum maxima,& præcipua commemoratur,quòd esset nobilissimus,ditissimus,eloquentissimus,iurisconsultissimus,Pontifex Maximus: sic cum Spero Speronius non tribus, nec quinque, sed longe pluribus,sane maximis, & præcipuis clarissimus fuerit,nobilitate patriæ, splendore familiæ, fortunarum amplitudine,corporis firmitate,ingenii præstantia, disserendi ratione,Philosophia contemplandi, Philosophia agendi,Poetica,Rhetorica, scribendi excellentia, sacræ scripturæ,omnisq; antiquitatis cognitione, prædicendi quadam diuinitate,equestri dignitate,principum consuetudine; quis adeo pertinax,adeo obstinatus sit,qui etiam non seruata su-

perstitiosa argumentandi formula, illud uerissime confici posse non fateatur, In omni litterato clarissimo uiro hæc omnia inesse oportere, quæ singula in singulis laudari consueuerunt, & uniuersa in Speronio mirabiliter enituerunt? Ac uerissimũ quidem illud est, quod in ore habebat Agesilaus, Non homines à locis, sed loca ab hominibus nobilitari; ut nobilissimum Patauium, ubi ipse nobilissimo loco ortus est, quamuis originis uetustate, & origine Troiana merito glorietur; quamuis florentissimo Gymnasio lætetur, omnis ingenuæ disciplinæ parente, ne spatijs quidem Academicorũ, nec Lyceo Peripateticorum, nec porticibus Stoicorum doctrinæ gloria concedente; quamuis duobus clarissimis collegijs gaudeat, altero Iurisconsultorum, altero Philosophophorum, & Medicorum; quamuis aliis commodis, & ornamentis perfruatur, quæ omnibus tam nota sunt, & à me tam sæpe celebrata, ac crebris sermonibus usurpata, ut noua commemoratione non egeant: nulla re tamen magis gaudere, lætari, gloriari debeat, quàm quòd à præstantissimis ciuibus suis fuerit nobilitatum, Liuijs, Paullis, Stellis, Flaccis, alijs omni laude præstantibus; atq; inter ceteros à Sperone Speronio, qui totum Patauium, qui gymnasium uniuersum, qui utrunque collegium; qui nomen Patauinum luce sua maxime collustrauit. Quemadmodum autem plus splendoris patriæ suæ attulit, quàm ab ea accepisse uideatur: sic non minora familiæ Speroniæ ornamenta uirtutibus suis reddidit, quàm ab ea reportauerit; alioqui nobilissima; & uiris ad omnem laudem tum armorum, tum litterarum insignibus, semper affluentissima; quæ est eadem, ac clarissima familia Aluarota, mutato nomine propter primum Speronem Aluarotum Speronii generis auctorem; in qua præter alios quàm plurimos, quos longum esset enumerare, floruit Franciscus Speronius, summus olim Reip. Patauinæ Imperator, & Bernardinus Speronius Aluarotus, ipsius Speronis pater, Medicus eximius, & Medicæ facultatis interpres celeberrimus; qui quidem ob famæ celebritatem à Leone x. Pontifice Max. Romam summo studio, & amplissimo præmio ad eius sanitatẽ tutandam accersitus apud eum summo in honore fuit: post mortem uero ipsius Pontificis in patriam reuersus à Leo-

nardo

nardo Lauredaño Sereniss. Venetiarum Principe non solú ad eius curationem sæpe adhibitus est, uerum etiam tamquã eo tempore omnium præcellentissimus ad curandum inter Cenomanos Odetium Lotrechium summum Gallici exercitus imperatorem missus. Tanto igitur parente natus cum rem familiarem satis commodam, & ei, qui honesto loco ortus esset, satis accommodatam à maioribus accepisset, eam tamen industria sua valde amplificauit: cumq; à sapientissimo Philosopho didicisset, diuitias non tam in possessione, quàm in vsu positas esse, præter alios laudabiles vsus eas non solum ad generosissimas filias suas in honestissimum matrimonium adhibuit collocãdas, verum etiam ad dotes neptiũ, vt altius collocarentur, augendas; in quibus quidem dotibus nulla necessitate, sed sola liberalitate maioribus efficiendis cum sexdecim numorum aureorum millia breui temporis spatio posuisse, non ignoratur. Quid dicam de corporis firmitate? quæ quidem eiusmodi erat, vt, quamuis laboriosissimus esset, & in litterarum studijs, ac scriptionibus assidue uersaretur; addo etiam, quamuis ad iram nãliter uideretur procliuior, idoneam ad corpus corrumpendum, alioquin, ut Peripateticorum Princeps tradidit, affectum fortitudinis, & magnanimitatis; quamuis sæpe ægrotauerit: eundem tamen corporis uigorem, eosdemq; spiritus usque ad extremam ætatem retinuerit, & natus anno quingentesimo ultra millesimum, pridie Id. Aprilis, perdurare ultra octogesimũ octauum ætatis annum potuerit. Bona uero animi naturalia in eo fuerunt admiranda, uelox animi motus, memoria prope incredibilis, natura ad contemplandum, & ad agendum aptissima, argutiæ, & acumen singulare, cuius mira commemorantur documenta, uiuidum ingenij lumen, & uersatile ingenium ad res quaslibet obeundas maxime accommodatum, denique reliqua omnia, quæ in uiro præclaro requiruntur, ut ad res egregias, & sublimes à natura formatus esse, & non in terris natus, sed de cœlo delapsus uideretur. O virum omnibus admirandum, omniumq; uocibus, & litteris celebrandum. Iamuero cum ingenij gloria omnibus antecelleret, & in collegium Philosophorum, ac Medicorum, tamquàm Doctor præcellentissimus, quamuis ætate tantum

N anno-

annorum duodeuiginti, cooptatus eſſet; ei facile fuit, primũ adhiberi ad Logicam facultatem in celeberrimo huius vrbis gymnaſio interpretandam: deinde vero traduci ad Philoſophiam naturalem explicandam. In quibus muneribus obeundis magna ſua cum laude, ac prope incredibili omnium cum admiratione, facto ſemper ad eum audiendum magno ſtudioſorum iuuenum concurſu, permultos annos uerſatus eſt. Cumq; in eo Philoſophiæ genere lumen animi, atq; ingenij ſui oſtendiſſet, ad agendi Philoſophiam ſe conuertit; eiuſq; præclara præcepta ad actiones publicas accommodauit; tantumq; profecit in hac nobiliſſima ciuitate adminiſtranda, ut plurima, & maxima commoda, atque adiumenta ei importauerit, atq; inter cetera Hebræos eiecerit, Montem, ut uocant, Pietatis erigendum curauerit, Venetijs impetrauerit, ut Gorzoniæ aquæ ad commodum uniuerſi agri Patauini aperirentur, aliaq; tam multa effecerit, ut ne longiſſima quidem hiſtoria, nedum breui oratione, comprehendi poſſe videantur. In qua quidem ciuili Philoſophia tantum excellere uiſus eſt, ut ab illuſtiſſimis gymnaſii moderatoribus, in primiſq; à Marino Caballio, uiro ſapientiſſimo, ad publicum munus eius interpretandæ, atq. explicandæ ampliſſimo præmio fuerit inuitatus; quod tamen ad maiora, ac altiora conuerſus honeſtiſſime recuſauit. Neque uero fecit, quod nonnulli peſſimo exemplo efficere conſueuerunt, qui ita ſe abdunt ſtudio Philoſophiæ, ut reliqua ſtudia contemnant, & aſpernentur: ſed ueterum Sapientum ueſtigijs inſtitit, ſane egregijs, & præclaris, ac ſignatis ad gloriam ſempiternã, qui non ſolum eximia ſapientiæ præcepta, quæ ipſi in primis ſpectabant, uerum etiam uerborum, quibus illa quodam modo ſuſtinentur, ſubſidia ſibi nota eſſe oportere ſtatuerunt; ut Platonis, cuius uerbis, ſi Iupiter græce locutus eſſet, locuturus fuiſſe narratur: ut Xenophontis, cuius uoce Muſæ quaſi locutæ feruntur: ut Ariſtotelis, qui aureum orationis flumen fundere exiſtimatus eſt: ut Theophraſti, qui diuinitate loquendi nomen inuenit: ut aliorum multorum, qui ijdem & intelligendi, & dicendi maxime ſtudioſi extiterunt. Itaque ipſe quoq. utramq; eloquentiam, tum poeticam, tum oratoriam complexus eſt, & in utraq. mira dedit præſtantiæ

docu-

documenta. Etenim plures Poeſes confecit, quæ iuſto iudicio ad ueterum Poeſium laudem, & excellentiam peruenerunt; quarum tametſi non nullæ, editis etiam famoſis libellis, reprehenſæ fuerunt: tamen generoſo animo ſatis fuit, ut non ſolum priuatim apud amicos litteratos, uerum etiam in publicis Academijs defenderentur, & huiuſmodi defenſiones ex ore ipſius auidiſſime exceptæ publice ſcriberētur; nec præterea ab eo aliud quidquam curatum eſt: quòd uiri magnanimi non ſit, cuiuslibet, nullo adhibito delectu, pugnam ſubire; nec Aiaces debeant, uel ipſo Homero teſte, cum Cebrionibus decertare. Pulcherrimum uero iudicium fecit de Aeneide Virgilij; quod ſi in lucem, & aſpectum hominum proferetur, arti Poeticæ multum luminis afferet, & claritatis. Quid commemorem eius præſtantem excellentiā, & excellentem præſtantiam in arte oratoria exercenda, & munere oratoris obeundo? Satis enim conſtat, cum is publice eſſet locuturus, quod in compluribus cauſſis faciebat, non ſolum Patauij, uerum etiam Venetijs, & in alijs urbibus multis, propter eius celebrem famam ſolitum fuiſſe illud admirabile euenire, quod etiam de Calliſtrato commemoratur, & non niſi ſummis oratoribus accidit, ut omnia in ſubſellijs loca ſubito occuparentur, complerentur tribunalia, adeſſet corona multiplex, adeſſent iudices erecti, cū ſurgeret ad dicendum, ſilentium à corona ſignificaretur, deinde fierent crebræ aſſenſiones, multæ admirationes, riſus excitaretur, cum uellet Speronius, cum uellet, fletus, & habita peroratione ipſe magna hominum multitudine comitante inter ingentes applauſus magnis cum laudibus domum reduceretur, omninoq; eminere unus inter omnes oratores in omni genere dicendi uideretur: Neque uero illud prætermittendum eſt, quòd ad eum audiendum, & admirandum tantus hominum fiebat concurſus, ut plerunque ne ampliſſimis quidem locis, ubi loquebatur, multitudinem capientibus, uel in ſcalis extrinſecus poſitis ad feneſtras, & ad parietum ſciſſuras plurimi conſpicerentur, felicioreſq; exiſtimarentur, qui commodiorem locum ad audiendum occupare potuiſſent. Qua famæ celebritate cum eſſet inter plurimos abſentibus quàm notiſſimus, à Vido Vbaldo, Duce Vrbinate, ad

te, ad laudes Iuliæ Varanæ uxoris luculentiſſima oratione in funere celebrandas accitus eſt; eamq. cum maxima ſua laude laudauit: miramq; eloquentiam cum ſapientia coniunctã vel Romæ oſtendit tempore Pij IIII. Pontificis Max. in Academia Vaticana, cuius ipſe vnus de præſidibus fuit, quos parentes appellant; in qua eum ſæpe ſapientiſſime,& eloquẽtiſſime diſputantẽ litterati aſpectabant, eiuſq; ob os ora obuertebant ſua. O virum ſapientium eloquentiſſimum,& eloquentium ſapientiſſimum. O Speronem Speronium ad ſapientiam,& eloquentiam natum. O virum, quem quidem iure poſſumus nominare Ariſtotelem, Homerum, Demoſthenem Patauinorum. Præter Poeſes autem,& Iudicium de Poeſi, ac præter orationes, conſcripſit quoque Dialogos illos celeberrimos, qui in manibus omnium verſantur; genus ſcriptionis ab ipſo ſelectum, non ſolum quia perſuadeat efficacius,& opiniones diuerſas comprehendat commodius, ac ſua varietate delectet magis, verum etiam quia ad amicos honorandos aptiſſimum ſit. Præterea ſcripſit Apologiã Dialogorum ſuorum: & Methodum Præſeſſionis: & poſteriore quoq; vitæ ſuæ tempore (numquam .n. ſcribendo defeſſus eſt) Methodum ſcribebat hiſtoriæ; aliaq. multa opera inchoata perficiebat. Quæ vtinam eſſent abſoluta: plurimũ .n. vtilitatis afferrent litterarum ſtudioſis. Sed, quando uir præſtantiſſimus, & ad commune commodum maxime inflammatus ea, quæ uolebat, omnia præſtare non potuit, ijs, quæ perfectiora reliquit, nihilominus perfruamur; & in manibus habeamus; ijs oblectemur; eius elegantem conſcriptionem imitemur,& ſcribendi rõnem ſequamur: plurimũ.n.in ea valuit Speronius; atq. ea, q̃ ſibi Etruſci nũc vendicant, lingua tã copioſe, tã eleganter, tã numeroſe, tã mirabiliter uſus eſt, ut, cũ multa à multis eo ſermone ornatiſſime ſcripta ſint, eorum nemine inferior, pleriſq; ſuperior fuiſſe, & quidem longe ſuperior exiſtimetur: quòd eius ſcriptis nihil eſſe purius, nihil ornatius, nihil politius, uno uerbo nihil excellentius uideatur. Quid? quòd uniuerſæ ſacræ Scripturæ, omniſq. antiquitatis ſe peritiſſimum oſtendit, cum ſæpe alias, tum uero etiam, cum de kalendario corrigendo ſub Gregorio XIII. diſertisſime diſputauit, elegantiſſimeq; conſcripſit?

sit? Nihil uero admirabilius, quàm quòd diuinitate quadam pollebat prædictionis: plurimorum enim mortem admirabiliter prædixit;ut Iulij,& Bartholomæi fratrum suorum:ut Marsilij,& Vbertini Papisauij, utriusque generi sui: ut Alexandri Papisauij nepotis: ut Alberti Comitis generi: ut Bernardini, & Seueriani Doctij: ut aliorum compluriũ, quos omnes enumerare nimis longum esset. Qua excellentiæ in omni genere admirabilitate,per aures, atq; ora omnium peruagata, non solum à Pio IIII. Pontifice Max. Equestri dignitate est decoratus,& à Pio V. & Gregorio xiij. in summo honore habitus usque ad famam Cardinalatus: uerum etiã ceteris Principibus fuit charissimus,& iucundissimus, qui aliquid de ingenijs poterant iudicare,ac cum illorum multis magnam habuit consuetudinem. Vt præter eũ, quem modo nominabamus,Vidum Vbaldum, Vrbini Ducem,cuius uel illustrissima filia Virginia eius gubernationi commissa est; quiq; ei honorifice mandauit, ut Fr. Mariam Ducem,patrem suum, à calumnijs defenderet quorundam historicorum: etiam cum M.Antonio Columna: cum Octauio,Duce Parmæ:cum Alphõso,Duce Ferrariæ:cum S.R.E. Cardinalibus,Farnesio,Borromeo,aliis multis; atque inter ceteros cum quinque Cardinalibus Cornelijs,Marco,Francisco,Andrea,Aloysio,Friderico. Cum enim proprium semper fuerit illustrissimæ Corneliorum familiæ præclara litterarum studia fouere, omniq; benignitatis genere litteratos uiros complecti, cuius singularis proprietatis laus accedit ad eam, qua ipsa ornata est, regii sanguinis claritatem,fortunarum amplitudinem,tot sacerdotiorum, tot Episcopatuũ, tot Cardinalatuum dignitatem; illustrissimus quoque Fridericus, S.R.E. Cardinalis, Episcopus uester,nobilissimi Patauini,cum Aloysio fratre Cardinali, & alijs maioribus suis, Speronem Speronium deuinctum consuetudine tenuit,semper dilexit,semper admiratus est, semper omni ratione honorandum putauit.Quod tu etiam fecisti, Marine Grimane,præfecte præstantissime,& Di.Marci Procurator illustrissime, una cum Georgio Contareno,iustissimo, & benignissimo Prætore;qui inter alia uestra decora,& ornamenta,cũ in administranda iustitia, & hominum inopia subleuanda

actiones

actiones ueſtras omnibus amabiles , atq; admirabiles præ beatis , ita ut merito uniuerſus populus uos non ſolum ad publicum commodum,& dignitatem tuendam, atq; augendam,uerum etiam ad priuatorum utilitatem , & adiumentū natos eſſe, libenter confiteatur,& prædicet,in eo ſimul mirabiliter refulgetis, quòd magni eſtis litterarum patroni,& litteratis uiris ſummopere fauetis , Speronemq; Speronium, tamquàm uirum litteratisſimum,conſuetudine ueſtra,atque omni honore dignum iudicaſtis .Sed dies,uox,latera me deficiant,ſi omnes eius patronos,amicoſq; , maxime patritios Venetos,qui eum tamquàm oraculum quoddam, numenq; litterarum uenerabantur , commemorare , ceteraq; omnia, quæ de tanto uiro dici poſſent,mea complecti uelim oratione.Nunc igitur fuerit ſatis nouo quodam,& ſingulari exemplo ideam clariſſimi uiri propoſuiſſe,quam perpetuo intueamur, & ad cuius perfectionem , quàm proxime poſſumus, accedamus. Quam admirabilem uiri præſtantiam ſi minime potui,quod maxime uolui, exprimere , ei potius, quàm mihi , benigniſſimi Auditores , id aſcribere debetis: homo enim ego ſum: eius uero laudes humanam ſuperare conditionem uidentur.Si nobiliſſimum Patauium , quod tanto ciue ſuo merito gloriatur , ſemperq; gloriabitur , & ob eam cauſſam felix cenſetur,quòd tantum lumen produxerit,tanto heroi ſuo illos omnes honores habere non poteſt , quos ipſe meretur: at ſaltem illos habeat,quos poteſt. Dignus ſtatua eſt iudicatus Ennius , ita ut etiam in ſepulchro Scipionum fuiſſe conſtitutus è marmore exiſtimetur: at ueſter Ennius erat Speronius; immo uero ueſter Homerus: hom o .n. ille Rudius rude quiddam,& pingue ſonabat,minusq; polite ſcribebat: hic uero inſtar Homeri præclarum quiddam , & ſingulare, omniumq; politiſſime. Trecentas,& ſexaginta ſtatuas Demetrio Phalereo oratori ab Athenienſibus poſitas fuiſſe,memoriæ proditum eſt. Cur una tantummodo ſtatua Speroni Speronio à Patauinis non ponetur, qui non ſolum ſummus orator fuit,uerum etiam poeta præſtantiſſimus, & philoſophus præcellentisſimus ? plura non dicam hac de re, prudentisſimi Patauini,ne uidear maxima ueſtra prudentia ſubdiffidere. permittite tamen, quæſo, ut pro iure Patauini-

tatis

tatis,quod mihi benigniſſime tribuiſtis, illud oratione mea conficiam, ſi T. Liuio hiſtorico ſtatua erecta eſt, ſi Paullo iuriſconſulto,ſi alijs, ineundam eſſe uobis hanc gratiam ab omnium gentium hominibus innumerabilibus, qui tempo ris progreſſu Patauium uel ſtudiorum, uel aliarum rerum cauſſa ſe conferent, ut eius uiri expreſſam effigiem publice collocetis, quem de facie non cognouiſſe, omnibus, quicunq; Patauij fuiſſent, nefas quodammodo eſſe uidebatur; quem ut uiderent,hoc tantum nomine multi Patauium ueniebant,cuius imaginem perſpicere plurimi ſiue dubio concupiſcent: cauendumq; eſſe diligenter,ne,quemadmodum Cato nullam ſibi ſtatuam erigi uoluit,quòd diceret,malle ſe,ut poſteritas percuntaretur,cur Catoni ſtatua non eſſet poſita, quàm cur poſita: ſic cum Speronis Speronij claritas nulla egeat ſtatuarum illuſtratione, non ſine aliqua tamen reprehenſione ueſtra quærant poſteri,cur ei ſtatuam non poſueritis; ut non magis ad eius, quàm ad ueſtrum honorem pertineat hoc honoris genus ipſi tribuere. Interim,cum tantum Patauinum lumen extictum ſit,atq; ita extinctum,ut accendi amplius naturaliter non poſſit;mœror quidem noſter tanti boni priuatione excitatus reprehendi non debet, quòd non ferrei,non ſaxei ſimus: ſed, cum fruſtra mœrore conficiamur,ubi nihil omnino proficitur,mœrendi finis eſt faciendus,conſolatioq; capienda,& nobiliſſimi eius propinqui conſolandi,incredibili ſane dolore,eodemq; iuſtiſſimo confecti: in memoriam reuocandum,Speronem Speronium non eſſe natum corpore immortali,eum ſatis diu uixiſſe,eũ immortale nomen reliquiſſe: maximæ ipſius, clariſſimæq; uirtutes imitandæ: denique quidquid ex præpotentis Dei uoluntate acciderit,ut hoc ipſum accidit, in eo conquieſcendum.

Habita Patauij,in Eccleſia Cathedrali, Nonis Iun.
M. D. Lxxxviij.





In Obitu
PII AENEAE OBICII
Patauini
DVCTORIS EQVITVM CATAPHRACTORVM,

Armati da capo a piedi
Tutti d'arme ... armati

SVMMIQ.
Collateralis Serenissimæ Reip.
VENETAE.
★ Antonii Riccoboni Oratio . ★


Osteaquam dies festi Pentecostes mihi esse quodammodo fatales uidentur ad aliquem extinctum Pataiuij splendorem deplorandum, Georgi Contarene, illustrissime Præses, mœstissimiq. Patauini; cum superiori proximo anno his ipsis diebus sapientiæ lumen uobis morte ademptum, Speronem Speronium, defle uerim;

uerim; nunc mihi mandatum est, ut alterum lumen uestrũ, nempe fortitudinis, magnanimitatis, omnisq; virtutis lumẽ, Pium Aeneam Obicium, mea defleam oratione. Qua tamẽ in re aliquem modum adhibendum esse arbitror. Etenim magnum quidem est malum, fateor, atq; haud scio, an maximum, quo conflictamur; magna iactura, quam fecimus, magnum detrimentum, quod accepimus, ex huius obitu Illustrissimi uiri: sed, quæcunque nobis in hoc tam breui, tamq. exiguo uitæ curriculo tot difficultatibus, atque ærumnis proposito, eueniunt, equidem tanti facienda non existimo, ut perturbationibus animi subiaceamus, acerbissimoque dolore frangamur; quod est animi abiecti, & demissi, atque ad iniurias inconstantis, uolucrisq. fortunæ propulsandas parum uigilantis, atq. exercitati. Qui uero afflictis, ac iacentibus rebus nullo conficitur mœrore, nullam contrahit molestiam, sed salutarem uulneri medicinam adhibet, consilijq. sui rationem ad repentinos euentus prudenter accommodat, & eorum, quæcunque sors adfert, nihil formidat; is ab omnibus habetur, & reuera est sapiens, dum ad omnem incursum munitus est, dum eum nec paupertas, nec luctus, nec ignominia, nec doloris impetus frangere ullo modo potest: dum omnes iniuriarum procellas, omnes molestiarum turbines animi sui inuicti robore perfringit, atq. perrumpit. Præclare Euripides eum uere sapientem dicebat, qui cederet necessitati; qui aduersa non commoueretur fortuna; qui aduenientibus malis occurreret; qui denique quoscunque casus permolliter ferre sciret. Idcirco Stoici, cum omnia ornamenta, omnes uirtutes sapienti tribuissent, eundem à perturbatione, à dolore, à consternatione uacuum esse uoluerunt: qui externis rebus ab animi tranquillitate nõ potest dimoueri; cui, ut tradit Arpinas, nihil magnum in rebus humanis uideri potest: qui semper sic excubat animo, ut ei nulla res improuisa accidere possit, nulla inopinata, nulla omnino noua: qui omnẽ fortunæ casum apte, & quiete perfert. Quod cum rerum omnium difficillimum sit mortalibus, fit, vt multi quidem sapientiam sequantur, pauci uero illam assequantur; illam inquam sapientiam, qua tu merito, generosissimum Patauium, gloriari potes, ut quò cete-

misura mediocr[illegible] regola

[illegible] debilitati

subitanee [illegible]

[illegible] disonore infamia [illegible] [illegible] fracassino

con pazienza

propriamente

ris Italiæ, atq; adeo etiam vniuersi terrarum orbis ciuitatibus sapientiæ gloria antecellis, eò magis uti debeas sapientia in affectibus, & animi ægritudinibus compescendis, mœroreque comprimendo, quem quidem ex Illustrissimi ciuis tui morte concepisti: cum præsertim illustris, & peruagata fama, quæ immortalis erit de eius eximia, singularique uirtute, ualde consolari te queat. Neque uero mihi ipsius funus, quantum in me est, exornaturo multa admodum dicenda sunt de hac præclarissima urbe, celeberrima eius patria, deq; illustrissima familia Obicia; non solum quia ex eiusmodi ornamentis exiguam claritatis suæ partem uendicare sibi clarissimi uiri consueuerunt; & qui patriam, uel familiam laudat, potius maiores exornat, quàm eum ipsum, qui propositus sit celebrandus: uerum etiam quia & illius laudes ego ipse sæpissime oratione mea complexus sum: & huius decora, ac dignitatis insignia clarissimis etiam editis commentarijs illustrata sunt. Quamobrem cum tam sæpe Patauium tum ab originis uetustate, tum à situs opportunitate, tum à ciuium litteraria, bellicaq. præstantia, tum à collegiorum claritate, tum à Gymnasii celebritate, tum ab alijs quàmpluri mis, ijsdéq; præclarissimis rebus laudauerim: nunc illud unũ recensere contentus ero, quòd in iure ciuitatis suæ cũ uiris uirtute præstantibus cõicando semper benigniss. fuerunt Patauini, non Thebanorum, non Lacedæm. non Atheniensium vestigijs insistentes, alioquin omnem laudis excellentiam superantium, qui uel nullos, uel paucos in ius ciuitatis suæ admisisse, hospitesq; etiam expulisse commemorantur: sed præcellentium Romanorum sibi cognatione iunctorum, qui ex Romuli primi Regis sui ueteri instituto ciuitatem plurimis gratuito impertiebantur. Itaque inter alios prope innumerabiles etiam nobilissimos, & generosissimos Obicios hæc ciuitas benignissime complexa est, ex Burgundia uetustam originem trahentes. Etenim anno Christi millesimo septimo duo fratres, equitibus præfecti, ab Henrico ij Imperatore in Italiam sunt traducti, & adhibiti in subsidium Benedicti VIII. Pontificis Max. prope de Pontificatu deiecti; alter Obicio, qui in tota Etruria, ac Liguria litorali ad Saracenos depellendos ipsius uicem gessit Imperatoris, & Lucæ initium

fuit

fuit Obiciæ familiæ : alter Fliſcus , qui Fliſcis Genuenſibus nomen dedit,& ab eodem Imperatore LauaniæComes creatus eſt . Quapropter ex una duæ familiæ ſanè perilluſtres factæ ſunt,unde plurimi prodiderunt,qui multos,magnoſq; honores,imperiaq; exercituum ſumma cum laude adminiſtrarunt,& Summis Pontificibus , Imperatoribus, Regibus, alijs Principibus Duces militum honeſtiſſime ſeruiuerunt: ubi Epiſcopi,Archiepiſcopi,Cardinales,Pontifices Max. enituerunt,atq; inter ceteros Innocentius IIII. qui, ut propinquitatem renouaret,& arctiori uinculo coniungeret, fratris ſui filiam Aloyſio Obicio Lucenſi in matrimonium collocauit : unde denique orti ſunt , qui permultos annos Lucæ Principatum præclariſſime tenuerunt. Cum igitur Patauini tam illuſtris proſapiæ lucem nouiſſent,quæ tum Genuæ ſub nomine Fliſcorum,tum Lucæ ſub appellatione Obiciorum, tum Florentiæ,tum Ferrariæ fuerat florentiſſima ; ſibiq; in memoriam reuocarent,quàm iuſte,&clementer Patauij prætura à Guliemo Maleſpina Obicio Lucenſi fuiſſet adminiſtrata an. milleſimo ducenteſimo octogeſimo quincto,tunc cum ædes prætoriæ ad aurifices conditæ ſunt,& pons lapideus ad templum Di. Ioannis extructus eſt : tandem anno milleſimo quingenteſimo decimo in ciuitatem ſuã Obicios benigniſſime receperunt. Hic mihi liceat potius ad Patauij laudem celebrandam,& ad id,quod debeo, deprædicandum, quàm ad ullam gloriam aucupandam dicere , hoc præclarũ benignitatis,atq; humanitatis inſtitutũ, quod ſemper in hac clariſſima ciuitate retentum fuit , quotidie magis uſurpari, & benigniſſime,atq; humaniſſime uſurpatum fuiſſe,cum in alijs permultis,qui non facile poſſunt enumerari, Patauinæ nobilitatis iure donatis,& tali,tantoq. beneficio affectis , tũ uero etiam in me ipſo,qui ob id me plurimum uobis , generoſisſimi Patauini, debere profiteor, ita ut ueſtræ beneficentiæ memoriam nulla unquam obſcuratura ſit obliuio.Vtautem ad Obicios redeam,cum multos Heroas, & Imperatores exercituum idcirco omiſerim,quòd rerum ab ipſis geſtarum pleni ſint libri,plenæ hiſtoricorum uoces , plena antiquitatis memoria: eum tamen non prætermitto, qui non ſine magna poteſt reprehenſione præteriri , Gaſparem Obi-

cium, Equitem perillustrem, omni laudum genere cumulatum, cum Ludouico Areosto, poeta præclarissimo, summa familiaritate coniunctum, & ab eo etiam in ipsius poemate collaudatum; qui cum alias ob caussas dignissimus esset, quem omnes gentes, & nationes perpetuis laudibus efferrent: ob id tamen potissimum eius nomen est prædicãdum, quòd tantum, tamq; fulgens lumen nobis procrearit. De cuius magis proprijs ornamentis (adhuc .n. communia cum multis strictim, ut potui, exposita sunt) mihi breuiter pro angustia temporis dicturo, contrarium prorsus euenit, quàm oratoribus soleat euenire. Illi enim cogitare consueuerunt, quid dicant: ego in maxima rerum copia potissimum cogito, quid non dicam. Illi aperiunt, quæ dicturi sunt: ego aperiam, quæ dicturus non sim. Itaque non dicam, quanta hic esset innocentia, ut facile posset milites sibi subiectos continere, qui prius se ipsum contineret; quanta temperantia, ut multi mallent Imperatori tam temperanti seruire, quàm alijs imperare: quanta facilitate, ut, qui inter alios eminebat, par infimis uideretur: quanta fide, ut plurimi se, suaq; omnia eius tutelæ committerent: quanta humanitate, ut propter mansuetudinem, ac bonitatem ab omnibus coleretur: quanta in pauperes liberalitate, ut in eis adiuuandis magnam uim pecuniæ quotannis poneret: quanta officij assiduitate in pace procuranda, ut nihil ei gratius, nihilq; iucundius esset, quàm concordiam inter discordes conciliare: quãta diligentia tum publica, tum priuata in amicorum negotijs pertractandis, ut in eis nunquam defessus uideretur: quanta magnificentia in ædificijs extruendis, ut inter alia Cataium à Sperone Speronio in Dialogis tantopere celebratum magnificentissime extruendum curauerit: quanta beneuolentia, & charitate in hanc ciuitatem patriam suam, ut etiã testamento mandauerit, si quando sibi heredes deessent, hereditatem suam sane locupletissimam per Serenissimum Venetiarum Principem, & Excellentissimum Collegium alicui ciui Patauino deferendam: quantis denique, & quàm multis alijs uirtutibus fulgeret, quibus tantum enarrandis, nedum pro dignitate exornandis, ne longissimum quidem temporis spatium sufficeret, ne dum hæc breuis hora, quæ mihi ad di-

cendum

cendum datur; quæq; ſingulæ ſingulas orõnes requirerent. Quocirca ceteris omnibꝰ prætermiſſis,& hiſtoriæ reſeruatis, unam fortitudinis & magnanimitatis laudem,Præfectorum, Ducum, Imperatorum maxime propriam perpendam; quæ uirtus profecto admirabilis tam neceſſaria eſt Reip. conſeruandæ, atque imperio amplificando, quàm humanæ uitæ gubernationi neceſſariæ ſunt manus. Eadem enim uidetur eſſe ratio uitæ regendæ,& Reip. adminiſtrandæ; ut,quemadmodum in illius felici rectione requiruntur manus, quæ multis, uarijſq. opportunitatibus ſeruiant: ſic in huius proſpera adminiſtratione eorum fortitudine opus ſit, quibus honores, imperia, magiſtratus committuntur. Ac huiuſmodi quidem uirtute ceteræ omnes indigent,quæ pertinent ad Remp. gubernandam, ut parum admodum ualeat magiſtratuum abſtinentia, parum innocentia, parum integritas, parum fides,parum etiam ipſa prudentia, niſi adſit animi magnitudo, quæ ipſam Remp. tueatur. Vererer, ſapientiſſimi Patres, clariſſimi Doctores, ſtudioſiſſimi iuuenes,ne illud, quod dicturus ſum, non nihil lædere ueſtram ſapientiam, ueſtram doctrinam, ueſtra ſtudia uideretur, niſi fretus benignitate, atq. humanitate animorum ueſtrorum ſperarẽ vos mihi daturos eſſe hanc ueniam, ut dicam illud, quod tam verum eſt, quàm quod veriſſimum. In Reip. gubernaculis pertractandis plus fortitudo ſine doctrina,quàm ſine fortitudine valet doctrina. Iam,ſi uerum fateri uelimus,quæ cauſſa eſt, cur litterarum exercitationes potiſſimum in eo requiramus, cui aliquam partem Reip. committamus, quæ præterquàm quòd ſæpenumero homines à publicis adminiſtrationibus abalienant,quantum intereſt inter uerba, & facta, tantum ipſæ differre à fortitudinis operibus uidentur? præclare Demoſthenes in hanc ſententiam; Omnis oratio, ſi res abſint, friuolum quiddam uidetur, & inane. &, Omnis oratio nugatoria eſt, niſi actiones ipſæ conſequantur. Quamobrem pro communi utilitate, atque ornamento in primis agendum, ſudandum, uigilandum, laborandum illis eſt, qui Reip. commodum,& dignitatem tueri, atque augere concupiſcunt; qui ſequuntur rationem uirtutis,non deſidiæ,ſplendoris, non uoluptatis; qui non ſibi ſolis, non ſocordiæ,non

dele-

delectationi: ſed ſuis ciuibus, ſed laudi, ſed gloriæ natos ſe eſſe arbitrantur: cumque litterarum tractatio contemnenda non ſit, quæ maximam uim habet ad charitatem patriæ, ad æternitatem animorum, ad præmia fortiſſimorum hominũ ſuis exemplis, ſuis rationibus concelebranda: ea tamen armorum tractationi, & fortitudini præferenda non eſt; cuius laude uel eruditi, & ſapientes uiri præſtare concupiuerunt. Itaque & Architas, & Meliſſus, & Socrates, & Plato, & Xenophon, ſapientiæ lumina bellicis laudibus floruerunt: & Pericles, & Themiſtocles, & Epaminondas, & Scipiones, & Luculli, & Fabij, & Marcelli, & Cæſares, & Bruti, cum ſapientiæ ſtudijs clarerent, etiam belli fulmina extiterunt: & omnes propemodum confeſſi ſunt, fortitudinis laudem ſapientiæ laude clariorem eſſe, & fortitudinem omnium eſſe dominam, ac reginam uirtutum, quæ in maioribus periculis, & laboribus, magiſq; arduis rebus, quàm ceteræ omnes, uerſetur. Ad hanc admirabilem uirtutem ſummo cum ſplendore, & ornamento exercendam Pius Aeneas Obicius maximas, quibus affluebat, diuitias prope incredibili ſua cum laude, atq; oĩum admirõne ſibi eſſe cõferendas cenſuit. Quare ſuperiori proximo bello Turcico, quo Sereniſſ. Reſp. Veneta ualde eſt perturbata, præterquàm quòd inter illos, qui magnam uim auri ad armandam claſſem, & comparanda militum præſidia Principi obtulerunt, multum & ipſe in publicum contulit, magnaq; liberalitate uſus eſt; cùm Turcica claſsis uel in ipſum Adriaticum ſinum curſum, atq; progresſionem faceret, & non ſolum inſulas diriperet, uerum etiam Venetias ipſas, ſi uictoriam de Chriſtiana claſſe reportaſſet, oppreſſura eſſe uideretur; armantibus ob eam cauſſam prudentiſſimis Venetis litora ſua, & præſtantiſſimo Senatore Vincentio Mauroceno ſummo delecto Imperatore ad urbem tutãdam, ad populum Venetum, ne ad aliquem hoſtilis uictoriæ rumorem tumultuaretur, confirmandum, ad litora cuſtodienda; ſtatim Pius Aeneas Obicius huius Reip. amantiſſimus, ſtudioſisſimus, obſeruantiſſimus, cum magna manu militũ ſuis ſumptibus armatorum & cum magnis, ac prope infinitis impenſis accurrit, præſtantem operam nauaturus, & ſanguinem etiam, ac uitam ipſam, ſi opus fuiſſet, profuſurus,

pluri-

plurimoſq. Turcas trucidaturus, ſi ad litora Veneta accedere potuiſſent. Quo animi deuoti, & fortis edito documento, uiriq. uirtute ex ſermone omnium, & celebritate famæ per ſpecta, & cognita, facile nimirum fuit, ut anno ſeptuageſimo quarto ſupra milleſimum, & quingenteſimum ab illuſtriſſimo Senatu Obicius Ductor equitum cataphractorum eligeretur. Quod munus ipſe ſemper, ut omnibus notum eſt, omniũ ſumptuoſisſime, omnium ſplendidiſſime, omnium honorificentiſſime obiuit. Cumq; duobus poſt annis in locũ Eugenij Comitis Horocenſis, ſummi, ut uocant, Collateralis, qui in Leucoſiæ excidio fortiſſime pugnando occubuerat, ſufficiendus aliquis eſſet, qui tantam dignitatem, quàm digniſſime ſuſtineret, poſthabitis ceteris omnibus competitoribus, quamuis ſtrenuisſimis, Obicius delectus eſt: nec propterea munus Ductoris ei adẽptum: ſed in ampliſſimo uiro omnibus honoribus quàm digniſſimo, & nunquam ſatis honorato duo grauiſſima munera ſimul coniuncta ſunt; ut, quamuis contra exempla, atque inſtituta maiorum eſſe uideretur, plura onera ad unum deferri: tamen illuſtriſſimus Senatus in eiuſmodi perſona tam præſtanti, tam excellenti non conſuetudini, ſed utilitati, & dignitati Reip. paruerit, & ad nouum caſum nouum conſilium accommodauerit, eundemq; Obicium ſimul, & Ductorem equitum Cataphractorum, & ſummum Collateralem eſſe uoluerit. O præclara, decora, & ſingularia ornamenta. Neque uero obſcurum eſt, quantum eius conſilio, eius prudentiæ, eius in re militari perſpicacitati ſemper tributum ſit. Nihil enim fiebat ad rei bellicæ conſtitutionem & locorum cuſtodiam pertinens, quod uel ex publico decreto cum eo, tamquàm uiro prudentiſſimo, & fideliſſimo non communicaretur. Itaque anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo Iacobo Superantio ſummo continentis oræ prouiſori ſocius datus eſt ad propugnacula omnia, militeſq; omnes perluſtrandos: & anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſeptimo Io. Baptiſtæ Montio ſummo pedeſtris militiæ Imperatori adiunctus ad omnes militum delectus perſpiciendos: & ex ſenatus uoluntate ſemper adhibitus ad uniuerſam rem militarem cuſtodiendam. O uirum eximium, & præcellentem,

omnium

omnium gentium, ac nationum litteris, & uocibus celebrādum. O summum Patauinæ ciuitatis splendorem. O Pium uere pium in patriam, & Rempublicam: Aeneam Aeneæ Troiani in ipsa pietate exercenda imitatorem: Obicium obicem hostium, si eo diutius uiuente uti aduersus hostes licuisset. Qui cum ita extinctus sit, ut in uita eluxit, idest, quàm honestissime, anno ipso climaterico plerisque senioribus pernicioso; mortemq; non modo non horruerit, ut horrere omnes tamquàm rerum omnium maxime horribilem solemus; uerum etiam ut uere fortis, uere pius, uere Christianus, pro comperto habens ipsam non esse interitum omnia tollentē, atq; delentem: sed quandam quasi migrationem, commutationemq. uitæ, tam bonis bonam, quàm malis malam, fortissime oppetierit: iustus quidē est illustrissimi senatus mœror in Georgio Contareno illustrissimo præside repræsentatus; iustus uniuersi Patauij dolor; iusta illustrissimæ uxoris Eleonoræ Martinengæ, perillustris filii Roberti, charissimarumq; filiarum acerbitas; iustæ militum querimoniæ, cū suis equis atratis, aliisq; insignibus mœroris, cum suis tubis, & tympanis pene mutis, cum suis uexillis depressis; iusti propinquorum, & amicorum gemitus, & singultus; iusta hæc publici mali facies; iustus huius augustissimi templi habitus lugubris; iuste omnia acerba, omnia misera, omnia luctuosa, unde hæc ipsa officia merito iusta nuncupantur; iuste omnes mœremus propter maximum acceptum detrimētum, propter tanti splendoris priuationem, propter acerbissimum malum nobis illatum morte huius illustrissimi uiri: uerum, cum mors in bonis uiris dux in cœlum esse soleat, ipseq; ob maximas, clarissimasq; uirtutes suas in cœlum ascēdisse his ipsis solemnis Ascensionis temporibus sine dubio credendus sit, ubi sempiterna beatitudine perfruatur; cum ei euenerit illud, quod omnibus mortalibus euenturum est; cum frustra confici mœrore non debeamus; cum ita præpotenti Deo placuerit, ut tanto bono careremus; reuocate animos ad sapientiam, & prudentiam uestram, sapientissimi, & prudentissimi Auditores, mecumq; statuite, quidquid contigerit, in diuina uoluntate semper esse conquiescendum; &, quemadmodum hoc illustre funus maximo concursu uestro

coho-

cohoneſtatis,& hoc inſigne officium ei meritiſſimo præſti-
tiſtis, veſtri in eum amoris, veſtræ obſeruantiæ, veſtræ pieta
tis argumentum : ita cuius conſuetudine amplius frui non
poteſtis, eius ampliſſimum nomen perpetuo in ore habete,
eius virtutes deprædicate, eum imitamini, ad eius ſplendorē,
quantum poteſtis, actiones veſtras conformate: illuſtriſſi-
mam vxorem Eleonoram incredibili quodam dolore, codē-
que iuſtiſſimo confectam honeſta uiri prædicatione conſo-
lamini, etiamſi ipſa ſua ſponte, ſuo conſilio, ſua prudentia,
ſua mentis altitudine multum conſolari ſe queat, excellentiſ
ſimo ingenio matrona, communi omnium iudicio ad regen
dum prope imperium, ne dum familiam gubernandam per
idonea: perilluſtrem filium Robertum amate, qui parentis,
maiorumq. ſuorum ſimillimus erit; qui ueram laudem, ue-
ramq. gloriam in ſola uirtute poſitam ſibi ſequendam ſta-
tuit, qui patriæ decus, & ornamentum afferet: gratiſſimos, &
officioſiſſimos Academicos Oploſophiſtas collaudate, qui
cum eo Duce, & Tutelari vſi ſint, dum licuit, una cum peril
luſtri, & ſapiētiſſimo Comite, Iacobo Zabarella, Philoſopho
per totum terrarum orbem ſuis ſcriptis, ſuaq. doctrina cele
berrimo, mœſtiſſimi adeſſe omnes in funere uoluerunt; ho
norem ſuo præſidi, ac parenti meritiſſimo habuerūt, quem
maximum potuerunt, ſinguli ſingulos cereos geſtando, ſe-
cumq. ducendo ſuos tympanotribas cum tympanis diſſonis,
ſuos tubicines cum tubis flebiter ſtridentibus, ceteroſq; Aca
demiæ adminiſtros cum maioribus cereis; ita funus cohone
ſtarunt una cum cetera funebri pompa, ut ad id ſpectandū
oppletæ ſint undique uiæ, & plateæ, occupati porticus, & fe
neſtræ, factus omnium cuiuſq; generis, ætatis, ordinis, ſe-
xus, fortunæ, conditionis hominum concurſus, & totum Pa
tauium prope ſedibus ſuis conuulſum ſit ad honorandum
ciuem, & patronum ſuum, orationem etiam habuiſſent, ut
ualde optabant, ſi locus datus fuiſſet; denique ad beatam il
lam animam cœleſti, ut certo putatur, beatitudine perfruen-
tem tota mente conuerſi Hector, & Darius Boromei, illu-
ſtres conſiliarij; Marcius Leonius, præclariſſimus Syndicus;
Camillus Capiliſtius, magnanimus Theſaurarius; ceteriq. ge
neroſiſſimi Academici ſic fari uidentur; Petimus à te, Dux,

& Tutelaris noſter illuſtriſſime, pro illa tua ſiugulari, atq. incredibili in tuos ciues, in tuos filios, in tuam Academiam charitate, ut hoc officium, quo erga te hodierno die fungimur, dum maiora præſtare non poſſumus, mitiſſimo illo tuo uultu, & placidiſſimis oculis reſpicias: cumq. maximum lumen tuum, aliena illuſtratione non egeat, laudatuſq. fueris potius, ut ingrati animi crimen uitaretur, quàm quòd laudes tuæ minus paterent, ſatiſq; conſtet, te ab illuſtriſſimis maioribus ortum nequaquam ab illorum ſplendore degeneraſſe, omni uirtute præfulgentem, omni laude prælucẽtem, omni excellentia præſtantem, omni præſtantia excellentem, nos ipſos in primis excuſatos habeas, ſi in hac ornatiſſima populi frequẽtia minime, quod maxime uolebamus, præſtare potuimus, ut plene officio noſtro ſatisfaceremus: tuamq. Academiam, quæ tuo ductu, tuaq. tutela ſemper gloriata eſt, ſemperq. gloriabitur, quæ te orbata te deſiderat, diuq; deſiderabit, quæ illis tamen bonis, quibus te in cœlo perfrui certo credit, ſumme lætatur, præpotenti Deo cum tota patria, totaque familia tua commendare ne deſiſtas.



Habita Patauij in Templo Di. Antonij XI. Kal. Iunias, M. D. LXXXIX.



IN



In Obitu IACOBI ZABARELLAE Patauini

ANTONII RICCOBONI Oratio.



N tam misero, funestoq; malo, Aud. in tanta, tamq; graui iactura, quis non magna animi, & corporis perturbatione commoueatur? Quis lachrymas contineat, cum communem huius Ciuitatis calamitatem ante oculos habeat, & summum Potauij decus; atq; ornamentum in conspectu omnium iacere conspiciat? Quòd, si cetera animantia, cum, quod sibi bonum quoquo modo sentiunt, amiserint, non possunt nõ dolere, & dolorẽ suum uel uoce, uel gestu significant; quid nobis faciendum est, qui, quoniam sumus compotes rationis, intelligimus hoc commune bonũ non uni, uel paucis, sed multis, & nobis omnibus, sed uniuersæ huic Ciuitati, uniuerso Philosophorum Collegio, uniuerso Gymnasio Patauino, immo uniuersæ Reip. Venetæ, immo uero etiam uniuersæ Reip. litterariæ concidisse? Dolendum est, Aud. dolendum: plus enim uno die, una hora, uno temporis momen

mortifero, morale
dannoso. abominevole.

dimostrano.

esser caduto
esser ...

to ablatum eſt,quàm quod pluribus menſibus, & annis, ac ſeculis recuperari poſſe uideatur, dum eũ mors uirum nobis præripuit,quem qui æquent, nedũ ſuperent, non ſolum in tota hac urbe ex uniuerſo ciuium numero nulli, uerum ẽt in toto terrarum orbe cõmuni oĩum iudicio pauci reperiuntur.Heu iaces,magnum columẽ familiæ,& patriæ tuæ. Iaces,Iacobe Zabarella,Comes perilluſtris,extinctus ſtudioſæ iuuẽtuti,quæ te de ſuperiore loco diſputãtẽ frequẽtisſima audiebat: extinctus omnibus Dialecticæ, & Philoſophiæ, quot quot ubique ſunt,ſtudioſis,quibuſcum ſcripta tua,ſane egregia,&præclara, cõmunicabas: extinctus Philoſophorũ Collegio, in quo tamquàm in cœlo ſydus fulgebas:extinctus Senatui Patauino, quem nõ tãquàm Philoſophus ineptus,&nimium ſolitarius,ſed ad publicũ cõmodum,ac dignitatem natus, ſapientiſſimis cõſiliis tuis adiuuabas: extinctus nobiliſſimæ Oploſophiſtarum Academiæ,cui tanquàm parẽs,ac prope Deus oĩum cõmodorum, atque ornamentorũ præſidebas:extinctus propinquis,atq; amicis tuis,quos præſtanti,atq; excellenti opera tua deſtitutos reliquiſti. Lugeãt igitur hunc caſum communiter omnes: defleant hanc miſeriam ſimul ciues,& peregrini:atq; hunc interitum nemo nõ conqueratur, & lamentetur: huncq; præſtantiſſimum uirũ ſic iacentẽ conſpiciens nemo non effundat flumina lachrymarum.Equidem,cum mihi onus impoſitum ſit,ut tanti uiri funus oratione mea exornem,poſteaquàm ueni ad præclara eius decora, & dignitatis inſignia pro uiribus meis celebranda,tã uehementi dolore impedior,ut potius ad luctum, & ad lachrymas me ueniſſe animaduertã.Habeo .n. cõplures dolẽdi cauſſas,non ſolum cum aliis cõmunes, uerum ẽt meas ipſius proprias: non ſolum eo nomine,quòd eius laudes meis expreſſurus uerbis de ipſius uirtutibus diligentius cogito,ac cõmune malum attentiori cogitatione cõprehendo: ſed ẽt nomine tam præſtantis amici mei, quod exercere maximam præſtantiam ſuam ad communẽ hõnum utilitatẽ diutius non potuerit: nomine huius Ciuitatis,quæ cum mihi patria ſit,ſi nõ originis,at ſaltem iuris, quantum mihimet decoris attulit,& ornamenti, tantum dolore ſuo auget dolorem meum: denique nomine meo,quòd imparem oneri in

iuncto

colon – sostentamento, fermezza

morte

male a proposito

dell'armati di sapientia

di autorità di potestà

unĉto me eſſe ſentiam; ut,qui maxime oĩum mœreo, mihi minime omnium loquendum, immo maxime oĩum obmuteſcendum eſſe uideatur. Quid.n.præſtare poteſt animus mœrens,totus moleſtia,atq; ægritudine conturbatus? Verumtamen,cum ad me potiſſimum uentum ſit,cui propter munus, quod obeo,ueteris tradendæ eloquentiæ, aliqua eloquentiæ uis eſſe deberet,angerer profecto mirandum in modũ,Aud. excruciaremq; me, quòd nullam ſatis iuſtam afferre excuſationem quiuerim, quominus hoc onus ſubirem,niſi intelligerem me in eo uerſari argumento,quod omnẽ ſuperat eloquentię excellentiam; ut, ſi nemo eſt tanta præditus eloquentia, qui ſatis pro dignitate queat tanti doctoris laudes celebrare,ne ego quidem,quamuis eloquentiæ ſtudioſus,in magnam admodum reprehenſionem incurrere poſſe uidear, ſi non omnia oratione complecti potuero. Accedit, quòd multa ſunt, quæ ad eius pertinent exornationem,ita nota,& explorata, ut longiori commemoratione non egeant . Cui .n. per Deum immortalem non patet vrbis Patauij,ubi ipſe nobiliſſimo loco ortus eſt, antiquitas,& ſplendor? Quem præterit familiæ Zabarellæ nobilitas, & celebritas? Ac illam quidem tam ſæpe,& tantopere a me non ſolum ex originis vetuſtate, qua vel ipſam ſuperat gentium principem Romam, & ſitus opportunitate,verum etiam ex gymnaſij frequentia,ex collegiorum auctoritate, ex Liuijs, Paullis , Stellis, Flaccis, alijſque celebratiſſimis viris celebratam, nunc ſatis ſit dicere lumen eſſe Mundi clariſſimum totam Italiam,ac totum terrarum orbem doctrina ſua colluſtrans,ne Athenarum quidem claritati cedens clariſſimorum ciuium multitudine , & præſtantia . In hac vero tam multi claruerunt omni laude præſtantiſſimi viri, vt ne longo quidem volumine,nedũ breui orõne,enumerari,nedum exornari poſſe videantur. Prætermittendum tamen non eſt,hanc ipſam ex nobiliſſ.vrbe Bononia originem duxiſſe,& prius ad Saccenſem Comitatum, inde Patauium traductam eſſe. Et.n. præſtantiſſ.Eques Callorius,primum Sabadinus(fuit.n.familia Sabadina vna de nobilibus familijs Bononiæ) deinde Zabarella nuncupatus, in maximis Italiæ motibus anno Chriſtianæ ſalutis octogeſimo ſupra milleſimum, & centeſimum, ſatis diues,& opulentus,

quem-

quemadmodum res ipsa comprobauit, ad Saccense oppidũ se recepit, vt in tuto esset, inualescentibus per totam Italiam factionibus Alex III. Pont. Max. & Frider. Imp. quæ vel post ipsius Pontificis mortem aliquandiu perdurarunt. Neq. uero post Callorium defunctũ in Plebe Sacci anno millesimo ducentesimo duodecimo, eius liberis tutum fuit, domicilium rerum suarum Patauium transferre, sæuiente tyrannide Acciolini. Sed, cum Rolandus eius filius circiter annum millesimum ducẽtesimum vigesimum fuisset religiosiss. Adriæ Episc., Beatiq. Bellini, Episc. Patauini, quem Peninsula Rhodigina sanctiss. habet Tutelarem, miraculorum propagator pijssimus, tandem Carrariensibus rerum potitis post annos mille trecentos, Bartholomæus I. summa illorum beneuolentia, ac prope incredibili adductus studio nobiliss. domiciliũ Patauij collocauit; vbi dici non potest, quàm multi ex familia Zabarella, tamquàm ex fonte vberrimo, profluxerint, omni laudis excellentia, siue rem ecclesiasticam spectes, siue militarem, siue Theologiam, siue Philosophiam, siue ius diuinum, siue humanum, siue alia honesta studia, ornatissimi. Nã, vt omittam Ioannem ordinis Prædicatorum eximium, Theologum summum, cura B. Io. Vicetini, qui fuit Di. Dominici discipulus, in studijs Philosophiæ, & Theologiæ ad excellentiam progressum, anno quinquagesimo vltra millesimũ, & trecentesimum Conuentui Patauino Præfectum, qui quidem & publice docendo, & concionando, & uita, & morib⁹ mira documenta dedit summæ doctrinæ, & virtutis: vt prætermittam Laurentium Bartholomæi I. fratrem, & Francisci IIII. Cardinalis patruum, præsulem religiosissimum, qui ex vita excessit ann. 1396. & Bouolentæ sepultus est, his versibus de eo sculptis.

Huius præsul erat sacræ Laurentius ædis,
Cui dedit egregium iã Zabarella decus:

ut taceam alios quàmplurimos, eosdemq; clarissimos Zabarellas, quos commemorare longissimum esset: duo certe Florentiæ Archiepiscopi, Franciscus, & Bartholomæus II. silentio prætereundi non sunt. Ac ille quidem fuit non solum Iurisconsultus, & interpres, ac scriptor egregius: uerũ

etiam,

etiam Archipresbyter , & Canonicus Patauinus:tum à Con ſilijs Venetæ Reip. nimirum poſt deditam hanc Venetis Ciuitatem ; in qua deditione luculentiſſimam habuit orationem: tum anno octauo ſupra milleſimum, & quadringenteſimum vniuerſi Cleri ſuffragijs Patauij Epiſcopus deſignatus,miſſiſq; Bononiam ad ſummum Pontificem Legatis admirabili ſtudio expetitus,quamuis in cedenda alteri ea dignitate Venetæ Reipu. libenter morem geſſerit, magis contentus, quòd dignus Epiſcopatu agnitus eſſet, quàm ſi Epiſcopatum adeptus fuiſſet,quem Pontifex vel ipſorum Venetorum rogatu Abbatia Prataleæ donauit : mox Florentiæ Archiepiſcopus factus: denique in Cardinalium numerum receptus, ac ſummus Pontifex expectatus.Cum enim à Ioanne XXIII. Pont.Max. ad Concilium Conſtantienſe Legatus miſſus eſſet,& pro Eccleſiæ quiete, atq; tranquillitate incredibiliter laboraſſet, pacemq; Reip. Chriſtianæ optatiſſimã confeciſſet,in locum abdicati Io.Purpurati Patres eũ electuri erant,ſi libera ipſis fuiſſet eligendi facultas,orto impedimẽto ex ſenis additis in illa electione pro ſingulis Nationib⁹, Italorum,Gallorum,Germanorum,Hiſpanorum, atque Britannorum,à quibus Martinus V.eſt antelatus.Merito igitur Vidus Pancirolus Iuriſconſultorum noſtri temporis coryphæus (quem ſane uenerandum ſenem honeſtatis , amplitudiniſq. gratia nominatum uolo)in elegantiſſimo,quem conſcripſit,libro de uita,& moribus clarorum recentium Iuriſconſultorum,eum ſummis laudibus effert , tamquàm iuris Pontificii in Gymnaſio Patauino, & Florentino interpretem celeberrimum : ſcriptorem clariſſimorum commentariorũ in ius Põtificium,&naturalem Philoſophiam, clariſſimarũq; orationum,atq; epiſtolarum: oratorem ſummum ad grauiſſima negocia pertractanda adhibitum:non ſolum ad Archiepiſcopatus , uerum etiam ad Cardinalatus dignitatem ob ſummã ſapientiam ſuam euectum : Cardinalium ſtudio dignum habitum Pontificatu ante Martinum V. denique Cõſtantiæ, quæ urbs eſt Magũtinæ Prouinciæ,ubi ſacra Synodus celebrabatur,mortuum , maximo oĩum mœrore,ac prope incredibili uel ipſius Sigiſmundi Cæſaris dolore,qui grauiſſima ſua præſentia,& Cæſarea Maieſtate eius funus cohoneſtare.

neſtare grauatus non eſt, tunc cum Pogius Florentinus, uir diſertiſſimus, eum in funere laudauit. Alter uero Florentiæ Archiepiſcopus, ex Andrea Franciſci fr. ortus, iuris quoque Pontificii in Gymnaſio Patauino præcellentisſimus explicator, cum fuiſſet, ut appellant, Referendarius Apoſtolicus, & Archiepiſcopus Spalatinus, atq; in Concilio Florentiæ celebrato rẽ eccleſiaſticam mirabiliter adiuuiſſet; ſummo Pontifici Eugenio iv. ita charus erat, ut ab eo in Cardinalium numerum ſine dubio cooptandus eſſe uideretur, niſi, dum eſſet in Hiſpania Legatus, immatura morte ablatus fuiſſet. Atque hic ille fuit, qui, dum Archipresbyter, & Canonicus eſſet, nobiliſſimam aram in Principe Eccleſia Patauina Deo Opt. Max. ſanctiſq; Apoſtolis dicauit, idoneaq; dote ornauit, ac Sacellum ab Epiſcopo, Canonicorumq; Collegio impetrauit, ubi familiæ ſuæ ſepulchrum conſtitueretur. In qua quidem ara Antonia Franciſci ſoror, & Bartholomæi amita, celeberrimam illam Beatiſſimæ Virginis imaginem, legatam Eccleſiæ, collocandam mandauit; quam in populi ſupplicationibus eductam, aut magnorum, & aſſiduorum imbrium per Deum, cum opus eſt, expultricem, aut humidi temporis effectricem, uniuerſa hæc ciuitas merito ueneratur. Taceo Zabarellam Andreæ iij. filiam, quæ quidem experta, quantã calamitatem ſenilis ætas ſecum afferat, iugera, & domos magnæ æſtimationis in ſingulos annos ei, qui in familia Zabarella ſenior eſſet, in perpetuum legauit. Floruerunt & alii permulti in familia Zabarella Iuriſcõſulti præcellentisſimi; & præcipue Bartholomæus III. qui propter excellentem præſtantiam ſuam fuit tum Florentiæ Præfectus, tum Ferrariæ Prætor: & Marinus in hac ipſa Ciuitate Decretorum interpres egregius, cuius quidem cum effigie marmoreum monumẽtum ſpectatur in hoc auguſtisſimo templo ad ſacrarium: & poſterioribus temporibus M. Antonius, Eques perilluſtris, qui & ipſe in patria ſua multis annis ius Pontiſicium cum maxima ſua laude explicauit: & tam multi alii, ut enumerari uix, aut ne uix quidem poſſe uideantur. Quid commemorem Zabarellas armorum decore inſignes, atque inter ceteros Petrum huius nominis III. qui & Patauii dominãte Franciſco Carrarieſi poſteriore, cuius ſororius fuit, militum

Præfecturam

Perfecturam ſplendidiſſime geſſit:& Patauij poteſtate ad Sereniſſimã Venetã Rep.traducta,prim⁹ fuit BrixiæPræfectus? Neque uero hic ſolus fidelitate,atq; obſeruãtia VenetæReip. ſatisfecit:ſed & ceteri oẽs,& in primis Iacobus III. iuris diuini,atque humani conſultus,& eques;qui,cum anno nono ſupra milleſimũ,& quingenteſimũ res Veneta ita ferret, ut ex Vrbe Patauio cedendum eſſet, relicta patria, liberis,atq; opibus ſuis, una cum urbis Præſidibus , ceteriſq; nobilibus Venetis nauim conſcendit,Venetiaſq; ſe contulit, neque ante ſuis ipſius rebus potiri curauit,quàm Patauium in Venetorum poteſtatẽ eſt reſtitutũ. O ſũmã familiæ Zabarellæ in nomen Venetũ propenſionẽ;quæ ſimul cauſſa fuit, cur in illa memorabili uictoria ad Echinadas de Turcis relata ãno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo inter fortes illos,& animoſos , qui honeſtam uitam cum glorioſa morte cõmutarũt, numeratus ſit Petrus Zabarella, qui proaui ſui ueſtigiis inſiſtens ſuis ipſius ſumptibus claſſẽ ſecutus pro VenetaRep.& Chriſti fide ſibi oĩa pericula ſubeunda eſſe exiſtimauit.Quid recenſeam huius benignitatem familiæ in ſuos domeſticos,atque familiares,ut uel ſuo nomine,atq; Inſigni donauerit eximium Theologum Paullum Zabarellã,ordinis Eremitarum S. Auguſtini,qui poſtea fuit Epiſcopus Argolicenſis,cuiuſq. honorificum ſepulchrum cernitur in Eccleſia ipſorum Eremitarum? Quid dicã opes , & copias eiuſdẽ familiæ, quæ tot illuſtres uiros alere ſemper potuit , uſque adeo , ut cum anno milleſimo quadringenteſimo uigeſimo primo iuſſu Veneti Senatus bona Patauinorum ciuiũ cẽſerẽtur,ſeruata eadẽ ratione,quæ dominãtib.Carrarienſibus fuerat inſtituta,ut de ditioribus quattuor,de mediocrib. totidem,de tenuiorib. itidẽ quattuor cenſum facerent, Ioannes Zabarella inter opulentiores fuerit numeratus? Neque ſane diuitijs,atque opibus abundare non potuerunt Zabarellæ, quippe qui non ſolum Carrarienſibus,ſed etiam Polentanis affinitate fuerunt,neceſſitudineq; coniuncti.id quod cũ alijs monumẽtis Aquila , quã in gentilitio Inſigni pictã gerunt,à nobiliſſima illa familia,quæ Rauẽnæ dominatũ diu obtinuit, accepta ſignificare ſatis uidetur.Quid alia huius familiæ decora,atq; ornamenta enarrẽ, quã cõſtat plurimis ſẽp omni

Q genere

genere laudis præſtantiſſimis uiris fuiſſe affluentiſſimã, atq; adeo numeroſam, ut in omni honeſto uitæ genere plures sẽp habuerit excellentes? Ignoſcite mihi, Zabarellæ generoſiſſimi, ſi nunc neceſſe habeo & maximũ numerũ maiorum ueſtrorum pp breuitatẽ tẽporis prætermittere: & uos ẽt oẽs, qui uiuitis, ſilentio præterire, religioſiſſimos Archipresbyteros, magnificẽtiſſimos Equites, perilluſtres Comites, præcellentiſſimos Doctores, oĩum generum præſtantiſſimos Heroas: cum.n. me paullo ꝓuectum à portu longius in altum ſubitus quidam de quibuſdam maioribus ueſtris dicendi æſtus abduxerit, nunc ad ſe uocat, & impetu quodã rapit orationem meam is, cuius gratia ipſa inſtituta eſt, Iacobus Zabarella, Comes perilluſtris, uir ſapientiſſimus, Philoſophus per uniuerſum terrarum orbẽ ſuis ſcriptis, ſuaq; doctrina celebratiſſimus; qui ſplendore quidem generis ueſtri multum eſt illuſtratus: ſed plus generi ueſtro luminis attuliſſe, quàm ab eo accepiſſe ſine dubio uidetur. Is originem trahens à Iacobo IV. illo, qui propter maximas, clariſſimaſq; uirtutes ſuas à Maximiliano Imperatore factus eſt Comes cum filiis, & poſteris omnibus primogenitis: clariſſimo Parente natus, Comite Iulio in equeſtribus certaminibꝰ præcellentiſſimo, non ſolum eã linguam optime tenens, quã ſibi Etruſci nunc uendicant, una cum Hiſpana; uerum ẽt litteris doctus tum latinis, tum græcis, tum hebraicis; tanta memoria præditus, ut multos uerſus ſemel auditos memoriter recitaret: cum intelligeret, duabus potiſſimum rebus hominem prope ad Dei conditionem accedere, ueritatis cognitione, & rerum adminiſtratione, eam uitæ rationem iniuit, ut ſe Deo, quantum fieri poſſet, ſimillimum efficeret; & quotidianis laboribꝰ, atq; aſſiduis uigilijs ſuis quàmmaximam ſapientiam cõpararet, ſimulq; ad humanas actiones, ad familiæ gubernationem, ad Reip. munera obeunda aptiſſimum redderet. Cognitio.n.cũ actione cõiungenda eſt. quod cum appareat exemplo præpotentis, & ĩmortalis Dei, ẽt Philoſophus, qui ſe ad Dei imitationẽ, quantum poteſt, conformat, ſimul cõtẽplatur, & agit: ẽt Iacobus Zabarella, qui ab ineunte ætate ad Philoſophiæ excellentiam feliciſſime animũ appulit, cũ ſtudio cõtẽplationis ſtudiũ cõiunxit actionis. Etenim Deus, cũ oĩa intelligat, & uideat,

deat, oīa ēt procurat, & moderatur; idcircoq; non solum sapientissimus, sed ēt optimus, & maximus nuncupatur. Quā rerum procurationem cum diuina sapientia coniunctam sūmus Philosophorum declarauit Plato, cum scripsit, Deum per secundas caussas globos cœlestes impellere, & afflatu suo in aīmis hōnum tum contemplandi, tum agendi artem excitare: cum tradidit, eundem per Prometheum homines illustrasse, per Epimetheum belluas exornasse: cum commemorauit triplicem diuinam prouidentiam, unam nniuersalio rem sūmo Deo tributam, alterā minus uniuersalē in mentibus globorū cœlestium cōstitutā, tertiā singularē ad bonos dæmonas pertinentem. Quid dicā de Philosopho? libenter loquor de philosopho, Aud. quia in summi Philosophi laudibus uersor. Nonne philosophus ita philosophatur, ut & intelligat, & agat? nonne eius officiū positum est tā in rebus diuinis, quoad eius fieri potest, cognoscendis, quàm in humanis gubernandis? nonne ita contemplandi rationem sequitur, ut agēdi munus deserere ne uideatur? Et uero philosophus non solum absolutā, & perfectam boni nām contēplatur: uerum ēt ad id bonum oēs hōnum actiones confert; atq; in illo quidem munere obeundo uirtutum omnium regina utitur sapientia: in hoc autem altero adhibet prudentiam, & iustitiam. nam ut contemplatio sapientiæ propria est: sic rerum procuratio à duabus uirtutibus pendet, quarū altera suis docet consiliis, quomodo homines tum ad bonū adducantur, tum à malo abducantur, & prudentia dicitur: altera humanas temperat affectiones, & actiones, iustitiaq; nominatur. Itaq; sapientia bonum inuenit: prudentia hominum animos ad bonum dirigit: iustitia homines ipsos rē domesticam, & publicam ad bonum perducit. O admirabilem cognitionis, & actionis societatem. Qua quidem societate Iacobus Zabarella ita semper est delectatus, ut nunquam illorum factum probauerit, qui toti in litterarum studiis abditi nihil ad ciuium suorum salutem, & commodum hauriunt; dumq; otium complectuntur, omne negotium spernunt; & imitantur Carneadem, quem mirifice doctrinæ operibus addictum etiam cibi capiebat obliuio: imitantur Archimedem, qui nomen suum indicare, ne tum quidē,

cum maxime necessarium esset, potuit: imitantur Democritum, qui se occæcauit, vt quàmminime animus à cõtẽplatione abduceretur: imitantur alios stultos Philosophos, qui stultitia sua apud ineruditũ vulgus eruditorum nomen sunt consecuti. Non sic Iacobus Zabar. sed ita contemplatus est, ut humanas non desereret actiones: ita egit, vt suis temporibus contemplaretur. O virum vere natum ad contemplandũ, & ad agendũ. O Philosophum ad Dei imitationem probe effictum, & conformatum. O pulcherrimũ summi Philosophi exemplum oĩbus sapientiæ studiosis imitandum. Iamuero cũ in studijs Dialecticæ, & Philos. plurimũ profecisset, & admirabilem cursum, atq; progressionem fecisset ad excellentiam, annos natus viginti, cum maxima vniuersi Philosophorum Collegij admirõne, probata cõiter eius præstantia, & data illustri significatione futuri progressus ad oẽm litterariam dignitatẽ, Philosophi insignia est consecutus: nec, posteaquàm Philosophus renunciatus est, desidiæ se dedit: sed quasi nihil sciret, qui tamen alios docere posse fuerat declaratus, tamq̃ Socr. Anaxag. Emped. qui nihil se scire profitebantur; tamq̃ Democr. qui ueritatem in profundo demersam esse dicebat: tamquàm Arcesilas, qui ne illud quidem se scire aiebat, quod sibi exceperat Socr.; recordatus, quod scripsisset Plato, maiorem esse hominis ignorantiam, quàm scientiam; non oblitus, quod tradidisset Arist. illam, quàm hanc esse magis propriã hominis; memoria tenens, quod testatus esset Themistius, maximam partem eorum, quæ scimus, minimam esse ad ea, quæ ignoramus; ita totis viribus, totis neruis, tota animi, & corporis contentione sapientiæ studia secutus est, ut per totos decem annos in Logica facultate diligentius excolenda, in Philosophia accuratius pertractanda, in rerum caussis altius peruestigandis summopere elaborauerit; tandemq; anno ætatis suæ trigesimo, tamquàm præcellentissimus Logicus, & Philosophus, illustrissimi Senatus Veneti decreto adhibitus fuerit ad Logicam primum, deinde Philosophiam publice interpretandam. Quo quidem publici interpretis munere sex, & uiginti annis cum summa gloria perfunctus, dici non põt, quàm honesto auditorum concursu fuerit semper auditus, quos tamquàm filios, vel fratres vnice diligebat,

nomi-

nominatim ſalutabat,& ad præclara litterarum ſtudia aman tiſſime hortabatur;quantam auctoritatem habuerit inter au ditores ſuos, quem aſpectabant,cuius ab os oẽs ora obuerte bant ſua:quantas eorum aſſenſiones,quantas admirõnes,quã tos applauſus reportauerit, vt,quemadmodum apud Pythagoreos illos,contra quamlibet firmiſſimam rõnem plurimũ valebat illud, Ipſe dixit:ita ipſi oẽs Iacobum Zab.tamquàm Pythagoram colerẽt. Optimã aũt Philoſophandi rõnem non ignorans,nunquam egregium ſe Philoſophum fore exiſtima uit,niſi optime ſciret eam facultatem,quæ efficit,vt homo ve re Logicus,& ratione utens,ac uerus,& nõ homonymus ho mo appareat;qua qui præditus eſt, ex recta ſcit ratione loqui,rem definire, genera diſpartire, de unaquaque re argumentari,uera,&falſa diiudicare.Itaque cum is,qui excellit in Logica,ſimul excellere poſſit in Philoſophia,non eſt mirum ſi ex maximo Logico maximus Philoſophus factus ſit. Neque uero ita philoſophatus eſt,ut ſe Chriſtianum ẽẽ obliuiſceretur: ſed oĩa ad Chriſtianam ueritatem referebat; ſẽpq. chriſtianam pietatem cum humana ſapientia coniungebat; nec minus bonus,quàm doctus & uideri,& eſſe cupiebat,exẽplo Socratis,Xenophontis,Platonis,Xenocratis, Calliſthenis; exẽplo Epicteti, Plutarchi, Muſonii ; exemplo aliorum, qui quidem non minus morum probitatem ; quàm doctrinam profeſſi ſunt ; immò exemplo Patrum ſanctiſſimorum : ita .n. pie, ita Chriſtiane ſe geſſit,ut & ſingulis ſaltẽ mẽſib. ſanctiſſimum Euchariſtiæ corpus ſumeret;& ſingulis diebus dominicis intereſſet piis congregationibus,quæ apud reuerendos Patres Ieſuitas fiunt;&quotidie duarum, uel trium horarum ſpatio genibus flexis ad Deum pias orationes haberet. Cumq; in omnibus Philoſophiæ partibus excellentiſſimum ſe oſtenderit: dici tamen non poteſt , quantum excelleret in Aſtrologia,& futurorum euentuũ p̄dictione, quoad incerta rei natura,& Catholicæ ſidei præſcriptum pateretur:quantum in obſeruatione illorũ igniũ ſẽpiternorũ , quæ ſydera, & ſtellæ nuncupantur: quãtum in cognoſcendo motũ illarũ ſtellarum errantiũ,quas non ĩmerito Fridericus I. maximus Imperator familiæ Zabarellæ ꝑ Inſigni cõceſſit,ut maximus eius ſplẽdor ſignificaretur;quaſq; merito Iacobus Zabarella

contem-

cõtẽplabatur, tãquàm in familiæ ſuæ Inſigni ſibi propoſitas cõtẽplãdas, ad principatũ celebri gradu currẽs in Rep. litteraria, Familiæ Zabarellæ maxime cõgruẽtem, ẽt per Leonem, ẽt per Aquilam in eodem Inſigni egregie ſignificatũ. Hic, ut omittam eo duce, atq. auctore in ſtudijs Philoſophiæ quàmplurimos, ac prope innumerabiles iuuenes ad excellentiam peueniſſe: ſilentio certe non ſunt prætereunda ſex immortalia eius opera, ſignata ad gloriam ſempiternam, pleraq; ſæpe uel in longinquis, & remotis regionib. edita, ac oĩa ſæpius edenda, primum Tabulæ Logicæ: deinde Opa Logica: præterea Cõmentarij in duos Ariſt. libros Poſter. Analyt. tum de Ordine doctrinæ Apologia: tum de Conſtitut. nãlis ſcĩæ liber: deniq. triginta libri in Nãlem Philoſophiam nunc typis impreſſi, nondum quidem publicati, ſed cum maximo ſtudioſorum commodo, atq; incredibili ad eius gloriam acceſſione propediem diuulgandi. O Philoſophum laborioſiſſ. nunquã ſatis defeſſum ad cõem ſtudioſorum vtilitatem. An vero, cũ publicæ diſceptationes eum maxime impedirent: cum priuatæ lucubrationes eum ualde occupatum tenerent; idcirco ipſe à rei familiaris gubernatione, à patriæ ſuæ adminiſtrõne videtur ſe abduxiſſe? Minime vero: ſed tempora ita diſpertiuerat, ut præter ſomnum vitæ neceſſarium, & eum perbreuem (imitans.n. Demoſthenem dolebat, ſi quando opificum antelucana forte ſe uictum eſſe induſtria aĩaduertiſſet) præter diuina officia, quæ nunquam vlla de cauſſa intermittebat; partim daret præclariſſimis ſtudijs ſuis, & librorum ſcriptionib⁹: partim publicis explicationibus, & auditorib⁹ ſuis omni ſtudio, atq; opera adiuuandis: partim vero rei domeſticæ procurõnibus, tamquàm bonus Oeconomus, tum domi, tum ruri liberalem, & ingenuam operam nauans: partim vero ẽt patriæ ſuæ functionib⁹, tamquàm perfectus Politicus, modo ad vtilia huius Ciuitatis Sapiens Deputatus; modo grauiſſimis de reb⁹ Legatus; modo hoc, modo illud publicũ munus præclare gerens; modo bona ad celeberrimam illam arcam Di. Antonij glorioſiſſ. pertinentia, diligentiſſime gubernans; modo illuſtri Academiæ Oploſophiſtarum egregia documenta præbens ad ſingularia immortalitatis præmia conſequenda; modo hoc, modo illud agens; & nunquam quieſcens. Hæc eſt

uera

vera philoſophia ſimul contemplari,& agere.Hæc vera felicitas,non ſolum rerum conſideratio,ſed etiã adminiſtratio; oĩnoq;,vt tradebat Philoſophus,actio animi rõne vtentis ex virtute perfectiſſima in uita perfecta . Hæc ſimilitudo Dei, quoad humana natura patitur. Hæc illa Philoſophia , quæ non ſolum eorum oĩum,quæ ſunt,affert cognitionem ; non ſolum humana percurrit,& vſq. in cœlum penetrat contemplatione;non ſolum mentem reuocat à ſenſibꝰ,aĩum abducit ab inanibus voluptatibus,hominem conuertit ad ſui cognitionem,ad cœleſtium mentium imitationem,ad Dei meditationem,ut ipſe in ſe moriatur,in Deo reuiuiſcat:verum ẽt humana oĩa gubernat,& oĩs doctrinæ,omniſq; virtutis ſtudiũ continens eam perfectionem,atq; abſolutionem habet,vt merito ars artium,& ſcientia ſcĩarum ſit nuncupata.In hoc tam præſtanti ſtudio Iacobus Zabar.cum mira documenta dediſſet præſtãtiæ ſingularis;eiuſq; ætas(vt verbis Ciceronis vtar) ſeptenos octies ſolis anfractus,redituſq; conuertiſſet; duoq; hi numeri,quorum vterq; plenus alter altera de cauſſa habetur, circuitu nãli ſummam ei fatalem confeciſſent ; dum in eum, atq. eius nomen tota hæc ciuitas erat conuerſa; dum eum Collegium Philoſophorum,eum Gymn.Patauinum,eũ doctores,& ſtudioſi oẽs,tamquàm de cœlo delapſum intuebantur; heu nobis morte præreptus eſt; heu clariſſ.lumen extinctum eſt;heu miſerabilis rerum humanarũ conditio non tulit,vt qui immortalitatem nominis ſibi comparauerat, immortali vita frueretur.Hoc igitur tanto, tamq; excellenti bono amiſſo, quis non doleat, quis non lugeat, quis mortem hanc non deploret,cum talem, tantumq; virum ſic iacentẽ conſpiciat , qui hanc ſuis ciuitatem virtutibus tam mirifice adornabat? Equidem, dum diligenter mecum reputo, quanta in obitu huius præſtantiſſ. doctoris iactura facta ſit, vix me contineo,quin doloris impetu confractus penitus lachrymis diſſoluar. Si tamen recto mentis intuitu,quantis calamitatibus,& miſerijs obnoxia ſit vita humana,perpendo,id iudico,quod veriſſimum eſt,nihil ei mali accidiſſe,quòd ex hac non uita,ſed morte potius ad meliorem,& ſecuriorem vitam pertranſiuerit,& ad ea ipſa aſtra,quæ ſolitus fuerat ſæpenumero contemplari, à Deo immortali euocatus ſit. Credendum

dum enim eſt, cum tam piam, tamque innocentem uitam vixerit, cum tam pie, tamque ſancte mortuus ſit, cum anteactæ uitæ omnino ſimilem mortem obierit, fortiſſime, libentiſſime, vno uerbo Chriſtianiſſime, ne minimam quidem euadendi, dieſque ſuos diutius protrahendi cupiditatem oſtendens, ſed in uoluntate Ieſu Xp̄i prorſus acquieſcens, cuius imaginem vt in corde ſculptam uiuens gerebat, ſic in manib. moriens conſtrictã tenebat; pro certo inquam habendum hunc præſtantisſimum uirum, poſt talem uitam, talemq; mortem ad feliciorem ſtatum traductum eſſe; qui ſatis quidem ſibi uixit, ſatis gloriæ ſuæ: cum aũt non nobis ſatis, nec familiæ, & patriæ ſuæ ſatis eum uixiſſe exiſtimemus, æquiori tamen animo id ferendum eſt: nam ſuis incommodis in amicorum bonis grauiter angi non amici eſt, ſed ſe ipſum plus nimio, & plus, quàm decet, amantis. Quamobrem, ſi nos eum, dum uixit, uere amaſſe uideri uelimus, ne perpetuam felicitatem ei inuidiſſe uideamur, modum mœrori imponamus; eius clariſſimas uirtutes, ut debemus, imitemur; eius maximas laudes perpetuo celebremus; eius generoſos filios, illuſtrem Comitem Iulium, magnanimum Antonium, ſummè ingenioſum, & alta mente præditum Franciſcum, qui ſingulare certe exẽplum habent ad imitandum, incredibili quodam dolore, eodemq; iuſtiſſimo, confectos, quantũ poſſumus, conſolemur. Vos uero præſtantiſſimi Academici, qui omni officio, omniq; pietate erga præclarisſimum Præſidem ueſtrum uſi fuiſtis: qui abunde muneri ueſtro ſatisfeciſtis: qui maximum dolorem præ uobis fertis: qui mœſtiſſimi oẽs adeſſe in funere uoluiſtis: qui quàmmaxime, & peregregie perilluſtrem Tutelarem ueſtrum honoraſtis; hanc cum filiis, & propinquis eius conſolationem percipite, quòd ipſius nomen inter homines ſit immortale, quòd ipſius animus in cœlo, ut nobis perſuaſisſimum eſt, beatitudine ſit fruiturus ſempiterna.

Habita Patauii in templo Di. Antonij V. Kal. Nouembris
M. D. LXXXIX.

DE



DE LAVDIBVS DI. THOMAE.

ANTONII RICCOBONI Oratio.



VEMADMODVM notum, atq exploratum eſt, Aud. ornatiſſ. Nilum ad illa, quæ Catadupa nominantur, tantum ſonitum edere, dum ex altiſſimis montibus ſe præcipitat, vt gentes, quæ illum locum accolunt, propter illius ſonitus magnitudinem obſurdeſcant; aduerſoq. Sole oculorum intuitum ſuperari, & eius radijs aciem noſtram, ſenſumq. vinci; ac tantum eſſe numerum illorum ignium ſempiternorum, quæ ſydera, & ſtellæ nuncupantur, vt dinumerari à nobis nullo modo queant: ſic notiſſimum, atq. exploratiſſimũ eſt, ſonitu illuſtris, ac peruagatæ famæ multorum, & magnorum, quæ beatiſſimus Pater, Di. Thomas Aquinas, in Rép. Chriſtianam contulit, beneficiorum ita aures omnium compleri, vt obſurdeſcere quodammodo videantur; quod etiam de harmonia cœleſti doctiſſimi homines cenſuerunt; eiuſq. ſplendorem, & claritatem omnium oculos perſtringere; ac tam multas eiuſdem, & tantas laudes exiſtere, ut omnem ſu-

perare dinumerationem , atq; amplitudinem existimentur . Quo factum est, ut ad magnum sonitum in omnes terras longe, lateq. resonantem vel gymnasii Patauini Doctores quodammodo surdastri facti sint; iisdemq. in tanto lumine oculos defigere hoc anno adhuc reformidauerint; ac res enumerari innumerabiles, quæ ad exornandum tantum virum conferri possunt, quasi superuacaneum duxerint. Quod sine dubio magnam indicat reuerentiam, & uenerationem hominũ existimantium beatissimum virum huiusmodi non egere exornatione, omnemq. orationem eius immortalibus, ac diuinis meritis inferiorem esse; satiusq; haberi res tantas non laudare, quàm frigide laudare: omnia enim verba, quantumuis ornata, frigescere videntur ad exprimendum ardens, & flagrans tum religionis, tum doctrinæ studium, quo uir sanctissimus ferebatur. Verumtamen, cum animi ingrati sit, eò nihil reddere, quia minimum possis, vel quia minime egere eum, qui benefecerit, intelligas; fateamur quidem, quod uerum est, Aud. præstantissimi, non posse nos maximis, clarissimisq. Di. Thomæ virtutibus vlla respondere orõne, quiq. in cœlo beatissimus æuo perfruitur sempiterno, & cœlestia potius, quàm humana spectat, humana eum gloria vacare posse: sed nihilominus faciamus, quod possumus; ad clarissimã eius famam, quamuis surdiores, acclamemus; eius lucem si intueri aduersam non licet, at saltem transuersam, & obliquã intueamur; eius laudes, si fieri non potest, vt omnes enumeremus, at certe admiremur; eius memoriam prædicatione colamus sempiterna; antiquum institutum retineamus quotannis in eius honorem conueniendi ; morem non omittamus eius nomen si non pro dignitate, at saltem pro viribus celebrandi. Quod munus mihi delatum , libenterq; à me susceptum, vt pro dignitate obiretur, & angelicus doctor laudaretur, angelica uoce opus fore animaduerto; magisq; confugiendum esse video ad diuinum auxilium, & sanctissimi uiri præsidium, quàm ad ullam humanam dicendi facultatem : quòd multi quidem de viro sanctissimo scripserint, unde multa colligi ad dicendum possint, atq. inter ceteros posterioribus temporibus Hieronymus Vielmius, primum Argolicensis, deinde Aemoniæ Episcopus religiosissimus, qui pro do

ctrina,& ſcriptis Di. Thomæ duos libros in lucem, atq. aſpe ctum hominum produxit: ſed omnia leuia futura ſint, niſi ad rem diuinam pertractandam diuinus afflatus acceſſerit. Quamobrem humana ope minime ſufficiente, ad te, ſanctiſſime Pater, me conuerto, atq; in te, tamquàm in numen mihi propitium, intueor, vt mihi adſis, & ita faueas, ut, quemadmodum vitæ præceptor, & doctrinæ magiſter plurimos adiuuiſti, ſic tua immortalia in genus humanum merita commemorare non prorſus indigne queam. Etenim Di. Thomas, Aud. ornatiſſimi, ad hominum commoda eſt natus ex vrbe Aquino, primum celebri in Italia municipio lege Iulia facto, deinde nobili Romanorum colonia à III. viris Lepido, Antonio, Octauio conſtituta, & ex illuſtribus parentibus Landulpho Comite Aquinate, & Theodora patritia Neapolitana; qui tum patriæ, tum familiæ ſplendore illuſtratus, non in nimio ſibi ocio, atq. deſidia elangueſcendum putauit, nec ſe voluptati dedit, ſed, quod Troianorum proceres in Helenam facere voluerunt, id ſibi quoq. in voluptatem faciendũ exiſtimauit. Narrat enim Homerus, optimus auctor, cum Helena fœminarum pulcherrima, ut ore omnium tritum, ac peruulgatum eſt, ab Alexandro fuiſſet rapta, & ad Troiam perducta, illos maxima ipſius pulchritudine obſtupeſcentes ſummopere ſuaſiſſe, vt illa ipſa, quæ Deas immortales præſtanti corpore, & oculis, atq. ore repræſentaret, dimitteretur, clamantes, ni ita fieret, illam fore Troianis maximo detrimento. Sic Thomas omnem à ſe dimiſit voluptatem, probe intelligens, illam virtuti maxime inimicam eſſe, boniq. naturam fallaciter imitando adulterare. Cuius rei clariſſima dedit documenta, & quidem clariora, quàm quondam dediſſe Xenocrates commemoratur. Siquidem Xenocrates apud Phrynen ſe tamquàm ſtatuam omni ſenſu carentem oſtendit. At Thomas, poſteaquàm in ſacrum Prædicatorum ordinẽ cooptandum ſe dedit, inter alia multa ſibi ad labefactandum caſtum, atq. incorruptum animum obiecta, ut mulierem uidit multis illecebris ad ſe proficiſcentem, non ſenſu uacuum, ſed maxime ſentientem ad illam magna cum ſanctitate depellendam ſe præbuit; ſemperq. aduerſus omnem libidinem mirifice ſe geſſit; quòd à Deo Opt. Max. id ei datum eſſet, ut o-

mnis expers libidinis exiſteret, atq. hoc modo caſtius,& incorruptius ipſum Deum, uniuerſumq. mundum contemplaretur,& ad rerum diuinarum,humanarumq. ſtudia magis idoneus comperirietur. In quibus, dici non poteſt, ipſe quàm mirabiliter excelluerit. Optimam enim tenuit ab ineunte ætate ſtudiorum rationem,ut non ſe inſolentius iactaret, nec ea ſe ſcire profiteretur, quæ ignoraret, nec, priuſquàm didiciſſet, ſermonem ſuſtinere,& inconſultius,atq. imperitius diſputare auderet, ſed in audiendis doctoribus, & exercendis optimarum artium ſtudijs miro ſilentio vteretur, ac Pythagoricam dicendi conſuetudinem ſequeretur. Memoriæ enim proditum eſt, Pythagoram,quos in ſuam recepiſſet diſciplinam,iuſſiſſe certum temporis ſpatium tacere,atq. aliud alijs tempus pro æſtimato ſolertiæ captu conſtituiſſe, nec minus cuiquam,quàm biennium præſcripſiſſe,quo ipſo tempore qui tacebant,quæ ab alijs dicebantur, audiebant, neq; percontari,ſi parum intellexerant,neq. inueſtigare,quæ audiuerant, fas erat,quò eſſent diligentiores. Hoc præclaro Pythagoræ inſtituto Thomas mirum in modum delectabatur; tacitus, & quietus in doctrina doctorum ſuorum conquieſcebat; diſputantibus alijs, & inter ſe magno clamore altercantibus ipſe tacebat,ac diſcebat; quoniamq. raram admodum uocem emittebat,ideo in Scholis ab æqualibus, & condiſcipulis ſuis bos eſt nuncupatus; immerito quidem ex praua illorum cogitatione,qui eum tamquàm mutum,& elinguem reprehendendum opinabantur,ſed ex ſimilitudine nō ſine aliqua ratione,quòd tacitus, & quietus eſſet, tamquàm bos manſuetus,atque modeſtus, de quo illa vox percelebris eſt;Hic bos mugitum edet, qui per uniuerſum terrarum orbem audietur. O præclaram bouis appellationem, maxime dignam,quæ Patauino etiam gymnaſio tribueretur,ut ſcilicet illa taciturnitas, atq; illud ſilentium denotaretur,quod in audiendo,& diſcendo adhibitum uiam aperit ad nominis immortalitatem. Habetis igitur, iuuenes ſtudioſi,à viro ſanctiſſimo exemplum pulcherrimum ad imitandum,ut in præclaris ſtudijs veſtris caueatis in primis à corporis uoluptatibus, communibus homini cum belluis,ac partim puerilium oblectamentorum ſimilibus, partim cum magno dedecore, ac

turpi-

turpitudine coniunctis; vt doctoribus veſtris doctrinæ modum non præſcribatis, ſed ab eorum arbitrio prorſus pendeatis; vt Pythagorico magis ſilentio, quàm liberiore, atque audaciore ſermone oblectemini, ac taciturnitatem, & modeſtiam in diſcendo, & audiendo adametis. Ac operam quidem dedit Thomas per annos multos Alberto illi Magno, à quo præter editos in ſacras litteras commentarios, recondita, & abſtruſa quàmplurima in rerum natura inueſtigata ſunt, mirabilemq. curſum, ac prope incredibilem progreſſionem fecit ad omnem doctrinæ excellentiam. Tametſi.n. Theologiã in primis appetebat: tamen, cum intelligeret, multum præſidij afferre Philoſophiam ad ſacras litteras perdiſcendas, eãq. ad rerum diuinarum abdita, & penetralia patentem aditum eſſe, tam ſtudioſe omnem Philoſophiam cognouit, ut eam quoq. clariſſimis commentarijs potuerit illuſtrare. Doctiſſimas .n., & luculentiſſimas ſcripſit explicationes in Logicã facultatem, in Naturalem Philoſophiam, in Metaphyſicam diſciplinam, in Ethicam, Oeconomicam, Politicam, cum aureis illis opuſculis, quæ ſapientiæ ſtudioſis plurimum oĩum conſenſu afferunt adiumenti. Quibus quidem omnibus ita Ariſt. doctrinam aperuit, & declarauit, vt nomen explicatoris, vel, vt vulgo aiunt, expoſitoris ſit merito conſecutus; quo quidem nemo unquàm fuerit curioſior, nemo vberior, nemo clarior; & viſus ſit vel græcos explicatores doctrinæ præſtantia ſuperare, ac Latinæ Philoſophiæ ſummum addere decus, & ornamentum. Atq; eo potiſſimum tempore Ariſt. ſcriptis ſuis illuſtrauit, cum Vrbano IIII. Pont. Max. tanta auditorũ frequentia Romæ profeſſus eſt, ut ſtudioſorum multitudinẽ vix ampliſſimus, vbi ipſe profitebatur, caperet locus. O doctorem omni gloria clariſſimum. Itaq; eius ingenio, ac diligentiæ plurimum debent Logici, Phyſici, Metaphyſici, Ethici, Oeconomici, Politici, omnes, qui ſapientiæ ſtudia profitentur: quòd Latinorum primus tam multos Ariſtotelis libros tam feliciter explicauerit. Nam Boethus quidem, & Linconienſis aliquos libros interpretati fuerant, ſed admodum paucos: Albertus vero Magnus Paraphraſim magis in ipſum Ariſt. quàm explanationem confecerat, alioquin in digreſſionibus copioſus, & ſublimis, ac de explicandi principatu cũ

ipſo

ipſo Auerroe contendens: at Thomas breuiori, & vtiliori via progreſſus primus ſingula Ariſto. uerba perpendit, primus ad ſapientiæ ſtudioſos ſe ſe accommodauit, primus Ariſto. obſcuritatem in lucem conuertit; vt ſi in altero interpretandi genere inter Latinos Albertus obtinet principatũ: in altero ſine dubio Thomas ceteris antecellere omnibus uideatur. Neq; vero, cum maximus eſſet Philoſophus, in ipſa Philoſophia conquieuit; quod periculoſiſſimum eſſe, declarauit Simplicius, qui affirmauit geniti mundi narrationem à Moſe Prophetarum coryphæo habitam fabuloſam eſſe, & ab Aegyptiorum nænijs originem trahere: declarauit Alexander, qui animum eſſe mortalem opinatus eſt: declararunt alij, qui inepta alia effutiuerunt: ſed omnem philoſophandi rationem ad Theologiam, quam in primis propoſitam habebat, tum ſibi, tum omnibus direxit quàm vtiliſſime. Quamobrem, cum vir præſtantisſimus non minus in Theologia, quàm in Philoſophia excellere videretur, explanationes quoque conſcripſit in ſacram ſcripturam, Cõmentarios in varios Theologos, opera quædam ſua magis propria. Etenim non ſolum concionando, qua in re maximam gloriam adeptus eſt, ſed etiam ſcribendo, vetus, & nouum teſtamentum explicauit: atque inter ceteras lucubrationes ſuas Catenam illam confecit uere auream patrum Græcorum, & Latinorum in omnia Euangelia; quæ Vrbanus Pontifex iuſſerat explanari munere ita diſtributo, ut Thomas Matthæum, & Marcum, Bonauenturas Lucam, & Ioannem dilucidaret; Bonauentura autem, ſummæ Præfecturæ, quam in Franciſcana religione gerebat, grauisſima adminiſtratione impedito, ſolus Thomas patrum Græcorum, & Latinorum verbis potuit explicare. Quid commemorem eius Commentarios ĩ Dionyſium Areopagitam, in Boethum, in duo decreta dogmatica ſanctæ Synodi Lateranenſis, in Petri Lombardi ſentẽtias? quas Durandus quidem ingenioſe; Di. Bonauenturas diligenter; Gulielmus Altiſiodorenſis docte: ſed, pace aliorum ſit dictum, Thomas multo, quàm ceteri omnes, ingenioſius, diligentius, doctius explanauit. Nam, quemadmodum Petrus Lombardus Ioannem Damaſcenum, qui anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo omnium primus

Theo-

Theologiæ ſummam confecit;& Petrum Abelardum; & Bā dinum ſuis ſententiarum libris annis circiter quadringentis poſt Damaſcenum conſcriptis ſuperaſſe exiſtimatur, quorū alter multa prætermiſiſſe deprehēditur, alter hæreticus fuit, tertius nimis humilis,ac conciſus eſt iudicatus:ſic in explicando Lombardo Thomas ceteris omnibus, qui ante eum ſcripſerunt, præſtitiſſe, & poſteris omnibus ſpem melius explicandi præripuiſſe,creditur.Ac inter magis proprias quidem Thomæ lucubrationes maxime elucet liber aduerſus Catholicæ fidei hoſtes ad Vrbanum Pontificem conſcriptus; & liber ad Antiochenum Cantorem;& opus in quattuor libros diuiſum aduerſus gentes,in quo beatisſimus Pater fulgurare,&tonare proChriſtiana religione,ac permiſcere omnia viſus eſt; ut ob id merito lumen Chriſtiani nominis fuerit appellatus, & plus profeciſſe contra gentes, quàm Tatianus, quàm Apollinaris Laodicenus,quàm Septimius Florens Tertullianus,quàm Lactantius Firmianus, quàm alij prope innumerabiles, exiſtimetur. His acceſſerunt miſcellanea illa, quæ in duodecim libros diuiſa,& ab eo, quodcunque libet, nominata primus omnium dicitur conſcripſiſſe; & diſputationes cum doctisſimis viris in templis,ſcholisq; habitæ; & ī primis ſumma illa Theologiæ,cuius claritas ceterorum ſummas viſa eſt obſcurare.Nam poſt Petrum quidem Lombardum, Epiſcopum Pariſienſem,ſummas quaſdam ediderunt Gulielmus Altiſiodorenſis, Gulielmus Pariſienſis, Albertus Magnus,Alexander Alenſis: ſed, ut Thomas poſtremus fuit eorum,qui Theologiam ſummatim complexi ſunt:ſic omniū primus propter excellentem in eo genere præſtantiam habitus eſt.O ſcriptorem præſtantisſimum, atque præcellentisſimum. Ac alij quidem gloriari,& merito gloriari potuerūt librorū multitudine,ut Ser.Sulpitius iuriſconſultus, qui prope centum, & octoginta uolumina traditur reliquiſſe; ut M.Terentius Varro,quem tam multa ſcripſiſſe Di.Auguſtinus teſtatur,quàm multa vix quenquàm legere potuiſſe credamus; vt Diomedes,qui de re grammatica ſex millia librorum dicitur effudiſſe; ut Origenes, quem Epiphanius affirmat ſex millia librorum edidiſſe;ut Di.ipſe Auguſtinus, qui tam multa ſcriptis comprehendiſſe commemoratur, quàm

multa

multa vix inueniri poſſunt; vt Ioannes Chryſoſtomus, cuius ſupra mille lucubrationes ſe legiſſe, Nicephorus ait, inefabili quadam ſuauitate diffluentes; ut alij multi, quos omnes enumerare longum eſſet; ſed eorum non nulli magis fortaſſe librorum numero, quàm ſcribendi excellentia ceteris præſtiterunt; ut magis laudandi eſſe videantur, qui pauciores, & præſtantiores, quàm qui plures, & minus præſtantes ſcripſerint libros: at Thomas non ſolum librorum prope innumerabilium numero, verum etiam perfectione ceteros fere omnes ſuperauit. Etenim, quod ad Logicam attinet, & Philoſophiam, dicite uos, excellentiſſimi Philoſophi, & Logici, quanta ſua cum laude, ac ſtudioſorum omnium cum admiratione, Logicos, & Philoſophicos libros interpretatus ſit. Quid? quòd non ſolum Medicis in Philoſophia Naturali, Medicinæ admodum neceſſaria, uerum etiam Iuriſconſultis in Philoſophia Morali maxime opitulatur? Neque enim ex Iuriſconſultis defuerunt, qui affirmarunt, ſe plus uni Di. Thomæ debere, quàm infinitis, & verboſis Iuriſconſultorum Commẽtarijs; ceterosq. Iuriſconſultos hortati ſunt ad tanti viri doctrinam ſtudioſiſſime perſequendam, tamquàm non Phyſicis magis, & Theologis, quàm Iuriſconſultis neceſſariam, vt è libris ſuis, atque animis omnem ignorantiam, omnemque errorem eximere poſſe videantur. Felices ergo Logici, felices Philoſophi, felices Medici, felices Iuriſconſulti, qui in Di. Thomæ ſcriptis feliciter verſati ſunt: ſed feliciores ſacrarum litterarum ſtudioſi, qui ab eo lumen acceperunt. In ſacris enim litteris explicandis tam excellenter ſe geſſit, vt Spiritu Sancto adiutus nunquàm aut contra fidem, aut contra bonos mores erraſſe uideatur: cuius quidem in explanando excellentia cum ex alijs multis perſpici poteſt, tum uero ex eo, quòd hæretici neminem magis, quàm eum, timuerunt, & propterea, dum nobiles, ut ait Di. Hieronymus, euadere conantur in ſcelere, neminem magis deteſtati ſunt; id quod eſſe maximum maximæ gloriæ ſignum idem Di. Hieronymus affirmat. Nec defuerunt factioſi quidam, qui clariſſimis eius ſcriptis aliquas obducere tenebras conati ſunt; qui profecto, dum parum, immo uero nihil profecerunt, eius excellentiam magis declararunt. Quid enim

effecit

effecit illud à rabula quodam poſt mortem Di. Thomæ ſcriptum, & barbare appellatum Correctorium operum Thomæ, quod Egidius Romanus Sancti Doctoris olim auditor barbaro quidem uocabulo, ſed ad ſignificandum id, quod volebat, ſatis idoneo Corruptorium nuncupauit? Quàm mire irriſa eſt Vniuerſitatis Pariſienſis Cenſura in S. Thomæ doctrinam? Nonne Henricus, Durandus, Ioannes Scotus, Alphonſus, Gregorius Ariminenſis, Aureolus, alijq; permulti, dum Di. Thomæ doctrinam oppugnare nituntur, eam clariorem reddunt? quæ nihilominus acerrimos habuit defenſores, Egidium, Herueum, Ioannem Capreolum, Thomam Caietanum, alioſque quàmplurimos. Sed cur hæc perſequor, quæ inter alia multa ita ab alijs clariſſimis viris diſputata ſunt, ut clariora ſint, quàm ut à me pluribus verbis debeant declarari? Satis igitur conſtat, Di. Thomam immortalia in genus humanum beneficia contuliſſe; qui cum lectioni, aut ſcriptioni, non niſi prius à Deo Optimo Maximo pia oratione lumen veritatis precatus, ſe dare ſolitus eſſet, atque in omnibus difficilioribus, & obſcurioribus locis præter piam orationem etiam ieiunijs vteretur, præclarumque exemplum afferret ſapientiæ ſtudioſis ad diuinam opem in omnibus ſcientiæ difficultatibus, atque obſcuritatibus inuocandam; mirum profecto non eſt, ſi ea, quæ ſciebat, diuinitus ſcire uidebatur, ſi apud Reginaldum ſocium ſuum ſe magis diuino lumine, quàm ſuis laboribus, & vigilijs adiutum eſſe confitebatur, quod non minus rei veritati, quàm eius modeſtiæ tribuendum cenſetur, ſiquidem eius explanatio, & ſcriptio etiam diuina voce dicitur comprobata: qui & in publicis ſcholis docendo, & priuatim ſcribendo, & concionando, & ſacram ſcripturam interpretando in Rempub. Chriſtianam plurimum adiumenti importauit: qui & ſummus Logicus Logicos, & ſummus Philoſophus Philoſophos, & ſummus Theologus Theologos mirabiliter iuuit: qui cum in omni doctrinæ genere excelluerit, in explicandis potiſſimum ſacris litteris miram oſtendit præſtantiam; vt quæ ſingula in exornandis tum uetuſtioribus, tum recentioribus Eccleſiæ doctori-

S bus

bus dicta sunt, ea Di. Thomæ tribui debeant vniuersa; ac ipse appellari merito possit non solum Theologus, sed etiã sermone, & opere magnus, maxime mirabilis, & laboriosissimus, magister Ecclesiarum, Deucalio vniuersi terrarum orbis, aquila, columna Ecclesiæ, & turris inexpugnabilis, Sanctus, & venerabilis Sacerdos, ac in diuinorum eloquiorum tractatione clarissimus, vir sanctæ recordationis,& magister optimus, Deiferus, eminentissima Catholicæ fidei uox, ualidissimus aduersus hæreticos malleus,egregius præsul, præstantissimus doctor, prudentissimus veritatis prædicator, & defensor, atque Orthodoxæ fidei constantissimus propugnator, pater patrum, gloriosus præceptor, & tutum Ecclesiæ munimentum: præterea uero, non solum, vt communiter appellatur, angelicus, sed etiam seraphicus, solennis, irrefragabilis, subtilis, illuminatus, grauis, resolutus, profundus, magnus, & maximus. O virum præstantissimum; cuius præstantia omnem superat laudis excellentiam: cuius virtutibus nulla verba possunt inueniri tam egregia, tam præclara, quæ congruere uideantur: ad quem exornandum eius ipsius opus esset ingenio, atque elocutione; illa inquam elocutione, nullis fucata coloribus, nullis lenocinijs contaminata, solœcismis uacua, maxime propria, non odiosa, non Latinitatis studiosis prorsus ingrata, neruosa, perspicua, & numerosa, qua ipse uisus est omnes Doctores Scholasticos superare. O uirum omnibus numeris, & partibus absolutum; cuius scripta ita Sancta Ecclesia laudauit; Stylus breuis, grata facundia, celsa, clara, firma sententia: quem GREGORIVS X. ad Concilium Lugdunense ire, tamquàm ceteris omnibus, qui inter uiuos numerarentur, ad declarandam Christianæ fidei ueritatem magis idoneum iusserat, & in itinere Dei iussu in cœlum peruolasse, memoriæ proditum est, tunc cum beatissimus Pater corpore semimortuus, animo maxime uigens Cantica Canticorum explanauit: cuius sapientiam INNOCENTIVS V. testatus est habere proprietatem verborum, modum dicendorum, ueritatem sententiarum; ita vt, qui eum sequitur, nunquam recede-

re à

re à tramite veritatis, qui eum impugnat ſemper eſſe de ueritate ſuſpectus uideatur: cuius doctrinam VRBANVS V. mandauit, tamquàm veridicam, & catholicam, omnibus amplectendam: quem IOANNES XXII. in ſanctorum numerum merito cooptauit, edens illam uocem ſane pulcherrimam; Non eſſe de eius miraculis uehementer laborandum, qui tot miracula fecit, quot quæſtiones determinauit: quem PIVS V. ui ſua, & ueritate doctrinæ, ex eo tempore, quo cœleſtibus aſcriptus eſt, multas, quæ deinceps exortæ ſunt, hæreſes confuſas, & conuictas diſſipaſſe affirmauit; idcircoque quinctum Eccleſiæ doctorem declarauit: quem Beſſarion Cardinalis Nicenus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus inter ſanctos doctiſſimum, inter doctos ſanctiſſimum appellauit. Sed dies, uox, latera me deficerent, & nunquam inuenirem finem orationis, ſi omnia de Di. Thoma clariſſimorum uirorum teſtimonia recenſere uellem. Quamobrem ſatis ſit illud dicere, neminem eo fuiſſe in Logica facultate acutiorem, in Philoſophia locupletiorem, in Theologia ſublimiorem, vt merito appellatus ſit Princeps Latinæ Theologiæ, & flos Scholaſticæ diſciplinæ; cumq. reliqui fere omnes Scholaſtici Doctores tantummodo inter diſputantium congreſſus aliquid honoris ſint conſecuti, ipſum non ſolum in humanis congreſſionibus honoratum, verum etiam in Diuorum numerum relatum fuiſſe. Merito igitur, Audit. ornatiſſimi, eius nomen, & numen ueneramur: merito in eius honorem quotannis congregamur: merito eius laudes, ſi non pro dignitate, at ſaltem, quantum poſſumus, celebramus: merito eius uirtutes pro uiribus imitamur, eius doctrinam admiramur, eius in exercendis optimarum artium ſtudiis diligentiam ſequimur, eius præclaris veſtigiis inſiſtimus, ut omnem Philoſophiam ad Theologiæ regulam dirigamus; vel, ſi id ſatis accurate non facimus, at certe facere debemus, ut uirum in genus humanum beneficentiſſimum ſanctiſſime ſuſpiciamus, & imitemur, atque huiuſmodi imitatione à Deo Optimo Maximo digni exiſtimemur, qui tandem aliquando in cœlum penetremus. Quod ut nobis om-

nibus concedatur, tu beatissime, & sanctissime pater, quem aduocatum inuocamus ad nos diuinæ maiestati commendandos, faueas nobis, quæsumus, oratione, & precibus tuis, ac benigne efficias, ut quod per nos assequi non possumus, per sanctissima tua merita consequamur.

Habita Patauij, in templo Di. Augustini, congregatis omnibus Patauini Gymnasij Philosophiæ, ac Medicinæ Doctoribus.





DE LAVDIBVS DI. HIERONYMI.

ANTONII RICCOBONI Oratio.



QVAE ſingula perturbare dicentem poſſunt, Patres ampliſſimi, ea mihi ſe ſe hodierno die ita obijciunt vniuerſa, vt animum meum valde commoueãt; non ſolum loci amplitudo, ut in vrbe Patauio dicam, cuius fama per omnes terrarum partes peruaſit, quæq; gloria, & ſplendore nominis ſui vniuerſum orbem compleuit: verum etiam audientium dignitas, ut apud Theologos omni grauitate, & maieſtate præditos, omni reuerentia, atque obſeruantia dignos orationem habeam: & materia ad dicendum propoſita, vt de ſanctiſſimo, eodemque eloquentiſſimo viro, Di. Hieronymo, huius celeberrimi veſtri Collegij Tutelari optimo verba faciam. Ac ea quidem eſt eruditiſſimorum virorum in hac nobili ciuitate frequentia, & ſtudioſæ iuuentutis multitudo, ut Patauij dicere, tamquàm in ipſo Muſarum domicilio non niſi eloquentiſſimis uiris congruere uideatur. Huius vero uenerandi collegij, quod ego ſumma ſemper colui veneratione,

tanta

tanta eſt celebritas famæ, tantaque auctoritas, vt nemo ſit, quantumuis in ſapientiæ, atque eloquentiæ ſtudio exercitatus, qui apud tot præcellentiſſimos patres orationem habere, parum eſſe, niſi ſit omnium ſtultiſſimus, queat exiſtimare. De Di. autem Hieronymo ut congruenter ageretur, non ne ipſius Di. Hieronymi opus eſſet ingenio, atque eloquentia, in quo cum alia præclara enituerunt, tum dicendi tanta uis illuxit, tantaque copia, ut, quantum ipſe illuſtrare omnia poterat oratione, tantum ſuæ ſplendore orationis omnia obſcurare eloquendi lumina videatur? Non facile igitur hoc grauiſſimum onus mihi imponi permiſiſſem, ut in hac clariſſima ciuitate, in hoc ampliſſimo collegio, de hoc uiro ſanctiſſimo agerem; niſi cogitaſſem, Patauij omnem benignitatem & humanitatem, ac manſuetudinem domicilium habere: & ſplendorem dignitatis ueſtræ, ampliſſimi patres, tamquàm principem mihi, & moderatorem omnium luminum, poſſe ſpem afferre, uim dicendi augere, animum excitare, & inflammare in re ardua, atque difficili: & Di. Hieronymi laudes, quæ ſunt recenſendæ, idoneas eſſe, quæ uel infantiſſimos quoſque eloquentiſſimos reddant, ut uerendū mihi non ſit eo in argumento uerſari, in quo nemini oratio deeſſe poteſt. Atque huiuſmodi cogitatio etiam nunc ita plenis, & ueris me gaudijs cumulat, ita mentem meam ſe ipſa deſtitutam reficit, & recreat, ut nulla re amplius deterrear, ſed in ſpem certiſſimam ueniam fore, ut in hoc grauiſſimo munere obeundo magis uoluntas mea gratificari cupientis patronis meis, qui hoc mihi munus detulerunt, quàm ingenij mei imbecillitas attendatur. Itaque totus erectus, & confirmatus hoc ſolenni die, qui Di. Hieron. eſt conſecratus, de Di. Hieron. Tutelari ueſtro ſanctiſſimo, in cuius honorem meritiſſ. conueniſtis, ita agam, ut, quæ in eo uos egregie imitamini, & omnes imitari debent, ea quàm breuiſſime cōmemorem; atq; ex plurimis ijs, quæ dici poſſunt, ea potiſſimum ſeligam, quæ ad noſtrā ipſorum imitationem pertinere poſſe videantur. Cum autem in hominibus exornandis omnia plerunque amplificari ſoleant, ita ut exprimatur magis, quales illi eſſe debuerint, quàm quales vere fuerint: in celebrandis Di. Hieronymi laudib. alia mihi ratio eſt, cuius actiones

tales

tales fuerunt,vt vix enumerari, nedum amplificari queant; immo vero tot,tantæq. extiterunt,vt non ſolum omnem amplificationem,verum etiam omnem enumerationem ſuperare exiſtimentur.Itaque cum beatiſſimi patris tam illuſtre fuerit vitæ inſtitutum,tamq; celebre apud omnes gentes, & nationes ingenii,doctrinæ,ſanctitatis nomen; videbor meo ipſius officio, ac pietati egregie ſatisfeciſſe,ſi ex tanto maximarum,clariſſimarumq. laudum cumulo vel minimam partem attigero.Ac ſi ad imperitam quidem multitudinem orationẽ haberem,quæ generis potius claritatem, imaginumq; ſplendorem,ac fortunarum amplitudinem, quàm propriam cuiuſq; virtutem intuetur,& admiratur; plura dicerem de Stridone oppido in agro Iuſtinopolitano, atque in Dalmatiæ, Pannoniæq. confinio,Di.Hieronymi patria, à Gothis immaniſſime euerſa: nec pauca commemorarem de clariſſimis eius maioribus,præcipueq; de optimo ipſius parente, Euſebio,qui merito à pietate nomen eſt conſecutus: diuitiasq. eiuſdem recenſerem,& patrimonium ſatis amplum, ubi ſeruorum erat multitudo,per quorum cellulas ſe puerum ire ſolitum fuiſſe, ipſe meminit.Sed, cum apud ſapientiſſimos,grauiſſimosq. Theologos uerba faciam,omnia leuiora, & cum multis communia prætermittenda ſunt: grauiora,& Di.Hieronymi propria recenſenda; immo vero præcipua tantum quædam attingenda,ne noſtra in infinitum progrediatur oratio.Ex multis enim ijs,quæ nobis occurrunt ad dicendũ, tria tantummodo complectemur,quæ in optimo Theologo ineſſe oportere,Di.Hieronymi exemplo ſatis cõſtare poteſt, nimirum tria præclara ſtudia cũ Theologiæ ſtudio coniuncta,tum variarum linguarum,tum aliarum optimarum artiũ, tum in primis Chriſtianæ pietatis. Ac profecto, ſi una, & eadem eſſet omnium gentium,& nationum lingua, nec ulla ſermonis uarietas, ac diſſimilitudo audiretur; tanta non exiſteret uel ad uitæ uſum, uel ad ſcientiæ fructum difficultas, quantam omnes experimur. Quoniam uero propter illos, qui in altiſſima turri exædificanda inſaniuerunt, diuina factum eſt uoluntate,ut ſermonis exorta ſit confuſio,& non eodem modo locuti ſint Hebræi, Græci, Latini, aliæq. gentes, & nationes, perinde ac ne eodem quidem modo nunc

loquun-

loquuntur Itali, Galli, Hiſpani, Germani, atq; reliqui Euro
pæ populi; idcirco tam difficilis facta eſt rerum uel agenda-
rum, uel intelligendarum ratio, ut qui in actionibus huma-
nis, & ſapientiæ ſtudijs excellere concupiſcit, eos plures lin-
guas tenere oportere ſatis conſtet. Siqui autem aliqua loquē
di unquam gloria floruerunt, ij profecto Hebræi, Græci, ac
Latini fuerunt, quorum linguas Di. Hieronymus ita perdi-
dicit, ut in eis intelligendis mirabiliter excelleret. Eum enim
fuiſſe trium linguarum peritiſſimum, Hebrææ, Græcæ, atq;
Latinæ, Di. Auguſtinus, Di.q; Iſidorus, auctores grauiſ-
ſimi, atteſtantur. Neq; uero, ut nonnulli faciunt, eas leui-
ter attigit: ſed penitus, diligenterq; cognouit, ut, quod atti-
net ad linguam Latinam, Donato præceptore uſus, eo,
qui in Terentium, & Virgilium edidit commentarios, ele-
gantiſſimus, & maxime Ciceronianus uiſus ſit. Quam ob
cauſſam tametſi eũ vapulaſſe, memoriæ proditum eſt, quòd
nonnunquam magis Ciceronianus eſſet, quàm Chriſtianus:
tamen vel cum ipſo Di. Hieronymo ad Rufinum conſcribē
te affirmamus illud ſomnium fuiſſe: vel diuina prouidētia
putamus eueniſſe, vt beatiſſimus pater ſuo viros religioſos fa
cto doceret, dicendi quidem elegantiæ ſtudendum eſſe, ſed
præcipuum ſtudium ad ſacrarum litterarum pertractationē,
chriſtianæq. pietatis venerationem conferendum. Græcam
autem linguam in quinque genera diuiſam optime tenuit, in
ea peraſſidue audiens præceptorem ſuum Gregorium Na-
zianzenum ſapientiſſime, atq. eloquentiſſime diſputantem.
In primis vero litteras Hebræas ſibi eſſe perdiſcendas exiſti
mauit, præceptore vſus Barrabano Hebræo, qui Hebræos ti
mens magno precio conductus noctu tantummodo in vrbe
Bethleem eum docuit, atque ita docuit, ut breui temporis
ſpatio ipſum reddiderit peritiſſimum. Cumq. eloquentiſſi-
mus pater, quantopere in lingua Latina, & in Græca excelle
ret, mira dederit documenta, nihil tamen præclarius edidit,
quàm ſacræ ſcripturæ ex ſermone Hebræo in Latinum con
uerſionem, cui eam Deus Opt. Max. auctoritatem detulit, vt
vel Hebræi ipſi, nedum Chriſtiani Latini, ac Græci, veracem
eſſe, vt ait Di. Auguſtinus, confeſſi ſint. O virum admirabi-
lem, ac diuinum, etiam, atq. etiam illis imitandum, qui tantũ
abeſt,

abest,vt plures linguas studiosissime persequantur,ut ne Latinam quidem,in qua perpetuo uersantur,teneant,& non nisi barbarorum sordibus contaminatam, verborumq. portentis deformatam,atque ornamentis omnibus spoliatã cognoscant.Magnum certe dedecus nostræ tempestatis, ut sapientiæ candor,& doctrinæ maiestas tantopere commaculetur, atque conturbetur.Iamuero prudentissimus pater cum animum præcipue appulisset ad Theologiam,& Dei contemplationem, non alias tamen ingenuas artes contempsit, sed in eis ita versatus est, vt omnes ad Sacræ Scripturæ vsum conuerterit. Neq; enim Grammatica, nec Rhetorica, nec Dialectica, nec aliæ liberales artes viris religiosis spernendæ sũt, quibus sacræ litteræ aduersus consceleratissimorum hominum nefarios impetus defenduntur. Nam, tametsi tanta earum est ueritas, vt maior esse non possit, quæ contra hominum deprauata ingenia,malitiosam calliditatem,factasq. insidias se se defendere quodammodo satis ipsæ posse videantur: tamen non parum iuuantur alijs artibus, tamquàm instrumentis à Deo datis ad veritatem protegendam. Quod cum Di. Hieronymus optime intelligeret, Romæ, quò admodum adolescens ex oppido Stridone se contulerat,omnes artes libero homine dignas complexus est. Itaq; tum Grammaticam didicit,quam si sciuisset Eluidius, detestabilia contra sacrosanctæ Virginis candorem non effutiuisset: tum historias ethnicorum cognouit,quorum cognitionem esse summe vtilem ad sacras litteras pertractandas, Augustinus testatum reliquit: tum Rhetoricam percepit, qua esse vtendum idem docuit Augustinus, cum recta sentimus: tum Dialecticam apprehendit, quam videtur significare Salomon,cum in prouerbiorum procemio monet, ut intelligamus sermones prudentiæ, versutasq; verborum parabolas,obscurumq. sermonem, ac dicta sapientum, atq. ænigmata: tum vniuersum disciplinarum orbem expleuit; nec in libris suis à poetarum, oratorum, ceterorumq. ethnicorum auctoritatibus se abstinuit (etiamsi id à Rufino maxime reprehenderetur) quòd animaduertisset à Mose, & Prophetis, multa sumpta esse de libris Ethnicorum;& ipsum Di. Paullum vsum fuisse versibus Epimenidis, Menandri, Arati; minimeq. absur-

dum eſſe, vt omnia, quæcunq; bona, atq. vtilia ſunt, undiq. hauriantur. Cum igitur ad ſacrarum litterarum contemplationem natus eſſet, in vniuerſo tamen doctrinarum orbe ſe ita exercuit, vt maxime excellere videretur; ex cuius facto, ſane egregio,& præclaro, condiſcimus, quamquàm viris religioſis præcipuum ſtudium eſſe debet Theologiæ, non eſſe tamen alias bonas artes contemnendas, quæ ſi ipſi Theologiæ præſto ſint,vt ancillulæ obſequentes,magnam ſine dubio afferre poſſunt utilitatem ad ſanctas litteras perdiſcendas. Non enim eſt in alijs artibus conquieſcendum, ita ut ars præcipua,quæ inter ceteras principem locum obtinet, prætermittatur: ſed illæ omnes ad hanc,tamquàm ad dominam, ſunt referendæ, maxime uero illis, qui ſe uiros eſſe religioſos, ac Chriſti cultores profitentur. In hac autem profeſſione cum duo præcipua requirantur, cognitio rerum diuinarum, atq; innocens uita; dici non poteſt, utraq; in re Di. Hieron. quàm admirabilem ſe præbuerit. Is cum in urbe Roma Chriſti ueſtem, ut ipſe ait,ſuſcepiſſet,& in præclaris litterarum ſtudijs plurimũ profeciſſet,animo adiecto ad Theologiam,inſtar Pythagoræ, atq. Platonis,diſcendi cauſſa multas terrarum partes peragrauit: Gallias adijt, & apud Treuiros longiſſimum ſancti Hilarij de Synodis librum ſua ipſius manu deſcripſit: Iudæam, Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam, Ciliciam, Syriam, Græciam perluſtrauit: Antiochiæ Apollinarem Laodicenum audiuit ſacras ſcripturas explicantem, cuius tamen contentioſum dogma ſe ſuſcepiſſe profitetur: Conſtantinopolim petijt ad audiendum Gregorium Nazianzenum, cuius doctrina,& ſanctitas tunc celebris erat: Alexandriam perrexit,ubi Didymo doctori tunc celeberrimo aduerſus Apollinaris dogmata diſputanti operam dedit: Bethleem iuit, ubi à Barrabano Hebræo ſimul cum lingua Hebræa ſacrorum Bibliorum myſteria perdidicit; cumq; ei vitio uerteretur,quòd dogmata audiuiſſet inter ſe contraria,ac præceptore Hebræo uſus eſſet, operæ precium eſt audire,quomodo ea de re ſe excuſauerit. Accuſat, inquit, me quiſquam, quia hominem Hebræũ habui præceptorem,& quia Didymi,& Apollinaris inter ſe dogma contrarium eſt: arguat potius, ubi hæreſim defenderim,

ubi

ubi prauum dogma ſim ſecutus. O præclarum reſponſum, dignumq;, quod in mentibus noſtris hæreat ſempiternum. Arguat potius, ubi hæreſim defenderim, ubi prauum dogma ſim ſecutus. Qui enim ſanctiſſimæ fidei lumine ſunt collustrati, poſſunt & ab ijs, qui à uera religione ſunt alieni, nõ nulla diſcere, opinioneſq; inter ſe contrarias cognoſcere, ac hæreticorum quoq; ineptias intelligere: nunquam tamen cũ ipſis hæreticis conſentiunt, nec à ueritate abducuntur. Quanta uero ſanctimonia, integritate, innocentia Di. Hieronymus præditus fuerit, quid eſt, quod apud uos ſapientiſſimos patres pluribus exprimam? Quis enim eo continentius uixit; qui poſt ſecundam natiuitatem, id eſt, poſt ſacrum baptiſma uirginitatem perpetuo ſeruauit, & carnibus omnino, atq. omni obſonio cocto, uinoq. ſe abſtinuiſſe fertur? Quis eo magis profuit exemplo ſuo, qui Romæ matronarum oculos uerecunde declinabat; facto omnes, uerbo eos, qui ad eum audiendum concurrebant, inſtruebat; plurimoſq; ſceleribus, ac flagitijs inquinatos ad ſanctioris uitæ propoſitum conuertebat? Neq; enim parum fuit, ut Di. Hieronymi perſuaſione inter alios multos ad Chriſtianam pietatem traducerentur matronæ plurimæ antea omnibus delitijs affluẽtes, Marcella, Melania, Aſella, Albina, Marcellina, Felicitas, &, Paulla Euſtochii, & Bleſillæ mater. Quis eo præterea magis monaſticam uitam coluit, qui uiuebat in paupertate, &, ut Rufinus ipſe teſtatur, pecunias nec habebat, nec habere uolebat, ſed habens uictum, & ueſtitum contentus erat, in cellula latebat, & ſacerdotium non ambibat, nec humilitate damnata Epiſcopatum auro redimere feſtinabat, eſſe tãtum non etiam apparere cupiebat, & interno dumtaxat homine, non etiam externo proficere ſatagebat? O exemplum ſanctiſſimum omnibus monachis imitandum. Neque uero tacendum eſt, quanta cum ſanctitate in eremo Syriæ per quadriennium uitam degerit; in qua ſolitudine exuſta Solis ardoribus, horridamq; monachis reddente habitationem ſocios habebat ſcorpiones, & feras, quotidie lachrymis, quotidie gemitibus angebatur, incredibiliq; abſtinentia ſe ipſum excruciabat; ex qua eremo propter ſanctitatem ſuam nunquam diſceſſiſſet, niſi ab hæreticis, qui eum ad ſe trahere nõ

potuerunt, eiectus esset. Semper enim hæreticis mirabiliter obstitit, atq; aduersatus est, ut coram eo hæreses, ueluti coram sole nebulæ, euanescerent. Quamobrem Mileuitani Concilii Patres ad Innocentium primum scribentes Hieronymum, uti strenuum hæreticorum impugnatorem prædicarunt. Multa mihi propter temporis angustias prætermittenda esse uideo, quæ longa historia, quàm breui oratione sunt digniora; atq; inter cetera illud, quòd pluribus rebus Christianam ornauit Remp. Eo enim procurante in Ecclesia Romana ex consuetudine Ecclesiæ Hierosolymitanæ Alleluia cantari cœptum esse, et ex usu Ecclesiæ Antiochenæ in fine omnium psalmorum illa uerba posita fuisse, Gloria patri, & cetera, Di. Gregorius testatur. Eo emendante, septuaginta interpretum psalmi Romæ celebrari cœperunt. Quod is è Græco primum correxit, Testamentum nouum Romana postea semper legit Ecclesia. Is martyrum fines, qui in Ecclesiis recitantur, primus in unum breuiter collegit, quod Cassiodorus, Isnardus, & Ado attestantur; præter celeberrimam illam initio à nobis commemoratam sacrorum Bibliorum uersionem, eorundemq; interpretationem, & pro eis contra hæreticos multiplicem disputationem. Cum autem admodum senex factus esset, propter celebrem famam de admirabili eius sapientia, ac singulari probitate, ad eum usque in oppidum Bethleem, ueluti ad oraculum, undique plurimi confluebant: ad eum Di. Augustinus litteras scribebat, dubitationum petens solutionum; cumq. ipse proficisci in locum tam longinquum nō potuisset, misit, qui pro se ab eo multa discerent, Paullum Orosium, Alipium, Profuturum; scribens, neque in se esse, neque reperiri posse tantam scripturarum diuinarum scientiam, quantam inesse in eo cognoscebat; tantumq; ei detulit, ut Heliæ, & Io. Baptistæ in scriptis eum suis compararit: ad eum uisendum Seuerus Sulpitius profectus est, & cum eo sex menses permansit: ad eum omnes gentes, & nationes scribebant, ut sibi quæstiones declararentur, & dubitationes eximerentur: denique cum uniuersus terrarum orbis ueneratus est; qui cum teste Cyrillo prædixisset, suum quandoque corpus Romam deferendum esse, relicto pulcherrimo, ac luculentissimo episto-

larum

larum uolumine, quod in manibus omnium uersatur, imperantibus Honorio, & Theodosio Maiore circiter annum quadringentesimum uigesimum secundum in cœlum penetrauit; cuius corpus cum in oppido Bethleem humatum esset, postea Romam translatum est una cum Christi seruatoris nostri præsepio, septimo Id. Maias, eo scilicet die, qui Di. Gregorio Nazianzeno eius præceptori dicatus est; atque in Exquilijs in Ecclesia Sanctæ Mariæ Maioris prope ipsum præsepe est collocatum. Di. igitur Hieronymus Latino, Græco, Hebræo sermone fuit pereruditus, neque unam, atque alteram, sed omnes ingenuas artes, quæ ad vsum Sacræ Scripturæ conferre possent, complexus est: atque ita Christianam pietatem coluit, ut & rerum diuinarum cognitione præstare ceteris uisus sit, & uitæ integritate, probitate, innocentia, castitate, ceterisque uirtutibus, quæ hominem Christianum perfectum reddunt, mirabiliter excelluerit; qui, tametsi propter præstantiam, atque excellentiam suam non facile imitabilis est: tamen optime facitis, amplissimi patres, qui eum, quantum potestis, imitamini, eius uirtutes pro uiribus repræsentatis, eius doctrinam præ uobis fertis, eius sanctitatem exprimere conamini, eum Tutelarem uestrum, tamquàm facem lucidissimam, uobis prælucentem sequimini. Quod ut diu facere possitis, curabit apud diuinam maiestatem sanctissimus Pater, qui merito à uobis quotannis hoc solenni, & sacro die honoratus, merito si non pro dignitate, at saltem, quantum per uos fieri potest, exornatus, merito inuocatus, hoc nobilissimum, & celeberrimum Collegium uestrum perpetuo tuebitur, atq. defendet; pro qua perpetua tuitione, atq. defensione te, Pater eloquentissime, Pater sapientiss. Pater ob doctrinam, & probitatem tuam Iesu Christo charissime, hoc Collegium tuæ sanctitati commendatum ita orat, obsecrat, obtestatur, ut tu, qui eloquentia polles, sapientia præstas, pietate Christiana excellis, ipsius commodum, dignitatemque conserues, augeas, & in perpetuum foueas, ac tuearis.

Habita Patauij, die festo Di. Hieronymi, in Collegio Theologorum.

DE



DE ASCENSV COELI, EX PLATONICORVM DOCTRINA.

ANTONII RICCOBONI Oratio.



VM in primordijs huius Academiæ, V.C. orationem habuissem; & præclarum eius insigne laudando uos ad uirtutis, & scientiæ studium inflammassem; ac multis, iisdemq; eruditis uiris hunc uestrum ordinem, quo tempore inter uos principem locũ pro uestra benignitate obtinui, auxissem: non mea me uoluntas V.C. quæ in uos semper fuit propensa, sed multæ, grauesq; tum publicæ, tum priuatæ occupationes adduxerant, ut clarissimam gloriæ lampada, uobis præferendam, alijs & ingenij, & doctrinæ oleo affluentioribus traderem, atq; , quod ad has Academicas exercitationes, quas alij & ingeniosi, & docti, & exercitati homines præclarissime possent obire, pertineret, uela complicarem, ceteraq; armamenta omnia componerem; satis habens si, quod potuissem, præstitissem, &, qui plus possent, eos exem-

plo

plo meo excitaſsem: eo tameñ animo,ut, qui ſemper princi pibus ueſtris,ac conſiliariis paruiſsem,ſi quando opera mea opus eſset (quod nunquam fore in tanta optimorum inge niorum , & eruditiſſimorum hominum copia arbitrabar) & mihi etiam,quemadmodum non ſemel antea,aliquid mã daretur,mandato ueſtro libentisſime obtemperarẽ; ac cete ra omnia,quæ me occupatum,impeditumq; tenerent, inter mitterem; ueſtroq; iuſsu lumen accenderem , ſubductam nauim deducerem , uela uentis panderem . Iamq; totus in eo eram,ut, quod munus mihi Illuſtriſſimus Senatus Vene tus detulit non minus laborioſum, quàm honorificum, vt in amplisſimo Gymnaſio Patauino,id eſt in oculis omnium gentium, & nationum , ueterem eloquentiam profitear , in illud vnum incumberem; & quod mihi ocium à publicis,& priuatis diſputationibus concederetur, ad cogitationes quaſ dam meas litteris conſignandas referrem: cum ſuperior Aca demiæ Princeps vna cum perilluſtri Comite , & religioſiſ ſimo Abbate, ASCANIO MARTINENGO,floren tiſſimi cœtus veſtri patrono , cuſtode,defenſore acerrimo , cum IO. IACOBO DIEDO, viro non minns ad do ctrinæ laudẽ præſtanti,quàm religioſo,cum MATTHAEO MACINO, parente, ac prope deo veſtri ſplendoris,& or namenti ; ſuam mihi voluntatem amantiſſime ſignificauit , vt ad repetendam Academicarum exercitationum conſuetu dinem, longo interuallo dimiſſam, ſolennem proluſionem haberem, & aliquoties præterea hoc eodem in loco diſputa rem . Quamobrem me aliud quodammodo ex neceſſitate agentem,aliud cogitantem meum obediendi inſtitutum ad priſtinum curſum reuocauit, etiam reflantibus mearum oc- cupationum ventis . Quorſum hæc, V. C. ? primum,ut me aliqua dignum excuſatione exiſtimetis, ſi ſuperioribus tem poribus adeſſe frequens huic præſtantiſſimo cœtui veſtro minus potuerim : deinde uero , ut quòd hoc tempore in huius delatione muneris alijs fortaſſe & eloquentiæ, & do- ctrinæ copijs inſtructioribus prælatus fuerim, quòdq. ſæ- pius in hunc honeſtisſimum locum aſcenſurus ſim ; id non ambitioni meæ,non oſtentandi ingenij, aut eruditionis, aut memoriæ deſiderio, non arrogantiæ tribuatis ; ſed egregiæ

tanto-

tantorum uirorum de me opinioni, maiori forſitan, quàm ut ei meæ poſſint uires reſpondere, atq; adeo etiam illi ipſi amoris ardori, illi ipſi flagrantiæ ſtudii mei, quæ me initio adduxit,& quotidie magis adducet ad huius Academiæ com modum, ac dignitatem uobiſcum procurandam. Iam uero, ut facere incipiam, quod mihi mandatum eſt, nullum nec præſtatius,nec uobis accommodatius, nec ad colendam am plitudinis ueſtræ gloriam aptius inuenio argumentum,quã ſi de aſcenſu cœli,quem ſibi hæc ipſa parat Academia,ex ue terum Academicorum doctrina,quàm breuiſſime, & quàm facillime agam. Ad cuius rei pertractationem accedens,V. C. ne tantillum quidem uel materiæ magnitudine,uel mea imbecillitate deterreor,quòd animaduertam uos diuini alicuius numinis inſtar poſſe mihi afflare ſonantia uerba,ubereſq; ſententias, ac maximo ſplendore ueſtro lumen afferre, animum languentem excitare, uires defeſſas reficere. Aut enim Muſarum chorus, qui homines afflet, nullus eſt: aut hic præclariſſimus cœtus ueſter ille ipſe eſt, qui afflatu ſuo me poteſt, ſi qua in parte deficiam, recreare; ut omnis laus, omnis gloria, omne decus,quod hoc ipſo in loco acquiritur, referendum eſſe ueſtræ potiſſimum auctoritati uideatur.Quem Muſarum chorum ut repræſentarent ueteres illi ſapientiæ ſtudioſi,quorum nomen tantopere celebratur; dici non poteſt, quantas uigilias egerint, quantos labores exantlauerint.Nam,cum animi humani ſuæ diuinitatis obliti in corpora cecidiſſent, rationeq; inobſcurata, ueluti uelato hominis capite cœpiſſent tantum ſub Leonis,ac multiplicis belluæ forma apparere,& ſola ira, ſolaq; cupiditate duci; omnino abiecti, atq; humiles erant,& beſtiarum more uiuebant, humanarum rerum perturbatricem, optimorum ingeniorum conſumptricem, maximorum bellorum concitatricem ambitionem ſequebantur, immenſa illa, & inexplebili accumulandarum opum auiditate rapiebantur,appetitu à ratione auerſo ita impellebantur,ut nihil prope intereſſe inter homines,& feras uideretur.Tunc non nulli extiterunt, qui,quòd deſcenſuri de cœlo minus de Sydereo Liberi patris cratere deguſtaſſent,minuſq; ebrij facti eſſent, & minus obliuionis hauſiſſent; aliquantulum reſipuerunt, naturalim re

rum

rum ordinem sunt contemplati, aliquem esse huius mundanæ fabricæ architectum præsenserunt, eum, eiusq; opera admirari cœperunt: ex qua potissimum admirõne philosophia originem habuit, per Irim Thaumantis, id est, admirõnis filiam significata. Cum autem diuinam lucem sine diuino splẽdore attingere non posse viderentur; ad recuperandum diuinum lumen, quod descendentes in terram amiserant, impulsi sunt; quæ impulsio cœlestis est amor, & vera philosophia, quam diuinus Plato diuinitus indicabat, cum scribebat, Humanum animum affectare rerum diuinarum intelligentiam, in ea ipsa intuentẽ, q̃ sibi cognata sunt. Cum uero animaduertissent, in his membrorum vinculis, in his corporum compagibus nullam beatitudinem esse; sibi, si beati esse vellent, in antiquas suas sedes, & domicilia peruolandum: quod facere non licuit per carceris, in quo inclusi erant, infractionem, alio modo fecerunt, vt è corpore eminerent foras, vt ea, quæ extra corpus essent, veluti à corpore abducti, contemplarentur, vt à corporeis uoluptatibus se abstraherent, incorporeas uero, deorum proprias, perpetuas, sinceras, non contaminatas, tantum curarent, seq;, quantum possent, ad diuinam conditionem extollerent. Atque, ut ad superiora penetrarent, primum sibi ad diuinum auxilium confugiendum esse duxerunt: deinde vero etiam partim alas quasdam, partim scalas adhibuerunt. Diuina igitur ope implorata dici nõ potest, quàm celeriter eorum sit miserijs occursum, quæ in eo potissimum consistebant, quòd ab vna, & simplici natura ad multitudinis confusionem redacti essent. Nam vnusquisq; ipsorum ab vno rerum omnium principio vnus creatus primum se conuertit in multitudinem æternam, & mente rerũ omnium idéas contemplari cœpit, deinde vero se ipsum respiciens in multitudinem finitam progressus est, & vniuersales rerum omnium caussas ratione collegit. inde spectauit corpus, & singulares rerum mobilium formas opinione concepit, atq; percurrit. Postremo etiam materiam phantasia, & sensuum appetitu complexus est, ac natura veluti instrumẽto vsus est ad ipsam materiam congregandam, mouendam, formandam. Itaq; per quattuor quasi gradus, mentem, rationem, opinionem, naturam, ex vno quodãmodo multa tunc

[Marginal manuscript notes: "bramare" (beside "affectare"); "rompimento, spezzamento" (beside "infractionem"); "specie" (above "idéas"); "prima e vero species in colonte intelligentia idee sunt, exemplaria eterna cose que naturaliter fiunt"; "essendo diventa tu di un solo molte cose."]

effectus, cum ab vna rerum omnium caussa in multas corporis actiones lapsus est; statim sensit superiores partes suas grauissimo somno consopiri, inferiores ad illarum dominatum cum maxima perturbatione excitari, totum denique se partium seditione, atq; discordia repleri. Hac tanta ærumnarum permistione, si quod erat remedium, quod ei adhiberi posse videretur, illud certe erat, vt à multitudine in vnum uēdicaretur. Quamobrem primum Musæ iussu præpotentis Iouis suaui harmonia eius partes obdormientes exsuscitarunt, conturbatas permulserunt, eumq; totum temperarūt. deinde Dionysius eam ad diuinum cultum conuertit, & ad mentem, qua Deus colitur reuocauit. tum uero Apollo mētem ipsam ad eius caput extulit. denique cœlestis Venus eandem ad Deum traxit; ut Musæ afflatu suo eius partes ad diuinum bonum conformarint: Dionysius eas ad unum totum redegerit: Apollo illud totum supra partes sustulerit: cœlestis Venus illud ipsum ad unum rerum omnium principium direxerit. Sic igitur afflatus animus, sic à multitudine in unum uersus, sic adiutus currum suum uexit in cœlum; currum inquam suum totam ipsius naturam egregie significantem; cuius auriga est animi mens, aurigæ caput animi una, & simplex natura, equus bonus ratio, opinioq; per res naturales excurrens, equus malus phantasia confusa, ac sensuum appetitio; ut Musæ bonum equum à malo equo, id est rationem, & opinionem à phantasiæ confusione, & sensuum appetitu distinxerint: Dionysius malum equum bono, bonum aurigæ, id est ipsi menti subiecerit: Apollo aurigam in ipsius caput, id est mentis apicem uerterit: cœlestis Venus caput aurigæ in caput rerum omnium, idest Deum euocarit. O diuinam conuersionem, atq; euocationem omnibus admirandam, omnibus sequendam, per hæc inuolūcra, & integumenta significatam, in diuinis autem scripturis diuinitus expressam. Neq; uero curru suo in cœlum uehi animi humani potuissent, nisi alis quibusdam à præpotenti Deo sibi datis usi fuissent, id est assidua ueritatis indagatione, & summi boni desiderio, uel duplici instinctu tum ad diuinum uerum, tum ad diuinum bonum, quibus in sublime lati ad cœleste præsepe, id est ad diuinam pulchritudinem contem

platione

platione ſua peruenerunt, ibiq; equos ſuos, id eſt uires, & facultates ſuas apte collocarunt, atq; illis ambroſiam edendam,& nectar potandum, id eſt diuinæ pulchritudinis uiſionem perfruendam,& cœleſtem lætitiam percipiendam tradiderunt. O felices alas, quæ ad tanti ferunt boni adeptionẽ. Iamuero cum omnibus modis ſtatuiſſent in cœlum aſcendere,ſcalas etiam quaſdam ſibi confecerunt, per quas gradiendo ad cœleſtia penetrarent. Primam autem fabricati ſunt ſcalam cognitionis; cuius primi gradus ſagacitatis nomine ſignati ſunt: ſuperiores prudentiæ: alij ſcientiæ: ſupremi ſapientiæ; in quibus primum opinio præparatur tum ad prudentiam, tum ad ſcientiam comparandam: deinde uero ratio non ſolum inſtruitur ad omnem conſultationem in ijs, quæ à nobis aguntur, ad omnium bonorum conſiliorum præceptionem, ad omnium honeſtarum actionum moderationem, ad omnium moralium uirtutum gubernationem; uerum etiam excurrit omnes ſcientias, tum eas, quæ uerſantur in contemplando, tum eas, quæ referuntur ad agendum: poſtremo mens redditur ſapiens; & apprehendit huius rerum uniuerſitatis pulchritudinem, apprehendit mentium cœleſtium naturam, apprehendit ipſum Deum. Hac ſcala ad diuinam conditionem proxime acceſſerunt ueteres illi, qui ſapientes ſunt appellati, uel ſapientiæ ſtudio nobilitati; ut in Aethiopia ſtellatus Cepheus, Caſſiopea eius uxor, Andromeda filia, Perſeus gener, propter rerum cœleſtium cognitionem: in Aſſyria prometheus, Caucaſo affixus, qui Aſtrologiam Aſſyrijs indicauit: in Mauritania Atlas, qui ſphæram inuenit, curſumq. Solis, ac Lunæ, ſyderumq. omnium docuit: heroicis ætatibus Vlyſſes,& Neſtor: Homeri temporibus Lycurgus: deinceps in Græcia Solon, Thales, Chilo, Pittacus, Cleobulus, Bias, Periander: deinde Socrates,qui oraculo Apollinis ſapientiſſimus omnium eſt iudicatus: inde apud Romanos L.Acilius propter iuris ciuilis prudentiam, M.Cato propter multarũ rerum vſum, C.Lelius tum propter prudentiam, tum propter vſum. Hac eadem ſcala aſcendit Pherecides, is, qui animorum immortalitate conſtituenda ſibi nominis immortalitatem comparauit. Hac Pythagoras, qui Philoſophiæ, &

Philoſophorum nomẽ inſtituit.Hac Architas Pythagoreus, qui in Mathematicis maiorem humano captu progresſionẽ feciſſe traditur, adeo vt non ſolum cubum primus inuenerit, ſed etiam columbam ligneam tam affabre effinxerit, librauerit, inflauerit, vt viuæ uolatum imitaretur. Hac Tymæus inter Pythagoricos celeberrimus. Hac Plato non ſolũ intelligendi, ſed etiam dicendi auctor grauisſimus, qui rerũ diuinarum contemplatione diuini nomen eſt conſecutus. Hac Ariſtoteles is, qui tantum proficere viſus eſt in omni genere diſciplinæ, vt eum quaſi doctrinæ miraculum quoddã omnes ſuſpexerint,atq. ad mirati ſint. Hac alij prope innumerabiles, qui abditis rerum cauſis inueſtigandis ſe prope diuinos oſtenderunt. Alteram ſcalam fabricarunt, quæ dicta eſt appetitionis, cuius priores gradus iuſtitiæ inſcripti ſunt: alteri temperantiæ: ſuperiores fortitudini; in quibus uoluntas ad iuſtas actiones conformatur: facultas concupiſcendi ad omnium voluptatum, & commotionum moderationem: uis iraſcendi ad periculorum,& mortis quoq; ipſius pro Dei cultu, pro honeſtate, pro patria perpesſionem.His gradibus animi humani per iuſtitiæ, temperantiæ,fortitudinis officia auctorem repetunt ſuum; vt nec iniuriam ullam alijs inferant, nec ſibi ab alijs inferri pro viribus patiantur: vt vigilia, inedia, labore omnem libidinem doment: vt omnes res arduas,& difficiles fortiter ferant,& ad cœleſtem beatitudinem virtutibus extollantur. Horum graduum ea eſſe natura perhibetur, ut qui eorum aliquo inſiſtere apte poteſt, omnes aſcendere facile queat. Sic uiri iuſti ad altiora loca peruenerunt; vt inter ceteros Ariſtides, is, qui iniuſtum Themiſtoclis conſilium de incendenda Lacedæmoniorũ claſſe,quamuis patriæ vtile, aſpernatus eſt:& Cn. Domitius,qui cum M.Scaurum accuſaſſet,ſeruuſq. Scauri ad eum noctu ꝑueniſſet, inſtructurum ſe ſe eius accuſationem multis,grauibuſq. domini criminibus promittens,auribus ſuis obſeratis, & indicis ore clauſo,duci eum ad dominum iuſſit. Sic quoque uiri temperantes,& continentes; ut inter alios Alexander Magnus tunc maxime,cum Darii Regis vxorem, eandemq; eiuſdem ſororem, quam quidem exuperanti forma eſſe audiebat, videre noluit,perduciq; ad ſeſe prohibuit: &

P. Afri-

P. Africanus Superior, qui Carthagine ampla ciuitate in Hispania expugnata, virginem tempestiuam, forma egregia, nobilis viri Hispani filiam perductam ad se patri inuiolatam reddidit; ita ut quisnam fuerit continentior, merito dubitatũ sit, Magnus ne Alexander, qui pulcherrimam fœminam ne videre quidem voluit, an P. Africanus, qui formosissimam virginem à se visam non attigit. Sic viri fortes, ut Miltiades, & Themistocles, clarissima in Rep. Atheniensi fortitudinis exempla: & tres Decii Romani, pater, filius, & nepos, qui pro patria pugnando fortissime occubuerunt. Sic denique alii multi virtutibus mirifice dediti. Neque vero defuerunt, qui vtramq; scalam proxime collocatam permearint, & modo super hanc, modo super illam saliendo, uel etiam propter vniusque propinquitatem altero pede illa, altero hac insistẽdo, felicissimum, & fortunatissimum iter confecerunt. Hunc enim omnium tutissimum ascensum sibi parauit Socrates non solum omnis sapientiæ, verum etiam honestatis, modestiæ, frugalitatis, innocentiæ, fortitudinis, omnis virtutis specimen, & exemplar. Hunc Xenocrates non solũ doctrina, & dicendi facultate, sed etiam continentia, contemptione pecuniæ, fide, iustitia, præstans. Nam eius sapientiam, & eloquentiam expertus est Polemon, homo primum pditæ luxuriæ, postea, cum ipsius scholam irridendi caussa intrasset, grauissima oratione de modestia, & temperantia ex tempore ab eo habita, resipiscere coactus, & ex infami ganeone maximus philosophus factus. Eius temperantiam declarauit Phryne, nobile Athenarum scortum, cum iuxta eum accubuisset, pignore cum quibusdam iuuenibus posito, an ipsius castimoniam posset corrumpere, nec Philosophi animum ullis illecebris commouere quiuisset, quasi non cum homine, sed cum statua cubuisset. Eius in pecuniarum contemptu excellentiam Magnus miratus est Alexander, spretis ab eo aliquot talentis, quæ ipse ad eum miserat per legatos. Eius denique probitatem, & sanctitatem vniuersus Atheniensis populus comprobauit, tunc cum volentem eum testimonio publice dicto ex instituto iurare, una omnium voce prohibuit, significans etiam non iurato tanto viro credendum. Hunc eundem ascensum affectabat Epictetus, non solum eximie do-

ctus,

ctus, verum etiam egregie probus; cuius quidem vitam tantæ admirationi fuisse memoriæ proditum est, vt eius lucerna fictilis tribus drachmarum millibus propter miram viri auctoritatem vendita esse dicatur. Hunc Musonius, qui, incertum est, doctior, an melior extiterit. Hunc alij quàmplurimi, qui ita philosophati sunt, ut laudabilem vitam cum eruditione coniunxerint. Hanc duplicem ascendendi rõnem animis mortalium à deis immortalibus propositam qui secuti non sunt; sed vel ignorantiæ, & superbiæ turrib' alte constructis uoluerunt ipsis inuitis deis, & repugnante natura superiora loca occupare, vel grauati, & inquinati multis, magnisq; flagitijs, & sceleribus putarunt se posse cœlum penetrare, atq. diuidere: tantum abest, ut eis attingere cœlestia licuerit, ut illi Iouis fulmine icti sint, quod accidisse Titanis, & Gigantibus poetæ fictis fabulis prodiderunt, hi ad alias grauissimas pœnas sint constituti. qui corporeis malis oppressi, uel à vulture iecur immortale tundente, tamquàm Titij misere torquentur, dum peccatorum in eis conscientia uiscera interiora rimatur, & ipsa vitalia indefessa illorum admonitione dilaniat; vel quasi Tantali epulis ante ora positis cruciantur fame, & inedia tabescunt, dum rerum acquirendarum desiderio quotidie magis exardescunt, & in copia, atq; affluentia inopes, atq; egentes se præbent; vel vt Ixiones radijs rotarũ pendent districti, dum nihil consilio præuident, nihil ratione moderantur, nihil virtutibus explicant, sed omnia casu agũt, omnia Fortunæ arbitrio permittunt; vel, ut Sisiphi saxum ingens voluunt, dum parum efficacibus, multumq; laboriosis conatibus uitam terunt; uel atram silicem lapsuram semper, & cadenti similem horrent, dum arduam potestatem, & grauem tyrannidem ambiunt; vel alijs miseris modis excruciantur, tam infelices, & calamitosi, quàm, qui oppositas uias sequuntur, felices, & beati. Cum igitur fama percrebuisset, aliquem esse aditum delapsis in terram animis ad loca superiora, & sapientiores, ac prudentiores quidam cum patefacere, & quasi digito monstrare cœpissent, ac velut Amphiones, & Orphei, homines quodammodo saxeos, & efferatos ad humanam mollitudinem, & ciuilem cultum traducere: nolite, obsecro, quærere, V. C. quibus gaudijs exultantes, quibus

lætitijs

lætitijs ſe efferentes ad illos fierent hominum concurſus. Tunc .n. putabant ex animo ſibi omnia euentura, tunc fauſte, feliciter, proſpere omnia ſucceſſura, ſi reciperentur in numerum philoſophorum, quos multo facilius, quàm ceteros ſuperiora petere compertum eſt. Idcirco videre potuiſſetis diuerſorum hominum cœtus uitæ cœleſtis deſiderio in vnum quaſi corpus coaleſcere, ad ſtudia omnis doctrinæ, omnis virtutis coniunctim ferri, rerum diuinarũ,& humanarum contemplatione ad ſummum bonum inuicem confirmari. Iam confluebant vndiq; pauperes, diuites, potentes, impotentes, reges, ſubditi, imperatores, milites, omnium generum homines,& philoſophorum principibus ſe ſubmittentes ſub certos quaſi duces nomina dabant. Sic uarij quodammodo philoſophiæ exercitus ordinati ſunt: ſic uariæ philoſophorum ſectæ diſtinctæ: ſic variæ doctisſimorum hominum Reſpublicæ inſtitutæ. Ad eundem modum apud multas gentes, & nationes clariſſima gymnaſia ſunt conſtituta;& in hac antiquisſima Veneti imperii urbe nobilisſimum omnium ingenuarum artium,&diſciplinarum domicilium eſt collocatum. in quo fulgent tum pontificii, ac Cæſarei iuris,tumPhiloſophiæ, ac Medicinæ lumina præclarisſima,& potisſimum qui adſunt, egregii,atque eximii doctores optimas artes cum ingenti ſua laude,atq; incredibili omnium cum admiratione profitentes.de quorum præſtãtia plura non dicam,quòd mira famæ celebritas eam vniuerſo terrarum orbi reddiderit notiorem, quàm vt ego ulla ex parte posſim oratione mea colluſtrare. Ad eundem modum ſub nomine Academiæ præſtantisſimi ad omnem gloriam cœtus multis in vrbibus facti ſunt; in quibus ut valde ſplendeat hæc ipſa Academia facit,multorum eius Academicorum magnus ſplẽdor,cum in hoc ſint numero tot homines perilluſtres,tot uiri perq̃ religioſi, tot doctores præcellentes, tot iuuenes ornatisſimi;faciunt præclara eius inſtituta,& admirabiles ad omnium doctrinarum laudem cœpti progreſſus; facit inſignis ordo in diſputandis,& tractandis rerum obſcuriſſimarum quæſtionibus; atque incredibilis ardor ad omne diſciplinæ genus complectendum. Hic ſi mihi latiſſimus ornamentorum ueſtrorum campus excurrẽ

dus

dus eſſet, V.C. hodie dicẽdi finem non facerem. Quis enim breui temporis ſpatio perſequatur ſingularem Nicolai Cõtareni, diligentiſſimi, ac benigniſſimi huius ciuitatis Quæſtoris, principis ueſtri amplitudinem, eximiam Laurentii Iuſtiniani, & Io. Baptiſtæ Baſadonnæ, prudentiſſimorum eius conſiliariorum præſtantiam, egregias virtutum veſtrarum actiones, mirificas cœtus ueſtri leges, excellentem ſtudiorũ veſtrorum, & diſputationum, & problematum varietatem, aliaſq; laudes quàmplurimas, & quàmmaximas, quibus ornati eſtis? Dii immortales, quantis incedo lætitiis, quanta perfundor uoluptate, quotieſcunque cogito uobis à multis inuideri. Verumtamen animaduerti V.C. (ignoſcite, quæſo, ſi nimiam in dicendo licentiam, uel potius audaciam mihi aſſumo, quam mihi concedere ſingularis ueſtra benignitas, atque humanitas videtur) animaduerti inquam, vos una tantummodo de re minus ſolicitos adhuc fuiſſe, quam ſi ipſa Academia loqui poſſet, ſe potiſſimum ſemper à uobis exoptaſſe fateretur, ut ſibi nihil amplius quidquam ad ſplendorem, & dignitatem deeſſe exiſtimaretur. Hæc illa res eſt, ad quam vel in ipſis Academiæ primordijs uos cohortatus ſum, ut conſtanter propoſitum vrgeretis; ut cum frequentiſſimus veſter eſſet numerus, frequentiſſimi etiam congregaremini; vt illud flagrans ſtudium, quo ad obeũdas Academicas exercitationes initio ardebatis, perpetuo conſeruaretis. Quid enim aliud uobis eſt faciẽdum, niſi uelitis inuidorum de vobis uoculas confirmare? Nam ut primum auditum eſt, uos in eundum locum inſtituendæ Academiæ cauſſa conueniſſe, ne obſecro quæratis, quàm multi inuidiæ morſum in uos acuerint, quæ fulmina parauerint ad ferienda conſilia ueſtra. E ueſtigio inſurgunt, faces iactant, difficultates obiiciunt, exclamant, uociferantur, hunc ipſum cœtum parum diuturnum fore, hunc ueſtrum Phryxum, magnis cito fluctibus obrutum iri, hunc ueſtrarum mentium ardorem, unde ANIMOSI appellamini, breui tempore extinctum iri. O plumbeum pugionem. Annum igitur ab inſtituta Academia tertium præter multorum opinionem felicibus auſpiciis ingredimini, atque ita ingredimini, ut quàmdiutiſſime ad has præclaras exercitationes conuenturi eſſe uideamini.

Quid

Quid autem vos facere oportet? Quid aliud quæſo, niſi ut conſtantiam retineatis? Sic facite, V. C. & conſtanti animo currite ad ea, quæ vos manent, præmia immortalitatis. Cogitate, quid ſibi uelit hoc ueſtrum ſingulare inſigne, hæc veſtra inſignis appellatio; quid poſtulet decus ueſtrum, amplitudo ueſtra, & perſeuerātiſſime ſic coniuncti, ſic concordes ad diuinum bonum contemplatione aſſequendum, quò uos diuinus uocat afflatus, alas ingeniorum ueſtrorum diuturna quiete refectas, & recreatas adhibete, ſcalas animorū conſcendite, uel, cum iam conſcenderitis animoſe excurrite, cœlum ſcandite, ut facere inſtituiſtis, me uero pro ueſtra humanitate uobiſcum ducite, & parum pennatum, atq; aliqua ex parte claudum catena aurea benignitatis ueſtræ trahite ad gloriam ſempiternam.



Habita Patauij in Academia Animoſorum.



X Pro

nome.

inspiratione.

Hellesponto appellavit, Phryxus vero incolumis e Colchide [illegible]



PRO STVDIIS HVMANITATIS.

ANTONII RICCOBONI

Oratio.



SVPERIORI proximo studiorum nostrorum curriculo, Aud. totum primum librum Artis Rhetoricæ Aristotelis cum explicauerimus; sequitur, ut animorum nostrorum uiribus satis longa intermissione, & diuturna quiete refectis, & confirmatis librum secundum explicare felicibus nunc auspicijs aggrediamur. Cuius materia triplex sine dubio grauissima, utilissima, auribus uestris dignissima est, & quæ non solum quomodo loquamur, uerum etiam, quomodo uiuamus, docere nos posse uideatur; primum de morata oratione, & moribus tum in persona loquentium exprimendis, tum in persona audientium permulcendis: deinde de affectibus humanis tum concitandis, tum tranquillandis: postremo de argumentis, & copia argumentorum ex locis Topicis comparanda, ad omnium, quæcunq. in sermonibus nostris uersari possunt, quæstionum pertractationem maxime accommodata. Quæ omnia cum ex penetralibus philoso-

loſophiæ deprompta ſint: reperiuntur tamen, ſi Dijs placet, nonnulli, qui ea tamquàm leuia, & inania, immo uero uniuerſum eloquentiæ ſtudium, tamquàm puerile, & nugatorium, audent contemnere, & deridere; nec harum litterarum luminibus, & multiplici ſuauitate perfruuntur, ſed tamquàm talpæ barbara obſcuritate oblectantur, & tamquàm ſcarabæi magis odorem luti, quàm alabaſtri requirunt, & tamquàm ſuillum genus eloquentiæ amaracum, unde gratiſſimus humanitatis odor afflatur, ueluti ſibi uenenum, experiuntur. Quamobrem quæſo à uobis, benigniſſimi Aud. ut in hoc honeſtiſſimo huius diei conſeſſu, atq. in hoc prope ueſtibulo explicationum noſtrarum hanc mihi ueniam detis profeſſioni noſtræ in deprauata ueterum diſciplina, & corruptis noſtri ſeculi moribus ualde accommodatam, ut, priuſquàm ad præclara Ariſt. præcepta declaranda deueniam, nonnullorum factum reprehendam, qui, dum in rerũ cognoſcendarum ſtudio elaborant, noſtram hãc, quaſi uerborum tantum, quod ipſi cum maximo ſuo errore dictitãt, diſciplinam illudunt, barbariemq. modis omnibus affectãt, & fouent; ut, quando iam reliquas fere omnes ſcholas ipſa barbaries inuaſit, caueamus diligenter, ea ne, tamquàm peſtilentia, continenti uulgata tabe, noſtram quoq; Humanitatis ſcholam inuadat; ac relictis illis in barbaris cloacis, & uolutabris, cœnoq. ac luto (pace aurium ueſtrarum dixerim) tamquàm ſuibus, non è turbidis lacunis, & ſterquilinijs, ſcientiæ ſuccum bibamus, ſed è limpidis ſapientiæ, & eloquentiæ fontibus, & fluminibus doctrinæ aquam hauriamus; probatoſq; ſcriptores tum græcos, tum Latinos, & in primis Ariſtotelem, Demoſthenem, Ciceronem, alioſque eius generis auctores complectamur, amemus, quantum poſſumus, imitemur. Vt autem ad propoſitum aggrediamur, quinam, obſecro, ſunt illi, qui bonis litteris, & nobis in hoc gymnaſio bonarum litterarum conſtitutis tutoribus negotium faceſſunt? Sunt non ſolum (quod magis ferendum eſſet) rudes quidam, atq; imperiti homines, de quorum conatibus repellendis, ac uindicandis non eſſet admodum contendendum: uerum etiam (quod magis mirandum eſt) non nulli Philoſophi, ac Dialectici, nonnulli Medici, nonnulli

Iureconsulti,& alij eiusmodi, qui summam eruditionem,ac doctrinam profitentur,& tamen à recta studiorum ratione tum ipsi desciscunt , tum studiosos iuuenes , quantum possunt, abducunt, præsertim in Italia,ubi id minus efficere deberent. Dico nonnullos: quia tantum abest, vt veros,& legitimos earum artium doctores existimem reprehendendos , ut potius valde venerer,& admirer. Nihil enim esse Philosophia,& Dialectica præstabilius , nihil Medicina melius,nihil Iure ciuili speciosius arbitror:sed harum rerum studia in prauum vsum conuerti,& adhiberi, merito conqueror.Reperiuntur igitur quidam non veri, sed adũbrati Philosophi, & Dialectici, qui cum omnia damnare , quæ ipsi nesciunt , consueuerint, quoniam,quæ à ueteribus elegantissime scripta sunt, propter græci,& latini sermonis inscitiam non admodum attingunt; quæ vero à recentioribus barbare inculcata sunt, in ijs toti sunt occupati; doctrina exigua contenti, singulari infantia præditi, optimarum artium,quæ ad Humanitatem pertinent, expertes,& rudes, suis se quæstiunculis oblectant : pauca quædam Peripateticorum decreta tenent, eaq. tamquàm religiosissima , atq. sanctissima custodiunt: tribus, aut ad summum quattuor iam peruagatis responsionum generibus occurrere omnibus, quæ in Philosophia,& Dialectica propositæ sunt, quæstionibus consueuerunt: omnia explicant, non græco, nec latino sermone,quorum vtrumq; ignorant, sed nouo quodam, & ante inaudito loquendi genere, ac quotidie magis nouo,cum eorum quisque sua sibi uerba, vel potius portenta fabricetur:nostra studia, in quibus ipsi excellere vel propter ingeniorum tarditatem, uel propter laborum magnitudinem posse diffidunt , despicatui ducunt; obliti scilicet huiusmodi studia omnium doctissimorum hominum consensu quasi firmissima esse omnium disciplinarum, atq. artium fundamenta; obliti , quod veteribus omnibus fuit persuasissimũ, egregijs Philosophis, ac Dialecticis non eximia potius sapientiæ præcepta, quàm verborum , quibus illa quodammodo sustinentur , subsidia nota esse oportere; obliti,quid fecerit Plato,quid Xenophõ, quid Aristoteles, quid Theophrastus, quid ceteri omnes , à quibus tamquàm ab vberrimis quibusdam fontibus omnis

ad nos

ad nos optimarum artium cognitio emanauit,quorum nemo fere fuit bonus intelligendi magister, qui non idem ēt grauis dicendi auctor extiterit; quid deniq; Musonius, grauissimus Philosophus, qui tunc quoque, cum Philosophiæ laude maxime floreret,Hermogenem dicendi magistrum studiose audire non erubuit. contra quàm faciunt quidam nostrorum temporum infantissimi philosophi,qui,tantum abest, ut Rhetoras audire sibi honestum,atq; vtile existiment, vt potius illorum studium vituperent, damnent, irrideant; etiam si intelligant idem à suo ipsorum magistro Aristotele, eiusq; doctore Platone fuisse mirabiliter auctum,& exornatum, ac commentarijs etiam editis locupletatum, atq; illustratum. Dixi de malis Philosophis,ac Dialecticis, qui nō iudicio, sed desperatione ad prauam sententiam, tamquàm æstu,& tempestate ad scopulum adhæserunt,vt linguæ græcæ,& latinæ cognitionem, & magnitudinem exhorrescant, maximosq; orationis illustrandæ labores pertimescant. Dicamus nunc de Medicis; de quibus si quæratur, cur veterū quidem multi in re Medica sic excelluerint, vt vel dij habiti sint, quod de Chirone, Machaone, Podalirio, Hippocrate, memoriæ proditum est; tantoq. in honore fuerint, vt ne præclari quidem Reges,aut homines à Regibus originem habentes Medici nomen erubuerint, quod legitur de Sabore, & Gyge, vtroq; Rege Medorum, Sabiele Arabum, Mithridate Persarum, Hermete Aegyptiorum, Mesue Damasceni Regis nepote; nunc uero tam pauci sint,qui excellere uideātur; quiq. eam habeant auctoritatem, quæ tantæ facultatis deceat dignitatem : profecto huius paucitatis illa in primis caussa afferenda est,quòd multi Medici,potius pecuniæ mendici, quàm veri medici, magis lucri, quàm scientiæ studiosi, à recta studiorum ratione descifcunt; satisq. habent, si summa quædam remediorum genera nouerint; nec propter litterarum græcarum,& latinarum inscitiam fontes artis attingunt; nec satis tenent,quid suo ipsorum officio conueniat. Hinc morborum amplificatio : hinc ægrotantium desperatio: hinc perturbatio populorum: hinc labes,& pernicies ciuitatum. Quod enim aliud istorum institutum est, qui, si frontem corrugatam,& caperatam, barbam prominentem

&

& pexam, uultum,& inceſſum grauem, atq. adeo etiam annulos, ueſtes, capitis ornamenta, mulas, equos, currus,quibus per urbes vehuntur,intuearis,omnem eruditionem præ ſe ferunt ita,ut eorum ſupercilio,tamquàm Atlante cœlum, Medica niti facultas uideatur; ſi opera inſpicias,nihil,aut parum admodum ueræ notitiæ,& ſolidæ intelligentiæ ſe habere ſignificant; quæ, inquam, iſtorum conſuetudo eſt, niſi, ut ſimulata quadam eruditione,& generali remediorum pertractatione, quæ haberi etiam poſſe ſine ullis litteris per ſolam experientiam uidetur, pecuniam à miſeris, qui ſe, ſuamque uitam eorum fidei commiſerint, extorqueant ad inſatiabilem illam ſitim,acerrimamq. diuitiarum cupiditatẽ explendam,quam ſibi vnam propoſuerunt?Quid igitur mirum,ſi deſpiciantur,homines ineruditi,& inepti, non ſolum reprehenſione,ſed etiam pœna dignisſimi, quòd non vitam hominum conſeruare,ut ipſorum ars pollicetur, ſed potius auferre uideantur,propter eius ipſius, quam profitentur,artis ignorationem? de quibus moriens Adrianus locutus eſt, cum exclamauit, TVRBA Medicorum Principem interfecit.Quid?quòd illud ipſum ſtudium, quod ſine dubio immẽſum,ac prope infinitum eſt,ad eam paucitatem, easq; anguſtias redegerunt,ut paucis quibuſdam cognitis præceptionibus,uel remediorum,vt ipſi appellant,receptionibus, Dialectica vix in limine ſalutata,Philoſophia vix de facie,uel de nomine cognita, multi paucorum menſium ſpatio ſe tamq̃ egregios Medicos uenditent; ac ſine vlla bonarum litterarũ cognitione ſe inter Medicos primos, omni dignitate præſtãtes,omni claritate fulgentes uelint enumerari?Id quod,mihi credite,Aud.nullam aliam euenit ob cauſſam,niſi quòd præclara litterarum ſtudia prauis hominum moribus ad quæſtum,prædamq; tendentibus corrupta ſunt;proq; græcis, & latinis vocibus,quibus omnis doctrina elegans,& libero homine digna comprehenſa eſt, barbara quædam garrulitas, quæ omnia infuſcat,adamatur. Quaſi vero quidquam recte intelligi ſine linguarum, & illarum præcipue,quæ omnium laudandarum artium fontes vberrimos continent, intelligentia queat.Cur enim Hippocrates,cur Galenus, cur alii ueteres Medici tam exquiſite in litterarum ſtudio ſibi elaborandum

dum duxerunt,niſi,quòd inde ſuæ artis abſolutionem mana re intellexerunt? Quod etiam ſub inuolucris,atq. integumen tis fuiſſe ſignificatum videtur,cum omnem ſcientiam petē-dam eſſe à Muſis,& Apollinem eundem eſſe tum Muſarum, tum Medicinæ præſidem deum,veteres tradiderunt. Nihil enim aliud mea quidem ſententia eſt Apollo,nihil aliud ſũt Muſæ,niſi pulcherrima, & eruditisſima veterum ſcripta,in quibus omnem eruditionem, omnem doctrinam, omnem artis perfectionem contineri,qui non confitentur, ſine du-bio à veritate longisſime aberrant, diſciplinarum deprauationem amplectuntur,rerum lucem oderunt, tenebras ada-mãt,in maximo errore verſantur. Iam veniamus ad noſtros Iuriſconſultos;quorum quidem multi haud ſcio, an verius appellari debeant legum ſtudioſi,& docti,quàm gloſſematũ, & commentariorum: propterea quòd magis gloſſemata, & commentarios,quàm leges ipſas legant; cum in verbis legũ propter latinæ linguæ inſcitiam difficilius verſentur; in iis uero,quæ barbare ſcripta ſunt,gloſſematibus, & commentariis,minorem habeant difficultatem.Itaque deſerunt latinæ linguæ candorem,& circumſcriptæ illius elocutionis maieſtatem, quæ in ueterum Iuriſconſultorum libris admirabilis eſt; ſeq; in media barbaria inuoluunt; cumq; ad excellentiam,uel potius ad nomen excellẽtiæ quàmuelocisſime progrediantur,ſatis habent,ſi ſolennes,& tritas quaſdam diſtinctionum,& verborum formulas nouerint, illiſq. ſibi doctorum inſignia compararuerint; ac magis curant, ut doctores, quàm ut docti exiſtant.Hic,humanisſimi Aud. non poſſum non vobis commemorare, quid de bonis litteris reſponderint duo magni noſtrorum temporum Iureconſulti; quorũ quidem alter cum in hoc gymnaſio prorſus barbare, & putide loqueretur, cauſſamq; afferret,cur dicendi elegantiam minime ſequeretur, Nec Terentium, inquit,nec Cæſarem, nec Ciceronem unquam legi,quòd iuris quæſtiones, ut decidantur, aliud profecto requirant,quàm iſtorum cõcinnas voces,& compoſita verba.Quaſi uerborum exquiſita cognitio ad res exquiſite cognoſcendas non pertineat: & quaſi legum maieſtatem deceat inquinata, & barbarorum ſordibus turpificata elocutio,non oratio emendata,non pura, nõ grauis.

uis. O tempora, ô mores. Alter uero, cum in conſcribenda ſententia ſua de re quadam ſuo, tamq̄ ſapientis, commiſſa cõſilio (ad iſtos enim, tamq̄ ad Apollines confugiunt) multos ſane dies, & menſes poneret, ac modo publicarum diſputationum, modo aliarum rerum excuſatione vteretur, quotidieq. magis recentiorum iuriſconſultorum tricis, atq; mæãdris ſe inuolueret, nec vnquam proferendæ ſententiæ finem faceret; conquerentibus de cunctatione ijs, quorum id intererat, oratorum forte, & poetarum ſtudio deditis; An uero, inquit, putatis agi nunc, quomodo oratoriæ nugæ, & poeticæ ineptiæ concinnentur, non quomodo obſcuriſſima iuris quæſtio declaretur? Illa ſint, ut uere ſunt, tamquàm inania, & leuia, ad componendum facilia: at prudentum de iure ciuili reſponſa non niſi longo temporis ſpatio ad meditandum, & contemplandum dato reddantur. Quaſi facillimum ſit orationem, uel poema conficere: & quaſi barbara iſta reſponſa non ſæpe talia ſint, ut nihil fere aliud contineant, quàm quod natura duce poſſe intelligi videtur. O deprauatam diſciplinam, & corruptam conſuetudinem. Iuriſconſulti quondam ita uerborum elegantiæ ſtuduerunt, ut in eorum potiſſimum ſcriptis latina elucere eloquẽtia uideatur: nunc reperiuntur Iuriſconſulti, qui à Latinitatis candore ſint penitus alieni. Illi intellexerunt, uerba eſſe non ſolum legitimæ diſciplinæ, uerum etiam bonarum artium omnium firmiſſima fundamenta, ut, qui illorum uim melius teneret, harum quoque cognitionem maiorem haberent: hi res inter ſe natura coniunctas, uerborum ſcientiam, & præceptorũ notitiam diſiungunt. Illi ſemper ornate, quæ ſentiebant, eloquebantur: hi omnia impure, & deprauate loquuutur. Illi ad hominum eloquentium imitationem ſcribendo ſe effingebant: hi elegantiſſimos quoſq; ſcriptores, ſi Dijs placet, irrident. Illi poetarum, & oratorum auctoritatem tanti fecerunt, ut grauiſſimis ſæpe eorum teſtimoniis in ſcriptis ſuis uſi ſint; quod facere conſueuerunt etiam Medici; etiam Philoſophi; etiam ceteri omnes: hi audent uel politiſſima quæque poemata, & ornatiſſimas orationes, quamuis eſſent ipſius Homeri, Virgilii, Demoſthenis, Ciceronis, res leues nominare, & cum ſuis tumultuoſis opinionibus conferre; ut

quæ

quæ opera nonum quoque, quod ille ait, in annum promē da sunt, quò perficiantur, & quæ nonnisi longissimo temporis spatio perfici queunt, faciliora existimentur, quàm istorum responsa, quæ nihil sæpe aliud, quàm meras continere nugas comperiuntur. Intelligitis ergo, præstantiss. Audit. quemadmodum non solum rudes, atq. indocti homines litterarum elegantiam aspernentur, verum etiam illi, qui maximam doctrinam profitentur. Quorum quidem pessimum exemplum secuti iuuenes plurimi ita à recta studiorum ratione deflexerunt, vt bonæ eis litteræ sordeant: vt nouum quoddam, & ante inauditum loquendi genus passim vsurpetur: vt quò quisque verbis minus elegantibus, magisq; nouis fuerit usus, atque in disputationes suas maiora quasi monstra intulerit, eò doctior habeatur: vt, siquis Philosophiæ, & Dialecticæ, siquis Medicinæ, siquis Iuri ciuili deditus, oratione paullo limatior sit, is potius Grammaticulus, & tenuissimarum Grammaticæ rationis quisquiliarum collector, ad vocum illecebras, tamquàm ad sirenios scopulos adhærescens, quàm grauioris disciplinæ sectator habeatur. Eodem pessimo exemplo factum est, ut inueterauerit, & in animis hominum penitus insederit perniciosissima quædam opinio, nihil in his litteris contineri, nisi humile, nisi leue, magis puerilibus rudimentis, quàm uirili scientiæ accommodatum. Quamobrem non solum doctores, qui eas pertractant, uerum etiam iuuenes, qui earum se studiosos ostendunt, parum graues existimantur; cumque antea illi, qui in clarissimis gymnasijs nobiliorum nomen prætendere consueuerunt, hæc studia in primis exercere solerent, & Humanitatis scholas potissimum frequentare: nunc, quamuis huiusmodi litteris, & huiusmodi doctoribus tam indigeant, quàm qui maxime, atque in harum rerum cognitione positum esse magnum uitæ decus, & ornamentum, magnum commodum, & adiuuentum confiteri cogantur: plerunque tamen uerentur, ut hæc nostra quotidie frequentata subsellia suam ipsorum grauitatem plus nimio demittant. O peruersissimam opinionē. Equidem, Audit. illud magis paterer, & minus moleste ferrem, vt culpa uel in me, uel in alios, qui hasce litteras docent,

reiicentur, eamque uel ingenii, uel doctrinæ uarietatem, atque præſtantiam, quæ in hoc munere obeundo requiritur, longe à nobis abeſſe obijceretur; quod etiam nos, qui minus nobis arrogamus, in his ſtudijs magnitudine infinitis confitemur, atque ita confitemur, ut magis quotidianis laboribus, atque aſſiduis vigilijs noſtris, quàm ulla perfecta, & abſoluta, qualis poſtulatur, ſapientia, & eloquentia eorum dignitatem tueri nos poſſe exiſtimemus; paterer, inquam, & ferrem, ſiquid turpitudinis horum ſtudiorum profeſſioni euenit, id quorundam hominum, qui ea profitentur, uitio, non artium, quæ tractantur, naturæ tribui: ſed dici has litteras inanes, & nugatorias, nulla grauitate, & magnificentia præditas, pueris magis, quàm uiris congruentes, & ob id minus curandas, minuſque complectendas, non patiar, non feram, non tolerabo, idque falſiſſimum eſſe, atque indigniſſimum, quod in hominum ore uerſetur, ſemper prædicabo. Non nulli uero eam animo imbibere ſententiam, à viris quibuſdam grauibus maioris fortaſſe auctoritatis, quàm opus ſit, ſparſam, atque diffuſam, ut, quæ ſtudia omnem hominis ætatem requirunt propter amplitudinem ſuam, & vitæ longiſſimæ ſpatio vix, aut ne uix quidem perfici queunt, ea unius, uel alterius Grammaticuli, & Rhetoris præceptis memoriæ mandatis, ipſi abſolui poſſe arbitrentur, ſtudijſq; omnibus in uarias claſſes diuiſis nefas eſſe ducant, ſi quis eorum, qui alia profitentur, noſtra amplius attingant, quæ nihilominus, uelint, nolint, ſi cum alijs coniungantur, cetera perficiunt, ceteriſque maximo ſunt ornamento, atque adiumento. Nonne igitur patet in tam prauis hominum moribus, cur tam pauci ſint, qui dicendi, & ſcribendi laude floreant? qui ad ueterum elegantiam proxime accedant? qui barbarie non ſint inquinati? Nonne maxime dolendum eſt, præclara litterarum ſtudia præcipue in Italia deſeri, & quæ paſſim per totam Italiam floruerunt, ea uel in ipſis Italiæ præclariſſimis gymnaſijs parum honoris habere? Dictu quidem mirabile, atque adeo etiam miſerabile, quomodo euenerit, ut, ubi diſcebantur vulgo græcæ litteræ, perinde ac à nobis nunc diſcuntur latinæ, ubi natiua fuit latina

lingua

lingua, ubi dominata est, ubi ex scriptis tot clarissimorum virorum maximam claritatem acquisiuit, ibi non solum græcæ linguæ cognitio, uerum etiam ipsa latinitas desideretur, ibi latinæ linguæ candor prorsus commaculetur, inde latina eloquentia ad exteras nationes amandetur; & ubi Musæ potissimum cultæ sunt, ibi incultæ, incomptæ, inornatæ conspiciantur; & quidem cum magno totius Italiæ dedecore, quæ cum antea omnis humanitatis, atque elegantiæ sibi gloriam asciuerit, nunc nulla prope antiquæ monumenta laudis, & veteris insignia dignitatis agnoscit. Quantum autem turpe fuit Italis hominibus bonas litteras despicere, tantum splendoris accessit Germanis, Polonis, Gallis, alijsque gentibus, & nationibus, quæ eloquentiam ab Italiæ finibus quodammodo eiectam in suum sinum, & complexum recipere visæ sunt; quarum quidem gentium, & nationum homines cum in nostras ueniunt regiones, mirantur, & merito mea quidem sententia mirantur, nulla hic prope eius uestigia existere; cumque eorum plerique litterarum elegantia delectentur, sæpenumero doctores Italos barbare disputantes audire non possunt, & ab eorum auditione auertuntur, litterasque non solum græcas, sed etiam latinas in Italia latitantes uix inueniunt, ac nisi prauis hominum moribus, malisque institutis ipsi quoque, ut interdum euenit, de recta studendi uia deducantur, pluris hæc nostra studia, quàm cetera faciunt. Vos igitur collaudo, iuuenes magnanimi, & generosi, qui ex longinquis terrarum regionibus ad hunc amplissimum doctrinarum mercatum concurristis, quòd eas linguas, quæ tot excellentium poetarum, admirabilium oratorum, præstantium historicorum, nobilium philosophorum, ingenuarum artiũ tribuunt cognitionem, studiosissime persequamini; cumque græca non contemnatis, latina in primis complectamini; ueteremque latine loquendi consuetudinem in bonis artibus pertractandis retineatis; atque Humanitatis studia ita exerceatis, ut omne decus, & ornamentum in eis positum esse existimetis. Vos uero, illustris Latinorum progenies, & generosa propago, etiam, atque etiam hortor, ut simul cum lingua græca, quę latinis charissima fuit, latinitatem

commendatam habeatis; & in alia quidem ſtudia vehementer incumbatis, ſed in ea uehementiſſime, ſine quibus alia rudia, & imperfecta exiſtunt; Humanitateque homines colatis; & in primis caueatis, ut quorundam doctorum maior fortaſſe auctoritas, quàm præſtantia vos à rectiſſimis ſtudijs abalienet. Non enim uerum eſt, imm o tam falſum, quàm quod falſiſſimum illud, quod uobis perſuadere conantur, Humanitatis ſtudium humile, atque abiectum eſſe: ſed tanta grauitate, & magnificentia præditum cōperitur, tanta rerum, atque artium cognitione inſtructum, ut, qui hoc negligat, is non diſciplinam aliquam deſpicere, verum vniuerſum doctrinarum orbem contemnere videatur. At res inanes, & leues eo ipſo continentur, ut poetarum fabulæ, quomodo oppugnatum ſit Ilium, quo modo Aeneas in Italiam uenerit: ut comendæ orationis præcepta, quid ſit ſimiliter deſinens, ſimiliter cadens, & alia eiuſmodi non magni momenti negotia. Quaſi poetica figmenta ſub ſuis inuolucris, atque integumentis omnem elegantem doctrinam non contineant; nec depromantur à poetis ex ipſius philoſophiæ penetralibus multa de naturæ primordijs, de rerum omnium cauſſis, de animorum immortalitate, de rebus bonis, & malis, de Rebuſp. gubernandis: quæ uero traduntur de ratione dicendi, non eò pertineant, ut principem homines locum in ciuitatibus teneant; nec ab orator bus agantur ea, quæ in communi vitæ uſu, in gerenda Repub. in humana ſocietate concilianda plurimum ſemper valere uiſa ſunt. Vt igitur his litteris res poeticæ tantum, & oratoriæ comprehendantur, non tamen doctrina inanis, & ludicra pertractatur. Sed tantum abeſt, ut hæc duo ſola rerum genera ad humaniores litteras referantur, ut, quicunque eas profiteatur, præter poeticæ, & oratoriæ facultatis cognitionem, præter græcæ, & latinæ, atque aliarum etiam linguarum notitiam, præter elegantiſſimam loquendi, & ſcribendi rationem, in eo totius antiquitatis memoria, totius Dialecticæ, totius Philoſophiæ, totius Iuris ciuilis, atque adeo vniuerſi liberalium diſciplinarum orbis intelligentia deſideretur. Eant modo illi, qui alia ſtudia profitentur, & quibuſdam diſtin-

distinctionibus ad unum sine dubio genus pertinentibus non admodum infinitis mente comprehensis, se tamquàm Dialecticos, tamquàm Philosophos, uel Iurisperitos, uel Medicos venditant: conferant iam studia sua cum Humanitatis studio, considerentque tum illorum, tum huius magnitudinem, & uarietatem: profecto inuenient, illa quidem difficilia esse, sed tamen eiusmodi, ut laboribus, & vigilijs superari aliquando queant; hoc nostrum tantum, tamque uarium esse, ut ei nulla uis ingenij, quantumuis magni, nulla singularis industria satis esse posse uideatur. Quid? quòd non solum uniuersus Humanitatis orbis liberales omnes artes complectitur, sed singulæ quoq; eius partes tractare res omnes perhibentur? Nam, ut taceam alias disciplinas, quæ tam arcto inter se uinculo colligatæ sunt, ut uix unam sine altera liceat intelligere, non solum poetarum facultas rerum omnium materiam propositam habet: uerùm etiam oratoria ratio, vel ipsius Aristotelis testimonio, in re quaque pertractanda uersatur. Quamquam enim præcipuum oratoris munus est agere de rebus ciuilibus: tamen eloquentia nullis est circumscripta cancellis, nullos habet certos sibi fines, terminosque constitutos, quacunque lubet, uagatur, & excurrit, ac de rebus omnibus etiam ad alia disciplinarum genera pertinentibus ita disputat, ut eas reddat suas. Neque tamen censenda est extra suos limites egredi, &, quæ sunt aliorum, occupare, cum amplissimum rerum omnium campum omnibus propositum sua colat industria. Non enim eodem modo, quo alij, altissimas quæstiones tractant oratores, nec, si sapiunt, à se ipsis recedunt, quod prohibet Aristoteles; sed mea quidem sententia hoc differunt ab alijs; quòd illi argumentis proprijs: hi communibus utuntur. illi magis necessaria, quàm probabilia: hi magis probabilia, quàm necessaria sequuntur. illi curant, ut intelligantur tantum ab ijs, qui eadem profitentur: hi, vt ab omnibus. illi ieiune, & exiliter omnia disputant, maxime si cum his conferantur: hi dicendi ubertate, & copia delectantur. Quamobrem recte Zeno eloquentiam fuse, lateque omnia pertractantem, palmæ illius manus, cuius digiti essent diducti, & dilatati, esse similem dicebat.

cebat. Nec immerito propoſitæ ſunt oratoribus non ſolum quæſtiones ciuiles certis perſonis, locis, temporibus, actionibus, negotijs definitæ: uerum etiam philoſophicæ, uniuerſales, & infinitæ, quas illi ad communem intelligentiam accommodate, uarie, copioſe, eleganter ita perſequuntur, ut facile oratoria præſtantia diiudicetur. Et non ſolum quæſtiones infinitæ, quæ pertinent ad agendum, de rebus bonis, aut malis, expetendis, aut fugiendis, honeſtis, aut turpibus, utilibus, aut inutilibus, iuſtis, aut iniuſtis, de motu animi gignendo, uel ſedando, plane ue tollendo: ſed etiam, quæ referuntur ad cognoſcendum, ſiue quæratur aliquid coniectura, ſiue definitione, ſiue conſecutione. Quod negotium cauete, Aud. vt leue exiſtimetis: & cùm alias artes, quæ ad Humanitatem pertinent, ſatis graues putate: tum Rhetoricam propter grauitatem ſuam digniſſimam eſſe, in qua maximum ſtudium ponatis, uobis perſuadete; præcipue uero Rhetoricam Ariſtotelis, quæ quò ceteris obſcurior, & difficilior eſt, eò maiorem eloquentiæ ſtudioſis affert vtilitatem. Neque enim neganda eſt eius obſcuritas, ac difficultas, etiamſi (ut narrem uobis rem quidem ridiculam, ſed ueram, atque ad id, quo de agitur, ſatis accommodatam) quidam nobilior adoleſcens ſecus ſibi perſuaſerit. Nam, cum ſuperioribus annis hanc ipſam Rhetoricam interpretarer, multaq. ex Philoſophorum adytis, ut quandoque opus eſt, ad eam explicandam depromerem; ipſe à quodam amico ſuo interrogatus eſt, an huiuſmodi arti tam præſtanti, tamq. neceſſariæ ſtuderet; qui, cum adhuc Grammatici alicuius opera indigeret, & nihilominus, vt doctior haberetur (quod facere ſolent non pauci) maiores huius gymnaſii doctores audiret, ac intelligere ſe non ſolum obſtruſiora Dialecticæ præcepta, cuius vix dum elementa perceperat, ſed occultioris etiam Philoſophiæ decreta, quæ à ſapientiſſimis uiris in hoc gymnaſio declarantur, profiteretur, audacius, quàm prudentius, Cum poſt prandium, inquit, aut poſt cœnam nimium ocium fugio, ut tenui aliqua re, quæ haud magnam requirat ſtudii indagationem, mihi animum oblectem, libros Artis Rhetoricæ Ariſtotelis percurro. Viſus

quidē

quidem eſt adoleſcentulus impudentiuſculus, atque adeo etiam imprudentiuſculus rem aliquam leuem nominare, perinde ac Aeſopi fabellas, Luciani fictas narrationes, aut aliquid etiam leuius, cum Artem Rhetoricam Ariſtotelis nominauit. O miram inſcitiam. Ergo, in qua arte maxima ingenia diu, multumq. elaborarunt, & grauiſsimi viri deſudarunt, ea ab abſurdis adoleſcentibus leuis exiſtimabitur? Quam artem clariſsimi quoque Philoſophi adeo obſcuram iudicarunt, vt aliquibus commentariis cenſuerint interpretandam, atque illuſtrandam, ea tam facilis habebitur, ut uel oſcitantibus, & dormitantibus corporibus percipi queat? Qui Philoſophus ut omnia ſcripſit ſapientiſsime, atque elegantiſsime, ſic omnia perſecutus eſt tam ſubtiliter, tam acute, ut uix unquam ſine interprete, atque explicatore intelligi poſſe uideatur; is rationem dicendi tam plane tradidiſſe putabitur, ut qui eo duce oratores fieri cupiunt, iis nullo ſtudio, nulloque labore opus ſit? Id opinari, Aud. ſtultiſsimum eſſet. Quamobrem ut huius ipſius artis obſcuritatem, & difficultatem confitemur: ſic ad eam claram, facilemque reddendam omne noſtrum ſtudium, officium, laborem, diligentiam, quantum denique ingenio, atque induſtria efficere unquam poſsimus, uobis pollicemur, atque deferimus; quò exquiſitas epulas à locupletiſsimo Philoſopho in hoc libro ſecundo animis ueſtris apparatas ſumatis; & mentes ueſtræ ſuauiſsimis artis Rhetoricæ cibis paſcantur; maxime uero, ſi ea, quæ à grauiſsimo auctore de moribus, de affectibus, de argumentis tradita ſunt, nec leuia, nec præſentia, & auribus ueſtris indigna, contempto peſsimo hominum exemplo, exiſtimabitis: ſi labores noſtros, qui ad ueſtrum decus, & commodum libentiſsime conferuntur, ſingulari veſtro ſtudio, honeſto concurſu, benigna attentione comprobabitis: ſi maledicos homines induſtriæ noſtræ contemptores, gloriæ obtrectatores, qui nos puerilia tantum conſectari falſo in uulgus iactant, maleuolos agnoſcetis, eorum auctoritatem aſpernabimini, eos monebitis noſtris uerbis, ut deſinant maledicere, niſi uelint infantiſsimi, inuidentiſsimi, ineptiſsimi apud omnes prædicari.

Cum



CVM INCIPERET EXPLICARE ARTEM Rhetoricam Aristotelis.

ANTONII RICCOBONI Oratio.



NON paruum sanè onus hoc anno pro mea singulari erga vos beneuolentia suscepi, studiosissimi Aud. ut in prioribus studiorum nostrorum curriculis artem Rhetoricam Aristotelis, in posterioribus Poeticam interpretarer. Quas quidem artes ad humanitatem præcipue pertinentes quamuis pauci in hoc frequentissimo gymnasio complecti uideantur; vel quòd damnent studium Humanitatis, prorsus inhumani, earum rerum contemptores, quas ignorant; uel quòd deprauatos nostri seculi mores sequantur, vendibilioribus quibusdam studijs plus nimio addicti, ut ea tantum curent, unde quæstum faciant, cetera aspernentur; uel quòd à non nullis artificiosissimis hominibus decipiātur, qui leuioribus quibusdam præceptis traditis, quæ ipsi vndique excerpserūt,

atq.

atq. ediſcenda propoſuerunt, eis perſuadent, ſatis magnum curſum, atq. progreſſionem factam eſſe ad eloquentiæ excellentiam, eoſq. ne Grammaticæ quidem quiſquilijs perfecte cognitis, nedum oratoria facultate percepta, ad grauiores artes prouehunt; vel propter alias cauſſas humanas: uos tamen, præſtantiſſimi iuuenes, contemnere non debetis, perſuaſum habentes illud, quod eſt tam certum, quàm quod certiſſimum, ad oblectandum animum eſſe aptiſſimas, ad uitam hominum tuendam commodiſſimas, ad gloriam conſequendam opportuniſſimas, genere quidem infinitas, ſed fructu vberrimas, iucunditate ſuauiſſimas, ratione ita honeſtas, vt quas artes eis præferatis, non facile inuenire poſitis. Cũ autem prior nobis Rhetorica propoſita ſit explicanda, de Poetica ſuo tempore agemus, nunc ne horam, quæ nobis datur ad dicendum, inanibus proluſionibus conteramus, nihil præter rem agemus, ſed in ipſo explicationum noſtrarum prope veſtibulo, præſtantiam rerum, quæ in Rhetorica traduntur, perpendemus. Octo enim pertractantur animis ingenuis maxime congruentia; in primo libro tria, tum conſilium omnibus, qni bene agere uolunt, neceſſarium; tũ laus ad virtutem incitamentum; tum iudicialis ratio maxime pertinens ad iuſtitiam conſeruandam: in altero libro altera tria, primum mores, vnde morati homines, morati oratores, morata oratio; deinde affectus, qui in animis hominũ dominantur; poſtea rationes, & argumenta, quæ nos oſtendunt uere homines, id eſt, rationis participes, & ratione vtẽtes: in tertio libro duo, nempe ornatus, & ordo orationis; quibus ſane rebus quid præſtantius, quid excellentius, quid homine libero dignius poteſt excogitari? Age enim, ut de arte conſultrice primum agamus, cuius, vt ait Ariſtoteles, tamquàm pulchrioris, & ciuilioris, primus locus eſt in Rhetorica; nonne magnum quiddam, atq. eximium eſſe fatebimur, poſſe in ſenatu conſulere ſenatoribus, quid expediat, vel non expediat ciuitati, & conſilium congruenti oratione explicare, hortariq. illos ad decus, & dignitatem patriæ retinendã, ad vtilitatem, & commodum conſeruandum, atq. augẽdum, ad publicum bonum ſequendum, & publicum malum fugiendum? Id enim primum docet hæc ars, quomodo de pa-

randis pecunijs publicis agendum sit; quomodo vtilis,& salutaris de bello, aut pace sententia dicenda: quomodo de custodia regionis oratio habenda: quomodo loquendum de rebus ad victum pertinentibus vel in urbem importandis, vel ex urbe exportandis: quomodo leges suadendæ, uel dissuadendæ: quomodo omnia tractanda, quæ Reip. interesse uideantur. De quibus quoniam suasiones ducuntur ex felicitate, vel partibus felicitatis, ex generibus bonorum, ex ijs, quæ faciunt ad finem Reip. consequendum; dici non pôt, quàm singularis, quàmq. admirabilis sit doctrina Aristotelis de ipsa felicitate, de ipsis partibus felicitatis, de ipsis generibus bonorum, de ipsis finibus Rerump. Quæ quidem præceptio sane egregia, & præclara non solum ualet communiter ad publice consulendum, verum etiam priuatim ad singulos homines cohortandos, ut, si nobiles sint, nobilitatem conseruent, si ignobiles, ad nobilitatem uirtutibus sibi aditum patefaciant: vt liberi bonos se præstent erga parẽtes: ut diuites quidem diuitijs utantur, quæ magis in utendo, quàm in possidendo consistunt, pauperes vero inopiam tolerent: vt bonæ existimationis homines eam pro uiribus tueantur: vt honorati quotidie magis studeant tum publice, tum priuatim benefacere, cum à beneficentia, & benefica uoluntate omnis honor proficiscatur: vt, qui uirtutibus corporis præstant, eas tum demum plurimi faciant, si cum virtutibus animi sint coniunctæ: ut & senes, & adolescentes, & cõstanti ætate uiri suis fungantur officijs: vt amici in rebus honestis amicos non deserant: ut nec fortunati prospera fortuna nimium fidant, nec infortunati in summam rerum desperationem adducantur: denique vt omnes obseruent, quod deceat obseruari. O vtilitatem omnibus complectendam. Neque vero domi solum, sed etiam militiæ plurimum prodest eloquentia. Quod non modo declarauit Cato ille Censorius, qui nec optimum senatorem, nec optimum imperatorem se esse posse existimauit, nisi simul optimus esset orator: verum etiam Sulpitius Gallus in exercitu L. Paulli aduersus Perseum Macedoniæ Regem bellum gerentis, qui sua eloquentia fecit, ne militum animi cognita caussa deficientis Lunæ conterrerentur. Quod, quia Nicias in Sicilia contra Syracusanos

sanos

ſanos militans efficere neſciuit, pulcherrimum Athenienſiũ exercitum dicitur perdidiſſe. Idem notum fecit Pericles, qui Athenienſibus obſcuratione Solis territis cauſſas eius rei ſua reddidit eloquentia, tunc cum gubernatorem quoque Triremis ſuæ perterritum ob eandem cauſſam, atq; animi dubium, conſpiciens, oppoſita ad eius faciem chlamyde, ue latiſq. oculis, rogauit, numquid horrendum eius rei ſignũ, putaret, abnuenteq. illo, Quid igitur intereſt, inquit, aut quid diſtat hoc ab illo, niſi quòd maius quiddam chlamyde eſt illud, quod nunc tenebras agit? Atque hæc eſt prima Rhetoricæ materia ad conſilium tum publice, tum priuatim, tum domi, tum militiæ, de rebus agendis explicandum, maxime accommodata. Sequitur altera, vt uirtutes extollantur, ac uitia deprimantur, & laudes celebrentur in primis Dei, quem Moſes primum Hebræos ex Aegypto in patriam reducens, poſteaquàm mare rubrum diuinitus cedentibus aquis tranſgreſſus eſt, carmine heroico dicitur laudaſſe: dein de uero etiam hominum virtute præſtantium, ut Euagoræ, & Helenæ apud Iſocratem; vt Cæſaris, & Pompeii apud Ciceronem; vt aliorum apud alios. Nam ex omnibus veterum inſtitutis, quæ multa ſunt, & præclara ad bene, beateq. uiuẽdum accommodata, nullum meo quidem iudicio eſt neque ad excitandos hominum animos opportunius, neq; ad uitæ ciuilis finem adipiſcendum aptius, quàm ut in bene conſtituta ciuitate, quantum quiſque mereatur, tantum eidem laudis publice tribuatur. Ita enim & ad labores ſuſcipiendos, & ad pericula pro communi ſalute ſubeunda gloriæ ſtudio ſi mirabiliter inuitantur. Cui muneri obeundo ita ſeruit Rhetorica, ut omnium uirtutum ſyluam ante oculos proponat, & quæ efficiunt uirtutem, quæq; efficiuntur à uirtute, præclare doceat, ex quibus quaſi vberrimis fontibus omnis laudatio deriuatur, ac perſpicue demonſtret, quo quidque modo laudari debeat. Non enim ſolum Deus, & homo laudibus effertur: verum etiam quandoq; cauſſa delectationis aliquod animal rationis expers; vt à Luciano muſca: à Virgilio apes: ab Ouidio pſitacus: à Plinio formica, & luſcinia: ab Apuleio aſinus. Immo uero etiam interdum res inanimæ; vt febris quartana à Phauerino Philoſopho, digno mea qui-

dem ſententia, cum iſta ſua quartanæ laudatione, qui perpetua quartana laboraret: iniuſtitia Romæ audiente Catone à Carneade, qui pridie iuſtitiam laudauerat: ſtultitia à ſtultiſſimo Eraſmo: alia ab alijs. Nunc uenio ad tertiam materiã, quæ eſt tota iudicialis, & accuſationem continet, atq. defenſionem, maxime neceſſaria, vt ſcelera, fraudeſq. nocentium ſubijciantur odio ciuium, ſupplicioq; conſtringantur, & innocentia iudiciorum pœna liberetur. Quo quidem in genere maximam oriri de oratore admirationem, maximamq. eſſe eius gloriam, doctiſſimi homines cenſuerunt. Ac utile quidem eſt, vt accuſatores multi ſint in ciuitate ad audaciam metu continendam; quorum quidem alios, Latinorum eloquentiſſimus, anſeres appellauit, qui tantum clamarent, nocere non poſſent, alios vero canes, qui & latrare, & mordere poſſent: ipſaq. accuſatio quandoq. non potius accuſatio, quàm defenſio uidetur, dum accuſatur vnus, defenduntur complures mortales ab illo vno omni iniuriarum genere diuexati: multiq. clariſſimi viri nomen accuſatoris minime reformidarunt, vt inter ceteros M. Cato ille ſapiens, vir præclariſſimus, & prudentiſſimus, ut Cn. Domitius, vir præſtantiſſimus, ut Lentulus is, qui Princeps Senatus fuit, ut P. Africanus, homo virtute, fortuna, gloria, rebus geſtis ampliſſimus: ac magnum ſane eſt, atq; haud ſcio, an maximum onus accuſatoris, quem primum oportet eſſe integritate, atque innocentia ſingulari, cum minus ferendum ſit rationem ab altero vitæ repoſcere eum, qui non poſſit ſuæ reddere; deinde firmum, uerumq. non præuaricatorem, non calumniatorem, deniq. præditum magna facultate agendi, uerſatum non mediocriter in dicendo, non expertem rationis, & exercitatis eius, quæ in foro, iudicijs, legibus, maiorum exemplis, atq; inſtitutis ſpectatur. Sed, cum accuſatio laudata ſit, maxime in iuuenibus, vt in L. Craſſo accuſatore C. Carbonis; & accuſare liceat duabus potiſſimum de cauſſis, Reip. & patrocinij: traditum tamen eſt, & recte traditum, minus laudabilem eſſe accuſationem defenſione, propterea quòd, quemadmodum latinæ eloquentiæ Princeps ſcriptum reliquit, Duri hominis, uel potius uix hominis uidetur, periculum capitis inferre multis, idq. tum periculoſum ipſi eſt,

tum

tum ſordidum ad famam, committerē, vt accuſator nominetur, quod M. Bruto ſummo genere nato, illius filio, qui iuris ciuilis in primis peritus fuit, dicitur contigiſſe. Idem grauiſſimus auctor præcepit, Innocentem quidem in iudicio capitis arceſſi ſine ſcelere nullo pacto poſſe; ſed nocentem aliquando,& nefarium, impiumq; defendere, non eſſe habendum prorſus religioni contrarium, quòd uelit hoc multitudo, patiatur conſuetudo,ferat etiam humanitas. Ariſtoteles uero utramq; partem æque inſtruxit, tum accuſatoris, tum defenſoris, ut ex utraque parte exquireretur, Qui, Quibus, Quas ob cauſſas iniuriam faciant, hominesq. accuſareretur tamquàm iniurioſi,ac defenderentur, tāquàm ab iniuria alieni. Atq. hæc ſunt illa,quæ in toto libro primo clariſſimis præceptis illuſtrantur; tres formæ Rhetoricæ,vel tria genera orationum oratoriarum, deliberatiuum,demonſtratiuum, iudiciale. Sequuntur in altero libro altera tria, quæ ſcilicet cernuntur in moribus eius, qui dicit: in eo, ut auditor afficiatur aliquo modo: in ipſa ratione, quia demonſtret, uel appareat demonſtrare. Quo triplici artificio animos auditorum tum conciliamus, ſeu delectamus, quod dicitur eſſe ſuauitatis,& honorarium:tum permouemus,& flectimus, quod uictoriæ,& palmarium: tum docemus, & rationibus ad uerum,& iuſtum inducimus, quod neceſſitatis, & debitum. Vna enim ex his tribus rebus, inquit M. Tullius, præ nobis ferenda eſt, vt nihil aliud, niſi docere velle uideamur: reliquæ duæ, ſicut ſanguis in corporibus, ſic illæ in perpetuis orationibus fuſæ eſſe debebunt. Ac illa quidem pars, quæ moratam conformat orationem,non ſolum docet, quomodo loquamur, ſed etiam quomodo uiuamus; ut primum tres præſtantiſſimos mores præ nobis feramus,prudentiam,probitatem, beneuolentiam erga eos, qui nos audiunt,uel nobiſcum verſantur: deinde orationem ad hominum mores accommodemus; ſiue ſint mores ex affectibus, ut iratorum, lenium, amantium, odio habentium, ſperantium, metuentium, verecundantium, impudentium, gratificantium,& aliorum ſimiliter;ſiue ex habitibus ut prudentium, imprudentium, iuſtorum, iniuſtorum, fortium,ignauorū,temperantiū,intemperantiū;ſiue ex ætatibus,ut iuue-

num,

num,uirorũ,ſenum; ſiue ex proſpera, aduerſaue fortuna,ut nobiliũ,ignobilium,diuitum, pauperũ,potentium,impotentiũ,fortunatorum,infortunatorum;quorum quattuor generum mores (non enim ſunt plures) ſapientiſſime à philoſopho demonſtrantur. Quid dicam de affectibus? Quàm præclara,quàm egregia, quàm præſtans eſt Ariſtotelis de illis præceptio? Vt de vnoquoque illorum facile cognoſci poſſit, Qui, In quos, Quasobres afficiantur, exempli gratia, Qui, Quibus, Quasobres, iraſcantur, Qui, Erga quos, Quasobres deliniantur, Qui, Quos, Quas ob cauſſas ament, uel odio habeant; & de ceteris ſimiliter; vnde fit perſpicua cuiuslibet affectus commouendi ratio, quæ in primis admirabilem efficit eloquentiam. Hæc enim illa fuit, propter quam Periclẽ fulgurare, tonare, vniuerſam permiſcere Græciam poetæ veteres tradiderunt. Hæc illa fuit, propter quam Cicero ſceleratas Catilinæ, & Coniuratorum machinationes, nefariaq; conſilia fregit, atque euertit. Hanc ſequens Galba C. Sulpitij Galli propinqui ſui Q. Pupillum filium pene in humeros ſuos extulit, qui patris clariſſimi recordatione, & memoria fletum populo moueret; & duos filios ſuos paruos tutelæ populi commendauit, ac ſe, tamquàm in procinctu teſtamentum faceret, populum R. tutorem inſtituere dixit illorum orbitati, ita ut, quamuis inuidia, atque odio populi premeretur, huiuſmodi tamen Tragœdiis fuerit liberatus. Hanc ſeruans M. Antonius in cauſſa peroranda non dubitauit excitare reum Conſularem Manium Aquilium, eiuſq; diloricare tunicam, & iudicibus cicatrices aduerſas ſenis Imperatoris oſtendere, tũc cum C. Marius mœrorem talis orationis multum lachrimis ſuis adiuuaret, ac ipſe M. Antonius, crebro illum compellans, collegam ei ſuum commendaret, ipſumque aduocatum ad communem Imperatorum fortunam defendendam iuuaret. Hac eadem vtens Cicero ita ſolitus eſt iudices commonere, ut quadam in cauſſa puerum infantem in manibus perorans tenuerit, & alia in cauſſa excitato reo nobili, ſublato etiam filio paruo, plangore, & lamentatione totum forum compleuerit. Neque uero ſolum huiuſmodi ratio miſeratione mentem iudicum permouet: uerum etiam facit, ut iudex iraſcatur, mitigetur, inuideat, ſtomachetur, fa

uceat,

ueat,contemnat,admiretur,oderit,diligat,cupiat, ſatietate af ficiatur,ſperet,metuat,lætetur,doleat. Quarum rerum omnium exquiſitam tractationem optime docuit Philoſophus. Sequens vero materia libri ſecundi in parandis argumentis, ſeu rationibus poſita eſt,quibus profecto quãtum homines belluis antecellunt, tantum homines hominibus præſtare poſſe exiſtimantur. Hæc autem inueniendorum argumentorum ratio, ſiue quærantur propoſitiones omnibus cauſſarũ generibus communes ab Ariſtotele diligenter explicatæ, ſiue loci Topici ab eodem ſubtiliter explanati, partim enthymematum uerorum, partim adumbratorum, partim diſſoluendorum, atque refutandorum: multum ſine dubio ualet non ſolum ad bene conſulendum ciuibus de communi commodo,& dignitate, reuocandoſq; illos à flagitio,ad laudandos claros viros,& vituperandos perditos homines, ad accuſandos iniuſtos,& defendendos iuſtos: verum etiam ad quãlibet rem probandam,ad quamlibet quæſtionem pertractandam, ad diſputandum de quaque re in contrarias partes. Quod in primis Ariſtoteles docuiſſe auditores ſuos fertur: quodq; mirabiliter profeſsi ſunt Gorgias, Thraſymachus, Prodicus,Protagoras,qui primi tractaſſe locos communes perhibentur. Hæc eſt illa facultas, quæ docet uſum ſane ad mirabilem oratoriarum argumentationum, enthymematis, & exempli;redditq. oratores partim enthymematicos, qualis fuit Demoſthenes, cuius enthymemata lucernam olere Pytheas dixit,qualiſq. Ariſtides,quem appellatum fuiſſe enthymematicum doctiſsimi homines obſeruarunt: partim exemplares,quales potius extitiſſe Ciceronem,& Saluſtium, quàm enthymematicos,quiſpiam merito exiſtimauerit. Reliquæ ſunt duæ materiæ libri tertii,de elocutione, & quomodo conueniat ordinare partes orationis. Ac elocutionis quidem rationem multi noſtris temporibus aſpernantur. Quæ cauſſa eſt,quamobrem, cum multi in Patauinis his nobilib. Scholis,multi Bononiæ,multi in Inſubribus ad Ticinũ, multi in Latio,multi in Etruria,multi inter Tranſalpinas nationes litterarum ſtudia profiteantur,pauci tamen in his excellere comperiantur. Non enim ueſtigiis inſiſtunt ueterum illorum,qui ſibi perſuadebant ſequi litteras ita,ut nulla uerbo

rum

rum ratio haberetur,nec curare, quibus modis animorum sensa exprimerentur, verborum ne luminibus, an sordibus orationis, hominis esse,ut inquit Cicero,intemperanter abutentis & ocio,& litteris,linguarumq. eruditissimarum periti fontes ipsos sapientiæ apud præcipuos scriptores, non riuulos petebant. Quid faciunt contra nostri? Existimant sibi in uerbis non esse admodum elaborandum, quamuis uerba sint subsidia rerum, optimarumq. linguarum ignoratione optimos scriptores non attingunt, sed barbaros quosdam interpretes consectantur. Loquor de illis, qui prauam consuetudinem retinent, Theologis, Medicis, Philosophis, Dialecticis, Iurisconsultis, barbarie inquinatis, non de illis, qui rectam studiorum rationem sequuntur, & sapientiam cum eloquentia sibi esse coniungendam arbitrantur. Operæ precium uero est quàm breuissime cognoscere, quid isti, qui in media barbaria se inuoluunt, pro sua ipsorum afferunt excusatione. Primum dicunt, sapientiæ studiosis non esse necessariam uerborum elegantiam,& idcirco scripsisse Ciceronē, à Philosopho, si afferat eloquentiam, non esse aspernādam, si non habeat, non admodum flagitandam. Deinde aiunt, esse indecoram, quòd grauis alicuius,& seueræ matronæ sapientia similis sit, quam quidem esse fucatam, miniatam, cerusatam nequaquam deceat. Postremo contendunt, fieri non posse, ut eloquentia cum sapientia coniungatur, quòd tanta sit rerum cognoscendarum difficultas, ut discendi ornamenta elocutionis,& colligendi pigmenta orationis tempus nō habeatur. Quasi uero, si nulla elocutionis necessitas est, unius necessitatis in sermone habenda ratio sit, non etiam uenustatis, quam tamen unà cum illa semper esse spectandam facile docemur necessitate,& pulchritudine totius mundi, necessitate,& pulchtitudine omnium animalium, omniumq. arborum in natura, necessitate,& pulchritudine artis nauigādi, artis ædificandi, artium reliquarum, quæ non sine aliqua uenustate hominum generi utilissimæ sunt. Quasi etiam, quoniam omnis fucus aspernandus est, ob id illuuies,& situs,& sordes probādæ sint, ut liceat imitari Patroclē illū, qui nunquam in tota vita lauisse dicitur. Quasi denique ex istorum ignauorum imbecillitate aliorum ingenia metiēda sint,

& non

& non luce clarius constet, sapientiam cum eloquentia coniungi posse, non solum exemplo Platonis, Xenophontis, Aristotelis, Theophrasti, aliorumq. ueterum, qui non minorẽ uerborum, quàm rerum curam habuerunt, uerum etiam nõ nullorum recentiorum, qui non ita sapientiam adamarunt, vt eloquentiam ullo modo sint aspernati. Sed dimittamus istos homines infantissimos, & ignauissimos, nostrumq. Aristotelem complectamur, qui & aureum orationis flumen fundere visus est, & aurea de elocutione præcepta in prima parte tradidit libri tertij, vt cognosceremus tum uerborum simplicium, tum coniunctorum naturam; atq. in simplicibus quidem propria, & immutata, & domestica, & translata, & addita ad nomen, & diminutiua, & frigida, & imagines perpenderemus: in coniunctis uero elocutionem emendatam, amplificatam, decoram, numerosam, fusam, & uersam, vrbanam, conuenientem exquireremus. Nam in altera, & ultima parte de ordine partium orationis, & de ordine rerum in partibus ipsius orationis, disertissime disputauit. Quo quidem nihil ex omnibus rebus melius inueniri posse Xenophon scripsit; cuiusq. quanta uis sit, vel ex re militari perspici facile potest, vbi sæpe paruæ, sed ordinatæ copiæ, magnas, sed confusas, incompositasq. vicerunt, & idcirco capitis pœna constituta erat in ordinis desertores. Sic in oratione sæpe pauca, sed ordinata argumenta longe plus, quàm multa, sed confusa, incompositaq. persuadent, nihilq. pulchrius, aut præstabilius videtur, quàm bene ordinata oratio, suo principio, sua propositione, narratione, partitione, sua confirmatione, & refutatione, sua peroratione optime instructa; de quibus singulis partibus singularia præcepta sunt nobis à philosopho litteris consignata. Discetis igitur ex libro primo trium rerum præstantissimarum artificiosam tractationem, consilij, laudis, & rationis iudicialis. Percipietis ex libro secundo tria præstantissima inuentionis artificia, primum morum, alterum affectuum, tertium argumentorum. Intelligetis ex libro tertio duo alia itidem in oratore præstantissima, elocutionem, & dispositionem; vt præstantia rerum, quæ sunt nobis explicandæ, multum excitare animos uestros debeat. Accedit alterum argumentum, quòd hæc

Aa condi-

condiscetis non ab homine aliquo infimi ordinis,atq. condi tionis, tenuissimas tantum Rhetoricæ quisquilias persequen te, sed à præstantissimo omnium,qui fuerunt, qui sunt, qui erunt, Philosopho,& Rhetore, Philosophorum,& Rhetorũ coryphæo Aristotele,nihil nisi graue pertractante. Sumerem ex me quoq; tertium argumentum, si minus ex doctrina, & ingenio, quo me parum valere confiteor, at saltem ex labore,& diligentia, qua quidem adhibita, nemo est, quin effice re aliquid posiit. Sed, cum id nonnullam habere inuidiam videatur, dicam tantum id, quod uere affirmare queo, multas noctes à me fuisse vigilatas, ut ad horum librorum in tel l igentiam peruenirem;multumq. operæ positum in ipsis tũ latine conuertendis, tum etiam per editos commentarios explicandis, ut meo quodam iure uobis pol liceri posse videar , quemadmodum polliceor,me effecturum profecto, vt si me audiueritis , multos , magnosq; fructus ex meis explicationibus capiatis .



Cum



CVM INCIPERET EXPLICARE Poeticam Aristotelis.

ANTONII RICCOBONI Oratio.



VM initio huius anni publicum explicandi munus susciperemus, pollicecebamur uobis, studiosissimi Aud. nos in prioribus studiorum nostrorum curriculis Rhetoricam Arist. in posterioribus Poeticam esse explanaturos. Quamobrem, cum publice totum librum primum Rhetoricæ, & priuatim totum secundum, ac partem tertij explicassemus, aggressuri quidem eramus statim post pascha ad Poeticam explanandam: sed incommoda ualetudine impediti necesse habuimus nobis ipsis prospicere, & de nostra salute soliciti esse, ac tantisper latere, dum summo prorsus periculo emergeremus, & pristinam sanitatem recuperaremus, & quidem vsque ad hoc tempus, quo à Deo opt. max. vestris, quibus semper consuluimus, commodis incolumes conseruati, vt pau

ciores propter appropinquantes ferias æstatis, sic faciliores, & magis compendiarias (compendium enim uobis fecimus, atq. edidimus totius doctrinæ poeticæ Arist.) habituri sumus, cum maxima uestra admiratione de huius artis præstã tia, ac prope incredibili vtilitate, atq. oblectatione. Nolite enim existimare, quod quidam ad optima quæque vituperã da parati dictitant, & in vulgus iactant, hanc artem esse ignobilem, inutilem, scurrilem, & hoc modo liberis, ac ingenuis animis non admodum conuenientem: sed vobiscum statuite, quod est tam uerum, quàm quod uerissimum, eam esse omnium disciplinarum nobilissimam, utilissimam, cum dignitate iucundissimam, & nobilibus, ac generosis iuuenibus, quales uos estis, maxime congruentem. Id quod nos hodierno die præfationis loco facile demõstrabimus; magis adeo, ut uobis gratificemur, ad quorum voluntatem nostra omnia libentissime referimus, quàm ut iniustis hominum criminationibus satisfaciamus. Id enim nec præstare possumus, nec necesse habemus, nec admodum curamus, ut ad maleuolorum hominum opinionem officium nostrum accommodemus. His igitur reiectis tamquàm à Musarum choro prorsus alienis, nobiscum Poeticæ nobilitatem admiremur, vtilitatem suspiciamus, iucunditatem celebremus: cum præsertim Poeticum studium magnorum semper Principum, & virorum auctoritate fuerit comprobatum, & nunc inter ceteros foueatur grauissima præsentia tua, Alexander Estensis, Princeps generosissime, cuius Serenissima Domus bonorum poetarum fuit perpetuo fautrix, altrixq. benignissima, vt merito tu quoq; Serenissimorum maiorum vestigijs insistendo poetas omni beneuolentia complectaris. Tuo igitur bene iuuante fauore, tuisq; felicibus auspicijs, ad propositum aggredientes de poetarum nobilitate tria in primis perpendemus, tum eius diuinitatem, tum vtilitatem, tũ maximam apud veteres auctoritatem. Ecquid enim excogitari, aut commemorari nobilius potest ea diuinitate, quam cum aliæ nobiles artes, tum in primis Poetica præ se fert? Etenim, cum tres sint præcipuæ animorum nostrorum facultates, una, qua uiuimus, quæ in nobis pertinet etiam ad ungues, & capillos, ut in Mundo ad herbas, frutices, & arbores;

bores;

bores; altera, qua quidē aliquid appetimus, aut refugimus, quæ nobis communis eſt cum belluis; tertia, qua intelligimus, quæ eſt eadem in nobis, ac deus in Mundo: hæc tertia vis, quæ ſolet etiam Genius nuncupari, ad diuinam conditionem hominum animos effert; vt, quemadmodum in Mundo uarios deos antiquitas finxit ex varijs diuinæ poteſtatis effectibus (Iupiter.n.in cœlo, Iuno in aere, Neptunus in mari, Pluto in terris dominari ſunt dicti) ſic in humano genere Iuriſconſulti, Philoſophi, Medici, alij bonarum artium doctores, quòd mira quædam, ac prope diuina efficiant, mirabiles, ac prope diuini exiſtimentur. Inter ceteros autē, qui admirōne digni, & diuinitatis cuiuſdam participes uiſi ſunt, præcipui ſemper fuerunt poetæ, quos diuino quodam ſpiritu afflari ueteres prædicarunt. Nam, vt mittamus diuinos prophetarum ſpiritus, quos uarijs carminibus uaticinatos eſſe conſtat, & diuinitus afflatas ſibyllas, quas verſibus vſas eſſe memoriæ proditum eſt; in ipſis poetis deum eſſe, & illo agitante ſacrum in eis impetum moueri doctiſſimi viri tradiderunt. Itaq. non ſolum nobilis poeta Ennius ſanctum ſuo iure poetarum genus nuncupauit: ſed etiam diuinus Plato diuinum nominauit, & non ſolum poetis, ſed etiam poetarum interpretibus, & interpretum auditoribus quandam tribuit diuinitatem; ut Deus concitet poetas, poetæ interpretes ſuos afflēt, interpretes auditores ſuos inſpirent, & primus motus à Deo, alter à poeta, tertius ab interprete proficiſcatur. Ac primi quidem furoris diuini apud diuinum philoſophum exemplum eſt Tynnichus ille Chalcidenſis, qui cum antea minime probaretur, tandem Muſarum ſpiritum accepit, atq. ita probatus eſt, ut carmen, quod ipſe cecinit in Apollinem, nemo cantare poſtea recuſauerit. Alterius diuini furoris eſt Ion, qui, cum reliquos poetas minime intelligeret, Homeri poeſim diuinitus interpretabatur. Tertij furoris diuini exemplum ſunt adoleſcentes, qui ſic affici ab interpretibus conſueuerunt, ut eodem ipſi quoq; agitari ſpiritu videantur. O admirabilem poetarum nobilitatem, qui & ipſi diuinitate nobilitantur, & interpretes ſuos diuinitate nobilitant & interpretum ſuorum auditores nobilitatis cuiuſdam diuinæ participes reddunt; vt merito inter nos, nobiliſſ.

biliss. Aud.gaudendum esse sine dubio videatur, quòd & cunctis nobis diuina materia sit pertractanda, & mihi ex eius interpretatione diuinitas quædam haurienda, & uobis eam per discentibus nonnihil diuinitatis adipiscendum. Atq. hæc est prima nobilitas poetarum, quòd honore diuino dignantur. Sequitur altera, quæ ab antiquitate proficiscitur. Constat enim inter omnes, Poeticam omnium disciplinarum primã fuisse; & primum litteratorum hominum genus poetas habitos esse, repetita usq; à Mose apud Aegyptios, & à Lino, ab Orpheo, à Musæo apud Græcos rei poeticæ origine. Siquidem, ut scriptum reliquit Iosephus in antiquitatib⁹ suis, Moses Hebræorum Imperator, disciplina Aegyptiaca instructus, is, qui continuam seriem annorum bis mille quadringentorum nonaginta trium à Mundi principio vsq. ad sua tempora descripsit, carmen Heroicum inuenisse tunc dicitur, cum Hebræos ex Aegypto in Patriam reduxit, & mare rubrum diuinitus cedentibus aquis transgressus est; quo carmine præpotentem Deum laudauit, & pro tali, tantoq. beneficio ei gratias egit. Post Mosem vero, ut testatur Di. Hieronymus, Iob, uir ille patientissimus poeta fuit: & Dauid, Rex sanctissimus prælijs, ac periculis expeditus, cum maxima iam pace frueretur, carmina in Deum, hymnosq; uario modo composuit: & Salomon, sapientia clarissimus laude poetica præstitit: & Esaias, uaticinandi peritissimus uaticinationes suas uersibus complexus est. Apud Græcos autem, apud quos maxime florere poesis uisa est, inter homines eruditos primi nominati sunt Linus, Orpheus, & Musæus; quorum primus lyricos modos inuenit, & post Apollinem, & Phæmonoen Apollinis sacerdotem carmen Heroicum protulit: alter homines à uita fera, & inculta ad mitiorem, & mansuetiorem uersibus suis traduxit, ut ob id lenire tigres, rabidosq. leones dictus sit: tertius Amores Erus, & Leandri uersibus hexametris expressit. Itaq. nec Philosophos, nec Theologos, nec Astrologos, nec ullam aliam disciplinam ante Poeticam fuisse compertum est: & ante Cadmum, ac Pherecidem, qui primi solutam orationem conscripserunt, factos esse uersus non dubitatur. Accedit ad diuinitatem, & antiquitatem poetarum summa apud ueteres auctoritas; ut gra

uissimi

uissimi philosophi sua decreta illorum versibus confirmare non dubitauerint: & sapientissimus Socrates se Homeri discipulum appellare non erubuerit:& Philosophorum coryphæus Plato nobilibus Homeri, aliorumq. poetarum uersibus ad suam nobilitandā philosophiam usus fuerit:& idē fecerit maximus Arist. idem fecerint alij philosophi præclarissimi; qui,si philosophia nobilis est, ut certe est, multo profecto nobiliorem Poeticam esse, quodammodo significarunt, cum illam huius auctoritate confirmarunt. Dixi de poetarum nobilitate,id est,de diuinitate, de antiquitate, de auctoritate.Nunc uenio ad vtilitatem, de qua etiam tria in primis sunt consideranda,quòd poetæ humanam societatem conciliauerint: quòd omni doctrinarum genus complexi sint: quòd omnem hominum conditionem erudiuerint. Primo loco igitur vtilitatem poetarum nemo negare audeat,qui intelligat eorum eloquentia factum esse, vt homines in terris dispersi à vita fera ad humanam, ab agresti ad ciuilem se conuerterint: uoce blanda, & fidibus canoris deliniti ex agris,locisq. syluestribus unum in locum incolē di caussa se contulerint: vitam inter se consociatam certo iure,certisq. legibus deuinxerint: virtutem,decus, honestatem amplexi sint. Id quod tametsi M.Tullius oratorum tribuit eloquentiæ: id tamen facit magis,ut ex poetico fonte, vnde omnes eloquentiæ riui,& flumina dimanarunt, ad suā cohonestandam artem argumentum hauriat, quàm quòd ita fuisse probare possit.Prius enim quàm oratores essent, & soluta oratio scriberetur, fuerunt poetæ,fuerunt uersus, qui syluestres homines cœdibus,ac uictu fœdo deterruerūt; primaq. culta,& ornata oratio,quæ homines ex feris, & im manibus mites reddidit,& mansuetos, fuit versibus comprehensa,cui beneficium humanæ societatis acceptum ferimus, quamq. postea soluta oratorum oratio est consecuta. Nam descriptis iam ciuitatibus,positis legibus, iudicijs constitutis,cum sæpe de iusto,& æquo controuersia incideret, & lex cum æquitate,ius cum iustitia sæpe contenderet,relictis uersibus oratores ui solutæ orationis hominum inter se dissentientium animos ad bonum,& æquum traduxerunt. Itaque poetæ oratores antecesserūt,& īstituto ciuitatis iure caussa

fuerunt

fuerunt, vt ars oratoria, & aliæ disciplinæ ortæ sint. O beneficium singulare Poeticæ facultatis, quæ quidem fuit principium, & origo ceterarum disciplinarum, ut, quidquid ex omni doctrinarum genere percipitur utilitatis, id à fonte Poetico sane uberrimo manet, vnde Oratores, unde Philosophi, vnde Theologi, vnde Astrologi, vnde Iurisconsulti, vnde Medici, vnde omnes bonæ artes, & facultates copiosissime irrigantur. Secũdo loco cum omne litterarum genus à poetis mirabiliter illustretur, & vniuersum disciplinarum orbẽ Poetica complectatur, id egregie à ueteribus fuisse significatum videtur, relata eius origine in Calliopen Musam, quæ communem omnium Musarum uocem repræsentat; ut, quẽadmodum Calliope significat concentum, & harmoniam cõmunem ex omnium Musarum vocibus proficiscentem: sic Poetica, quæ à Calliope inuenta esse dicitur, omnem scientiam comprehendat. Musas enim eloquentiæ præsides deas multarum artium inuentrices fuisse, ueteres tradiderunt, ut Clionem Historiæ, Thaliam Agriculturæ, Vraniam Astrologiæ, alias aliarum, Calliopen autem Poeticæ, idest, eius amplissimæ facultatis, quam qui negligat, is non disciplinam aliquam despicere, uerum vniuersum doctrinarum genus contemnere videatur. Ac Poetica quidem tam late patet, ut ne amplitudini quidem cedat philosophiæ. Res enim omnes pertractat, & quidem facilius, & ad humanam intelligentiã accommodatius, quàm philosophia: naturæ primordia exponit: rerum cœlestium caussas explicat: perturbationes, quæ fiunt in aere, explanat: naturam animorum docet: res expetendas, & fugiendas aperit: Rerumpublicarum rationẽ declarat: omnia sapientissime persequitur. Si uero cum historia conferatur, eò præstantior, atque vtilior comperietur, quò magis philosophica, ut ait Aristoteles, apparuerit; quippe quæ magis vniuersalia, quàm singularia complectatur, & virtutes, non quales in hominibus fuerint, sed quales esse debuerint, exprimat, ac eximiam quandam earum speciem, quæ idea nominatur, intuens, perfectionemq. exquirens, nõ in ueris prorsus singulorum hominum actionibus exponẽdis, sed in fictis ad perfectam naturam conformandis uersetur. Tertio loco, si ipsius Poeticæ species spectentur, de ipsarum

ſarum vtilitate nequidquam erit dubitandum, vnde omnis hominum conditio poteſt facillime erudiri. Age enim, aliquis natus eſt celebri patria, illuſtri familia, diuitiis non mediocribus, corpore bene compacto, animo præſenti, ac talis etiam, quales uos Principes, Alexander illuſtrisſime, eſſe ſoletis; non ne huiuſmodi perſona per Epopœiam inſtitui poterit, in Homeri Iliadem, magnum miraculum humani ingenii prope intentis oculis intuens, & Achillem, in quo quidē omnia præclara expreſſa ſunt, ſibi ad imitandum proponēs, atque ab eo diſcens, eſſe potius millies moriendum, quàm quidquam indignum committendum, aut ulla ex parte officium deſerendum? Alius non eſt tam nobilis, nihilq. aut parum admodum in bonis habet præter ingenium; non ne is eiuſdem Homeri poemate Epico, cui Odyſſea nomen eſt, poterit ad virtutem conformari, ut Vlyſſem imitetur, natum Ithacæ loco potius ignobili, quàm nobili, parentibus non admodum claris, opibus, & corporis robore uix mediocritatem attingentem, difficultates tamen omnes uirtute reſcidentem, tantumque ſapientia pollentem, ut & apud ſuos rerum geſtarum gloria ceteris omnibus, quamuis nobiliſſimis, antecelleret, & apud alias gentes, & nationes præclariſſima nominis fama eniteret? Tragœdiam uero, ut teſtatum reliquit Plutarchus, definiebat Gorgias eſſe dolum, quo illi ſapientiores fierent, qui caperentur, quàm qui eum declinarent; quo ſane poemate, uos Principes, Alexander excellentiſſime, poteſtis optime admoneri, nemini eſſe nimium credendum, ut Polynices credidit Eteocli: blandientes potius, quàm iraſcentes uitandos, cum ab illis ſæpius homines opprimantur, ut à fratre in conuiuio oppreſſus eſt Thyeſtes, à coniuge in cubiculo Agamemnon: calumniatoribus aures non adhibendas, ut Phœdræ adhibuit Theſeus: malis artibus minime nitendum, ut Creon, Lycus, Aegiſthus, & alij Pelopidæ omnes, atq. Labdacidæ nixi ſunt, & idcirco in maxima mala inciderunt. Quid dicam de Comœdia, quā quotidianæ uitæ expreſſam imaginem eſſe, ueteres exiſtimarunt? Nonnè Poetæ comici patrem familias docent, quomodo uxorem moribus ſuis aſſuefaciat: quomodo liberos in diſciplina contineat: quomodo ſeruos à fraudibus, &

morum impuritate deterreat: quomodo lenonum, mere-
tricum, paraſitorum inſidias fugiat, & à ſuis propulſet: quo
modo æqualium amicitias colat, & poſteritati proſpiciat:
quomodo parſimoniam ſeruet; ſub perſona Strepſiadæ, Phil
tonis, Menedemi, Chremetis, aliorum multorum, quorum
nomina egregie in fabulis ficta ſunt? Sed dies me deficiat, ſi
omnes Poeticæ ſpecies quàm utiles, quamq; fructuoſæ ſint,
recenſere uelim. Si uero iucunditatem quæramus, tria quo-
que dicimus, eam eſſe huius artis propriam: eam etiam Dijs
immortalibus placuiſſe: eam principibus uiris gratam fuiſ-
ſe. Primum enim iucunditas Poeticæ propria ita miſcet
utile dulci, ut ad communem intelligentiam, & hominum
multitudinem ſit prorſus accommodata. Neque enim po-
tuiſſet agreſtes homines ad uitæ cultum traducere, ſi nu-
dis præceptis, quibus, ut Iſocrates confitetur, multitudo
minime capitur, uſa fuiſſet: neque poſſet mores hominum
cuiuſque generis, ætatis, ordinis utiliter demonſtrare, ni-
ſi iucundas fabulas ad mentes deliniendas, &, quid bonum,
quidue malum ſit, oſtendendum, adhiberet. Ac ea quidem
fuit optima ratio poetarum, ut ſub inuolucris, & integumen
tis ſane iucundiſſimis præcepta ad uitam humanam confor
mandam utiliſſima complecterentur. Quod præclarum in-
ſtitutum coniungendæ iucunditatis cum utilitate aliæ quo-
que artes ita retinuerunt, ut, tametſi ad utilitatem potiſ-
ſimum referuntur, tamen quò maiorem afferre poſſunt iu-
cunditatem, eò ſemper commendatiores habitæ ſint. Nam
& in operibus ſuis artes operoſæ non minus uoluptatem,
& ornamentum, quàm utilitatem ſpectant: & ingenuæ di-
ſciplinæ, quibus nihil utilius, nihil magis neceſſarium eſſe
poteſt, oblectationem quandam ſequuntur. Nulla uero
magis oblectat, quàm facultas Poetica, quæ obſcure qui-
dem ſubit hominum animos, ut eos erudiat, & per occul-
tas quaſdam uias ad bonas actiones perducat: ſed huiuſmo-
di obſcuritas utiliter delectando, & iuuando iucunde omni-
bus prorſus placet. Neque enim comparanda eſt cum phi-
loſophica obſcuritate, quæ nonnullis parum perſpicacibus
aliquantiſper moleſta eſſe ſolet; qualis fuit obſcuritas He-
racliti, qualis eſt Platonis, qualis Ariſtotelis, qualis alio-
rum

rum omnium philoſophorum: at obſcuritas poetarum ita fabularum ſplendore illuſtratur, ut omnibus afferat iucunditatem. Nihil uero inueniri iucundius poteſt, quàm poetica oratio ſonantibus uerbis concluſa, & ad aurium delectationem optime cadens, quæ quidem efficit artificio ſuo, ut res quamuis fœdæ, quamuis atroces, quamuis immanes, à quibus noſter prorſus abhorret animus, nos tamen oblectent, & Scylla, Charybdis, Antiphates, Leſtrigones, Cyclopes, Polyphemi, & alia huiuſmodi nos afficiant voluptate. Præterea uero quàm digna ſit iucunditas poetarum, uel ex eo in primis apparet, quòd non ſolum principibus uiris, uerum etiam Dijs immortalibus grata fuiſſe cōmemoratur. Etenim memoriæ proditum eſt, charûm fuiſſe Sophoclem Dionyſio Deo, qui poſt eius mortem, cum Lacedæmonii Atticam terram inuaſiſſent, uiſus eſt illorum duci Lyſandro aſſiſtere, ipſum Sophoclem, eiuſq. poeſim ſecum habens, ac iubens, ut omnibus honoribus, qui defunctis haberi conſueuiſſent, nouam coli ſyrenem pateretur: charum fuiſſe Aeſchylum eidem Dionyſio, qui quidem ei mandaſſe dicitur, ut Tragœdias conſcriberet: charum fuiſſe Pindarum Apollini, qui vna cum eo uictimas, honoreſq. ſuos communicaſſe fertur, ita ut eius ſacerdos immolatis hoſtiis ad ſacrã menſam alta, & clara uoce ipſum Pindarum uocaret: charũ fuiſſe quoque Pindarum Pani, qui carmen, quod in ſe ab eo ſcriptum fuerat, in medio ſaltantium choro per montes ſumma cum lætitia cantaſſe narratur. Poſtremo, ut fabulas mittamus, quæ nihilominus ſummam poetarum excellentiam declarant, non ne ipſæ integræ ciuitates, & ipſi magni Reges magnifacere poetas uiſi ſunt? Non ne Lacedæmonii, cum de incendendis Thebis cogitarent, edicto publico cauerunt, ne Pindari domus offenderetur? Non ne Alexander Lacedæmonios imitatus, reliquis Thebarum ædificiis incenſis ſolam Pindari domum incolumem conſeruauit? Galathæ uero tanta poetas reuerentia, atque obſeruantia proſecuti ſunt, ut cum inſtructa utrinque acie prælium endituri eſſent, alicuius poetæ uel amici, uel inimici interuentu à pugna prorſus ſe abſtinerent. Quid? quod Polycrates Samiorum Tyrannus Anacreontem magno in honore ha-

buit: Hipparchus Pisistrati filius, is, qui primus Athenas Homeri poemata tulit, & decantari iussit, eundem Anacreontem naui quinquaginta remorum honorauit: Archelaus Macedonum Rex Euripidem ualde amauit: Hieron Syracusanus Aeschylum, & Simonidem magna beneuolentia complexus est: Antigonus Alexandri in Phrygia successor Aratum summe dilexit: alii alios, quos temporum ratio coniunxit, maximopere uenerati sunt? An uero quenquam uestrum præterit, Magnum Alexandrum ita Homeri studiosum fuisse, ut nec in bello, nec in conuiuio, nec in somno eius utraque poesi carere potuerit, seq. Thersitem Homeri, quàm Achillem Cherili esse malle affirmauerit, & Homeri poemata sola digna censuerit, quæ Darii scrinio præclarissimarũ gemmarum, & auri preciosissimi, ac suauissimorum odorũ plenissimo asseruarentur? Taceo P. Scipionem Africanum, eum, qui omnium Regum gloriam superauit, non solum Ennio poeta familiarissime vsum esse, uerum etiam se defunctum eius ornari marmorea statua in sepulchro uoluisse. Nec pluribus cõmemoro, quàm multos poetas Augustus, quàm multos Mecænas, quàm multos alij principes uiri omni beneficentia fouerint, omniq. beneuolẽtia complexi sint. in quibus serenissimi maiores tui, Alexander præstantissime, singularia exempla dederunt omnis humanitatis, & liberalitatis in Areostos, in Tassos, in Giraldos, in Pineas, in Guarinos, in alios quàmplurimos, quos lõngum esset enumerare. Notissimum ergo est hanc fuisse magnorum Principum gloriam, ut poetarum ingeniis, ac doctrina delectati eos in primis admirarentur, & colerent. Quòd si Plato sapientissimus philosophus, ut à nõnullis obiicitur, e sua eduxisse Rep. poetas fertur, nõ simpliciter eum intellexisse omnes poetas credendum est, sed eos tantum, qui neruos uirtutis eliderent, & bonis moribus nocerent, ac illi optimo Reip. statui, quem ipse exquirebat, aduersarentur, Tyrannidemq. tamquàm rẽ diuinam laudarent, & in cœlum efferrent, quod fecisse Euripidem ipse in libro octauo de Rep. testatus est. Eiecit igitur poetas bonorum morum corruptores, non meo quidẽ iudicio eos, qui ad bonum ciuitatis se accommodarent; quos sapientiæ patres appellauit: quos deorum esse interpretes affirmauit:

firmauit: quorum poemata non hominum esse inuenta, sed cœlestia munera prædicauit. Cum igitur Poeticum studiũ sit nobilissimum, utilissimum, & iucundissima præditũ magnificentia; in hoc ipsum, studiosissimi Aud. omni animorum, & corporum contentione, omniq. conatu diligenter ĩcumbite: cumq. artem Poeticam Aristotelis à me latine cõuersam, à me copiosa Paraphrasi enarratam, per compendium à me nuper euulgatum strictissime, & paucissimis explicationibus declaraturus sim; urgete constanter propositum, ut, quæ præclarus philosophus de hac præclara arte præclare tradiderit, quàm breuissime, & quàm breuissime intelligatis.





CVM



CVM INCIPERET EXPLICARE

Historiam Flori de rebus gestis Romanorum.

ANTONII RICCOBONI Oratio.



VM earum artium, quæ ad Humanitatem pertinent, studiũ, humaniss. Aud. in tres præcipuas partes sit distributum, quarum alteram oratores, alteram poetæ, tertiam historici sibi in primis vendicant; cumq. duæ superiores à me superioribus proximis annis explicatæ sint: tertiam hoc anno ad eas esse adiungendam, & cum oratoria facultate, cuius historica facultas propago esse quædã, & particula, ac similitudo existimatur, coniungendam sum arbitratus. Quod negocium cum quidam, qui vniuersam industriam nostram continuo fastidiunt, & omnia potius alia, quàm id, quo de agimus, approbant, esse ita facile dictitent, ut publica non egeat explicatione; ego, qui satisfieri huiusmodi obtrectatoribus,

ad

ad optima quæq; nullo diſcrimine vituperanda paratis nec poſſe video, nec neceſſe admodum eſſe intelligo, non ad alio rum opinionem, neq; ad meam ambitionem, ſed ad ueſtram omnia referens vtilitatem, ſat habebo uobis commemorare, non id agi tantummodo in explicatione hiſtoriarum, ut res geſtæ narrentur (nihil enim facilius) ſed ut tota antiquitas ante oculos proponatur, quæ ad religionem, & Deorum cul tum, ac cerimonias cognoſcendas, ad magiſtratuum poteſta-tem, & ius ciuile, ac fori conſuetudinem omnem intelligen dam, ad ciuitatum, & prouinciarum adminiſtrandarum ra-tionem percipiendam, ad uitam humanã pulcherrimis, atq; vtiliſſimis exemplis conformandam ſpectat. Orta enim eſt hiſtoria, ut languentes, & deiecti homines ad uirtutem exci tarentur. Nam, cum multi heroes tam egregie, & admirabi-liter ſe geſſiſſent, ut digni habiti ſint, qui & viui alios rege-rent, & mortui diuinis honoribus ornarentur, obliuiſcenti-bus poſteris, & propter huiuſmodi obliuionem reformidan-tibus tot labores, & vigilias ab illis laudabiliter ſuſceptas, il-lorum res geſtæ ſunt litteris conſignatæ, in quas tamquàm in bene, beateq. degendæ vitæ clariſſima exemplaria, omnes mortales intueri, ac totius vitæ curſum ad id, quod honeſtũ eſt, dirigere non difficulter poſſent. Neq; uero ſolum homi num virtute præſtantium facta litterarum monumentis mã data ſunt: verum etiam ſceleratorum proditiones, ſeditiones, coniurationes, inhoneſtæ actiones, ut illa poſteri imitaren-tur, has uitarent. Itaq; optimi hiſtorici contenti non fuerũt rerum narratione; ſed ingenium in eo exercuerunt, ut & ho minum virtutes, & uitia exprimentes, quid ſequendum, quid ue fugiendum eſſet, nobis oſtenderent; ac tempora omnia ita diſtinxerunt, ut, quid quoq; tempore geſtum ſit, ſcientia, & memoria cõprehendi queat. Cuius profecto notitiæ qui expers videtur, is nihil plane ſcire, nihil ex ijs, quæ ad uitæ uſum, & humanitatis cultũ attinent, intelligere exiſtimatur. Quamobrem Plato in Timæo, vbi ſermones refert Aegyptij cuiuſdam ſacerdotis cum Solone habitos, de omni antiqui-tate, illum in huiuſmodi uerba prorumpentem inducit; O Solon, Solon, uos Græci ſemper pueri eſtis, nec quiſquam eſt è Græcia ſenex; propterea quòd iuuenis ſemper uobis eſt

animus,

animus, in quo nulla inest ex uetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia. Cuius loci sententiam eleganter expressit Cicero, non solum in libro de Vniuersitate, qui est Timæus Platonis latine conuersus, quamuis iniuria temporum mutilus, & decurtatus, uerum etiam in oratore ad Brutum, ubi scriptum reliquit, Nescire, quid antea quàm natus sis, acciderit, nihil significare aliud, nisi semper puerum esse. Qui igitur nulla uetustatis cognitione, nulla antiquorũ temporum notitia, nulla quasi senili, & cana scientia animos imbutos habent, semper pueri appellantur. Egregie. Vt .n. pueri neq. hominem ab homine (nam omnes homines appellare patres consueuerunt) neq; rem à re distinguunt, nihilq. quod procul sit, cogitatione complectuntur, neq; præterita respicere, neq. futura præuidere queunt; sic, qui historiam non nouerunt, & antiquitatis memoriam nullam habent, longamq. annorum, & rerum gestarum seriem minime animo comprehenderunt, plane rudes, plane habetes, plane pueri; immo uero plane infantes, nihil recensere possunt in consultatione maximarum rerum, nihilq. habent in promptu, ex quo prospicere posse futuros euentus uideantur. Vt autem rerum gestarum, & temporum præteritorum inscij, atq; imperiti semper pueri dicuntur: sic qui antiquitatem habent scientia, & memoria comprehensam, uocandi sunt semper senes, immo uero multipliciter senes, qui non unius ætatis, sed multorum seculorum res gestas nouerunt; ut, si senum prudentia laudatur propter multorum annorum notitiam, & quidem eorum annorum, qui uitæ conueniunt humanæ, raroq; centesimum numerum prætereunt, ac plerumq; ad eum non perueniunt, multo magis laudandi sint illi, qui omnium prope temporum cognitione maximam sibi prudentiam compararunt, & sermonis grauitate, atq; auctoritate, quam affert antiquitas, exemplorumq. prolatio, eam nacti sunt dignitatem, ut tamquàm ceteris seniores, & prudentiores apud omnes obseruentur, & suspiciantur. Historia enim omnem ætatem à Mundi primordijs usque ad hæc tempora annis quinquies mille quingentis quinquaginta duobus complectitur, cum à primo omnium parente usq. ad seruatorem nostrum ter mille nongenti sexaginta duo an-

ni interceſſiſſe dicuntur. Etenim non libet phyſicos eos ſe-
qui, qui Mundum neq; genitum, neq; interiturum eſſe pro-
diderunt, cum intelligere non potuerint, vllam tantam eſſe
uim, quæ hanc rerum vniuerſitatem, & Mundi fabricam ef
ficere tam admirandam potuerit, ac negauerint motus prin
cipium fuiſſe vllum, quòd motor ſemper fuerit, contende-
rintq; ne ullum quidem finem fore, quòd motor ſemper fu
turus ſit, neq; enim motorem ſine motu eſſe poſſe. Quibus
rationibus ſatis in Theologia confutatis omnem veritatem
peruertere conati ſunt. Nec placet ex doctrina Aegyptiaca
rerum repetere principium ab annis illis magnis, quos ſingu
los aiunt quadraginta nouem annorum millia continere, ac
duos iam præterijſſe, hunc uero, qui nunc agitur, tertium eſ
ſe; quo completo, cum Mundus bis defecerit, & bis renatus
ſit, prædictum eſt, ex eadem materia Mundum amplius re-
naſci non oportere, nouamq. materiam, & nouum Mundũ
à præpotenti Deo conditum iri. Sed à ſacris litteris non di
ſcedimus, ex quibus luce clarius patet, à primo omnium pa
rente uſq; ad Seruatorem noſtrum annos ter mille nongen-
tos ſexaginta duos interceſſiſſe, qui ſi cũ annis Xpi 1590. con
iungantur, numerum, ut modo dicebam, annorũ quinquies
mille quingentorum quinquaginta duorũ explere comperiũ
tur. Per quos omnis hiſtoria adhuc mirabiliter uagata eſt,
vt tempora diſtinguantur, primum ab Adamo ad Noemũ,
cum ſua rebus omnibus nomina ex conſiderata cuiq. rei na
tura impoſita ſunt, & propter auctam hominum malitiam,
atq; improbitaté vniuerſalis eluuio facta eſt: deinde à Noe-
mo ad Abrahamum, cum hominibus Nembroti ſuaſu in al-
tiſſima turri exædificanda inſanientibus linguarum varieta-
tem, ac diſſimilitudinem immiſit Deus, vt ſe inuicem non
intelligentes ab incepto iam opere ceſſarent, & ipſi Abraha-
mo dedit de ſemine ſancto promiſſionem inſtituta circum
ciſione: inde ab Abrahamo ad Moſem, cum diuerſi per or-
bem terrarum principatus exorti ſunt, quorum celeberri-
mus fuit dominatus Aſſyriorum ſub Nino, & Semiramide,
ac lex à Deo Moſi data eſt: poſtea à Moſe ad Salomonem,
quo temporũ ſpatio ſcribunt fuiſſe Deucalionis, & Pyrrhæ
eluuionem, Bacchum in India triumphaſſe, Argonautarum

vniversa historia ad quattuor redigitur Monarchias.

nauigationem euenisse, Herculem varios labores ſuſcepiſſe, bellum Thebanum geſtum eſſe, bellnm quoque Troianum confectum eſſe, quod circiter annos Mundi bis mille ſeptingentos octoginta duos fuiſſe dicitur: præterea à Salomone ad excidium Hieroſolymæ, cum Sardanapalus à Nino trigeſimus, & vltimus Aſſyriorum Rex ſuum euertit imperium ab Arbace Medorum Rege occupatum: poſtea ab excidio Hieroſolymæ ad Cyrum Perſarum Regem, cum regnum Aſſyriorum uſq. ad Aſtyagem Regem à Medis retentũ ad Perſas translatum eſt: deinceps à Cyro ad Magnum Alexandrũ, cum Græcorum floruit Monarchia: tum à Magno Alexandro ad Auguſtum Imperatorem, cum Romanorum Monarchia eſt conſtituta. Itaq; vniuerſa hiſtoria ad quattuor redigi ſolet Monarchias, quibus præpotens Deus totius fere terrarum orbis permiſit imperium, ut eis alij Reges minus potentes ſubiecti plurimi eſſent, & tributum penderent; quaſq. Daniel diuinus uates prædixiſſe exiſtimatur; vnam Aſſyriorum: alteram Perſarum: tertiam Græcorum: quartam Romanorum. Ac imperium quidem Aſſyriorum in ſuperiore Aſia ſtetiſſe florentiſſimum, Herodotus ſcriptum reliquit; à quibus miſſum fuiſſe auxilium Troianis, duce Memnone, Tithoni F. vetera monumenta teſtantur. Hoc imperiũ translatum poſtea eſt ad Medos, apud quos idem Herodotus ſcripſit diu nullum fuiſſe Regem, qui omnibus imperaret, ſed ſingulas ciuitates populari imperio vſas eſſe, tandem uero Regibus introductis regnatum eſſe uſq. ad Aſtyagem, quem Cyrus, Perſæq. deuicerunt; vnde dominatum Perſarum florere plurimum cœpit, à Cyro, & Cambyſe præclaris rebus geſtis in primis illuſtratus. Secutus eſt Alexander Magnus, qui Perſas ſubegit, & omne Græcorum imperium occupauit; cuius mortui Monarchia in multa veluti membra ſecta eſt, occupantibus eius Ducibus prouincias illas, quas ipſi regebant. Atq; hinc Reges plurimi, Macedoniæ, Aſiæ, Syriæ, Aegypti, originem habuerunt. Cumq. Macedonum nullus poſt mortem Alexandri dominari inter Parthos dignum iudicaſſet, qui fuerunt Scythæ exules, cum Parthus Scytharum lingua exulem ſignificet, ac inter populos Orientis temporibus Aſſyriorum, Medorum, Perſarum obſcuriſſimi uixerunt,

runt, ſoliq. in Oriente Romanis minime ceſſerunt; eorum imperium ſocio cuidam peregrino, nomine Satagenori, conceſſum eſt; cuius ſucceſſores regnarunt uſq; ad Artabanum, qui ab Artaxerxe Perſa regno priuatus eſt. Quamobrem Perſæ Cyro, & Cambyſe Regibus, ut modo dicebam, celeberrimi, à Macedonibus ſub Alexandro Magno Orientis imperio deiecti, eius poſtea ſucceſſoribus, deinde Parthis ſubiecti, tandem M. Aurelio Alexandro Romanis imperante Parthos deuicerunt, nomenq; Parthicum deleuerunt, ut nõ amplius Parthorum, ſed perſarum Regnum nominatum ſit, vſq; ad Ormiſdam Regem, quem Sarraceni regno priuarũt, anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo nono, Mahometho regnante, ita ut illud regnum appellari Sarracenorum cœptũ ſit, quod nunc tenent Pſophiani Turcarum Regno finitimum. Nam circiter annos Chriſti mille, & ſeptuaginta Sarraceni cum Turcis bellum gerentes ad id conditionis deuenerunt, ut Turcæ Mahomethi religionem ſequerentur, ac diuiſo inter ipſos imperio in Oriente dominarentur. Nunc venio ad Romanos, qui ob ſeditiones, & bella inteſtina ad Monarchiam redacti ſunt ſub Auguſto conſtitutam, in quem lege Regia omne ſuum ius populus Rom. dicitur contuliſſe. Nam ducentos quadraginta quattuor annos tenuerunt Romam Reges. Quingentos circiter annos Reſp. ſtetit uſq. ad Cæſarem Auguſtum. Conſecuti ſunt alij Imperatores, vario rerum euentu, uſq; ad Conſtantinum, qui primus in Oriente Imperator fuit, altero Imperatore in Occidente relicto, ac Imperio inter duos Imperatores diuiſo; quiq. mirabiliter Chriſtianæ fauit religioni, vnde dominari Romani Pontifices cœperunt. Imperium autem à Conſtantino ordinatum valde diminutum eſt tum per Getas, à recentioribus Gothos nominatos, qui vrbem Romam anno Chriſti quadringenteſimo undecimo ceperunt, incenderunt, populati ſunt, & Rauennæ Regni ſedem habuerunt, Regnumq. annos ſeptuaginta tenuerunt. Tum per Hunnos, quorum immaniſſimus Rex Atila Romano Imperio ſub Valentiniano tertio ingentes intulit calamitates, vrbes excidit, prouincias deuaſtauit, omnia igne, ferroq. conſumpſit, donec exoratus precibus Leonis Pontificis Max. à Valentiniano ad pacem im-

petrandam miſſi, relicta Italia in Pannoniam reuerſus eſt; quibus temporibus Aquileia Atilæ furore capta, & diruta, ac vniuerſa Venetia deuaſtata Venetiæ condi cœperunt. Tum per Vandalos, qui vniuerſam Africam Romano imperio eripuerunt, Piraticamq. in mari exercentes, Siciliam, Sardiniam, Corſicam, Italiam ipſam, latrocinijs, ac prædis uexarunt, vrbemq. Romam captam omnibus ornamentis ſpoliarunt, atq; Africam annos plus minus ſeptuaginta ſeptem obtinuerunt uſq. ad Iuſtinianum, qui non ſolum per Belliſarium Africam ex manibus Vandalorum extorſit, verum etiam per Narſetem poſt annum ſeptuageſimum Gothos ſuperauit, & vel finibus Italiæ cedere, vel ſuo demum imperio obtemperare coegit. Tum per Longobardos, quos Narſes à Iuſtino, & Sophia vxore, gubernatione Italiæ priuatus ex Pannonia Duce Alboino in Italiam inuitauit, quiq. in Italia annos ducentos, & ſeptem regnarunt, donec Pontificatum bello vrgentes, à Pipino, & Carolo Magno Francorum Regibus uicti ſunt anno Chriſti octingenteſimo primo. Itaq. occidentis imperium ad Francos conſentiente Romano Pontifice, & permittente Orientis Imperatore translatum eſt. Atq. inde ad Germanos peruenit, qui eius ipſius adhuc cōpotes ſunt. Orientis uero imperium, poſt multos, uarioſq. caſus concidit, Conſtantinopoli Vrbe Auguſta anno Chriſti milleſimo quadrigenteſimo quinquageſimo tertio à Turcis expugnata, & Conſtantino xv. Paleologo Imperatore occiſo, ac ſumma rerum in Mahomethi Turcarum Regis poteſtatem redacta. Atq. hæc eſt prope facies eorum omnium, quæ poſt orbem conditum euenerunt. Cuius uniuerſalis hiſtoriæ aliquam partem hoc anno cum dicendi ſtudio coniuncturi, quam hiſtoriam, & quarum gentium ſeligemus? Nullam profectò aliam, niſi Romanam, & Romanorum. Quod ut faciamus, tria potiſſimum nos monent, rei dignitas, vtilitas, & iucunditas. Etenim ſi dignitatem ſpectamus, nullum imperium, nullam libertatem, nullam populi, uel Regis amplitudinem, cum populi Rom. imperio, libertate, amplitudine conferemus. Magna quidem de Aſſyrijs, magna de Medis, & Perſis, magna de Græcis proferuntur: ſed pleraq. ficta, & commentitia, ingenijs eorum, qui illa litteris conſignarūt,

quàm

quàm re ipſa, ornatiora. At quæ de Romanis narrantur, nõ ſolum magna, ſed etiam uera, excellentia ſua omnem ſuperare ingenij excellentiam uidentur. Si utilitatem ſequimur, quantum Reſp. Rom. ceteris Rebuſp. armorum gloria, atq. imperij amplitudine antecelluit; tantum iiſdem omni genere exemplorum ad uitam humanam conformandam utiliſſimorum antecellere exiſtimatur. Hæc, ſi prima præcipue ipſius tempora conſiderentur, non ab hominibus, ſed ab heroibus prope quibuſdam fuiſſe adminiſtrata comperietur. Hæc iuſtitiæ, & moderationis amorem, hæc paupertatis, ac parſimoniæ cultum, hæc luxuriæ, atq. auaritiæ odium, hæc diuitiarum, atq. opulentiæ contemptum, cum maxima ſua laude, ac prope incredibili omnium cum admiratione profeſſa eſt. Hæc exempla uirtutis vberrima ſubminiſtrat, tum fortitudinis ad mortem pro Rep. oppetendam, tum prudentiæ ad perniciem præcauendam, tum induſtriæ ad uim propulſandam, tum ceterarum omnium uirtutum ad honeſte, laudabiliterq. uiuendum. Si delectationem, & aliquam in legendo uoluptatem quærimus, an quidquam iucundius exiſtimamus, quàm ſi legamus, à tam paruis initijs tantam Rempub. extitiſſe, tot conuerſiones eius fuiſſe, tot bella, tot clades, toties domi, foriſq; vnam terrarum omnium dominam afflictam eſſe, toties recreatam? Sed dignitatem, ſi libet, obliuiſcamur: vtilitatem paruifaciamus: delectationẽ non attendamus. An uero etiam parum curabimus pietatis laudem, ut vetuſtam eius benigniſſimi, atq; humaniſſimi populi memoriam libenter non excitemus, & antiqua tẽpora gratis animis non excolamus, qui ius ciuitatis ſuæ tot populis dedit; qui linguam ſuam vniuerſo terrarum orbi impertiuit; qui leges, mores, iura ſua conceſſit; qui induſtriam, qui fortitudinem, qui cetera, quæ ipſi in cœlum quaſi quidam gloriæ gradus fuerunt, communicauit? Quamobrem æquũ eſt, vt vetera vrbis Romæ tempora, & antiqua ornamenta animo repetentes ad ſimiles actiones noſtram operam, noſtraq. ſtudia conferamus: vt in hoc præclaro communis induſtriæ curriculo Romanam hiſtoriam, ac priſca Romanorum facta retractemus: vt leges, mores, iura populi pace, belloq. præſtantiſſimi celebremus: vt quam antea curam

de

de dicẽdi facultate ſatis grauem ſuſcepimus, cum ea hanc alteram coniungamus, vt Reip. Rom. antiquam maieſtatem cogitatione, atque animo comprehendamus. Quod facere diligenter debemus, contemptis maledictis obtrectatorum, qui cum uel inuidia, vel maleuolentia ducti ad omnem laborem noſtrum venenatos, & peſtiferos morſus admoueãt, honeſtis actionibus ſunt frangendi, nec tantillum extimeſcẽdi, dummodo noſtrum agamus negocium, & mordacibus eorum conatibus uirtutis robore obſiſtamus. In tanta autẽ ſcriptorum multitudine, qui res Romanas litteris conſignarunt, quem potisſimum deligemus, & ad noſtram vtilitatẽ accommodabimus? plurimi enim Romanam hiſtoriam cõſcripſerunt. Nam, ut omittam eos, quibus nos vetuſtas rerũ omnium confectrix priuauit, ex quibus nonnullorum pulcherrimas reliquias diuerſisſimis in locis, & quaſi obſcuriſſimis in tenebris diutius iacentes in unum redegi, & in lucem, atque hominum aſpectum produxi; atq. eos tantum commemorem, qui ad manus noſtras peruenerũt, quamuis non omnes integri; ex Græcis quidem habemus undecim præcipuos Romanæ hiſtoriæ ſcriptores, Polybium, Diodorum, Dionyſium, Plutarchum, Appianum, Dionem, Herodianum, Zoſimum, Procopium, Agathium, Zonaram: ex Latinis uero octo, & viginti, Cæſarem, Saluſtium, Liuium, Valerium, Paterculum, Plinium, Cornelium Tacitum, Frontinum, Plinium iuniorem, Suetonium, Florum, Aemylium probum, Inſtinum, Iulium Capitolinum, Aelium Lampridium, Trebellium Pollionem, Flauium Vopiſcum, Aelium Spartianum, Volcatium Gallicanum, Eutropium, Sex. Rufum, Ammianum Marcellinum, Sex. Aurelium Victorem, Paullum Oroſium, Paullum Diaconum, Iornandem, Bedam, Anaſtaſium. Ex quibus neminem profecto anteferrem T. Liuio Patauino, ei, qui uere princeps Latinæ hiſtoriæ, à lacteo fonte manans, & admirabili orationis grauitate, copia, ac ſplendore omnibus latinis hiſtoricis antecellens, continuam ſeptingentorum quadraginta ſex annorum hiſtoriam ab vrbe cõdita uſque ad Auguſtum conſcripſit. Verum, ſi Liuius longior videatur, quàm ut publicis ſcholis accommodari queat, & alius deligendus ſit, qui quaſi breuis quidam Liuius,

breui-

breuiter, atque ingeniose, & ad studium Rhetoricum accommodate vniuersam populi Rom. historiam paucis libris cōprehenderit, quem L. Floro præferam, habeo neminem, qui, quemadmodum Iustinus variam, & multiplicem Trogi Pōpeii historiam in quadraginta quattuor libros diuisam, longe breuiorem fecit: sic ipse vere L. Florus, & lux, ac flos historiæ, quas Romanorum res gestas T. Liuius centum, & quadraginta libris complexus fuerat, eas quattuor libris exposuit. Non igitur contentus scriptor clarissimus illis Liuii epitomis, quibus quæ in xiiii. Decadum libris continebantur, summatim sunt explicata, utilibus omnium quidem sententia ad totius Liuianæ historiæ intelligentiam, sed multo vtilissimis ad supplementum maximæ illius partis, quæ iniuria temporum periit; hos quoque quattuor libros, quas sumus explicaturi, ad rationem progressionis hominum ætatis cōfecit, quibus omnem historiam Romanam per bella digessit, & ex Liuio pulcherrima quæque excerpsit, ut qui Liuiū amat, simul Florum amet, necesse sit. Itaque cum libro secūdo artis Rhetoricæ Aristotelis, cuius contextum Græcum interpretari statuimus, L. Flori quattuor libros de historia Rom. ab vrbe condita usque ad tempora Augusti coniungemus, & merito quidem, quippe qui in historijs suis Liuianū eloquentiæ flumen imitatus non magis historicum, quàm oratorem se præbeat; tantum valet ornamentis dicendi, tātum amplificationibus, tantum morata elocutione, tantum illa præstanti, atque illustri oratione, quæ res ponit ante oculos, ut eas uidere, non audire uideamur. Neque uero parum excellit in maximis illis uitiis vitandis, quæ historicos plerosque comaculare, & dedecorare consueuerunt, Adulatione, & Reticentia, cum uel ea dicuntur assentandi caussa, quæ sunt reticenda, uel ea reticentur, quæ sunt dicenda. Nam, tametsi sæpe oratorie agit, ex ueritate tamen agit, nec ulla animi perturbatione adducitur ad ea, quæ uera sunt, obscuranda, ita ut semper ueritatem propositam habeat, uni ueritati inseruiat, unam tueatur. Quantum autem adulatio in historia sit detestanda, declarauit Alexander Magnus tunc, cum allatum sibi Aristobuli librum de suis rebus gestis assentatorie conscriptum in proximum flumen dicitur proiecisse.

come quello il quale

Adulatio è historia detestanda.

Ac quemadmodum pleraq; eorum, quæ uera ſunt, reticeri non debent; ita quædam præteriri poſſunt, maxime ſi uel incredibilia eſſe, uel aliquos plus nimio lædere uideantur. Herodotus, quem Cicero nominat hiſtoriæ patrem, & principem, qui hiſtoriã ornauerit, cum Babyloniæ fertilitatẽ narraret, perfeſſus eſt, ſe milii, & ſeſami proceritatem inſtar arborum, quamuis ſibi compertam, ea de cauſſa non narrare, quòd probe ſciret, iis, qui nunquàm in Babylonia fuiſſent, quæ de frugiferis dicta ſunt, perquàm incredibilia viſũ iri. Idem, cum ſcriberet, Aegyptios fuiſſe primos, qui animũ humanum immortalem eſſe dixerint, qui de mortuo corpore ſubinde in aliud, atque aliud corpus, ut quodq. gigneretur, immigraret, atque ubi per omnia ſe circũtuliſſet, terreſtria, marina, volucria, rurſus in aliquod genitum hominis corpus introiret, huncq. circuitum faceret, intra annorum tria millia; addidit, Hanc rationem ex Græcis eſſe, qui vſurpauerint, tamquàm ſuam ipſorum, ſeq; eorum nomina ſciẽtem ſcribenda non ducere. Itaque prudentiſſimus hiſtoricus rem notauit, nominibus pepercit. In huiuſmodi autem rebus quàm recte ſe geſſerit L. Florus, indies oſtendemus, vt nec reticenda ſcripſerit, nec ſcribenda reticuerit, miráq. moderationem adhibuerit in omni narratione, &, quò clarius omnia intelligerentur, ac memoria cõprehenderentur, ad rationem ætatum humani corporis omnia reuocauerit. Habemus igitur hoc anno digniſſimam, vtiliſſimam, iucundiſſimam materiam non ſolum oratoriam in libro ſecundo artis Rhetoricæ Ariſtotelis, qui eſt de moribus, de affectibus, de argumentationibus oratoriis, uerum etiam hiſtoricã in quattuor libris L. Flori de rebus geſtis Romanorum, quẽ in eloquentia Galliarum, ubi eam ipſe dicitur exercuiſſe, principem appellauit Quinctilianus. Quam materiam uobis polliceor me ita pertractaturum, ut nec laborem, nec diligẽtiam in me ullam deſideretis. Ecque enim cauſſa eſt, cur nõ perpetuo pro ueſtra vtilitate laborem, cum abhinc tot annos, quibus publicum in hoc clariſſimo Gymnaſio explicãdi onus ſuſtineo, ſemper à uobis ornatus fuerim, & à ueſtro fonte ad nonnullam hominum famam profluxerim? Quamobrem ex ueſtro arbitrio pendeo, ſemperq. pendebo; cũq.

quid-

quidquid in me eſt dignitatis,& ornamenti, id totum uobis acceptum referam, ac ueſtro concurſui, atq. attentioni me plurimum debere confitear, nunquam deſiſtam de veſtris commodis cogitare; &, donec vel alterum pedem in fouea habuero, omne meum ſtudium, offici[illegible]n, laborem, diligentiam, quantũ deniq ingenio, atq. ind[illegible]ria efficere vnquam potero; id totum vobis deferam li[illegible]ter; ac poſt mortem etiam, vt extet perpetuum ſingula[illegible] mei erga uos amoris teſtimonium, lapidi inſculpendũ ma[illegible], vt vere ſum, totum veſtrum fuiſſe; atq. cũ ceterorum om[illegible]ium auditorũ meorum laudi, commodiſq. ſtudebo, tum dabo in primis operam, ut qui proprijs relictis penatibus ex remotiſſimis regionibus in hunc optimarum artium quaſi mercatum ſe contulerunt,& ad nos tamquàm ad locupletes quoſdam virtutis,& doctrinæ mercatores uenerunt, ut laborum,& uigiliarum ſuarum precio virtutem, & doctrinam à nobis emerent, ijs omnibus præter hunc publicum locum etiam domus mea intima diſcere cupientibus perpetuo pateat. In hiſtoria autem Rom. explananda, vt obtrectatoribus omnem anſam, eripiam maledicentiæ, non magis res geſtas narrabo, quàm rerum geſtarum rationem explicabo,& Flori quidem verba, Liuij vero hiſtoriam declarabo, ceteroſq. omnes hiſtoricos ad vtramq; colluſtrandam conferam; atq. in libro ſecundo artis Rhetoricæ interpretando eam ſequar facilitatem,& claritatem, vt nemo à meis intetpretationibus, tamquàm nimium difficilibus,& obſcuris abſterreatur. Agite igitur, iuuenes ſtudioſiſſimi, ne ſemper pueri ſitis, hiſtoriam adamate; & Romanæ in primis hiſtoriæ ueluti ceteris omnibus digniori, vtiliori, iucundiori, enixe ſtudete; ac hiſtoriarum notitiam cum artis Rhetoricæ cognitione coniungite; hancq. tam præſtantem occaſionem vrgete, vt me duce, vel ſocio veſtro, cum ante aliàs, tum hoc maxime tempore vtilitatum veſtrarum ſtudio vehementer incenſo, in hæc ſtudia incumbatis, quibus nulla aut ad laudem illuſtriora, aut ad vſum uberiora, aut ad delectationẽ ſuauiora reperiuntur.

Habita Anno M. D. X C.



In Obitu
BONIFACII ROGERII I. C.
Equitis, & Comitis.
ANTONII RICCOBONI
Oratio



XTINCTO nobili, & præstanti lumine huius nobilissimæ, & præstantissimæ ciuitatis, Friderice Sanute, Præfecte Illustrissime, Auditores mœstissimi, iustus quidem est omnium squallor, mœror, gemitus, lachrymæ, & singultus; iustæ necessariorum querimoniæ; iusta hæc mœstitia, hæc acerbitas, hæc publici mali facies; cum ciues Patauini suum, vt appellant, ad vtilia Deputatum sibi præreptum esse, dolēt, & conqueruntur; cum Gymnasium Patauinum suam miseriam deflet, & lamentatur, quòd Doctorem præcellentissimum, omnium officiosissimum, studiosorum iuuenum tam quàm parentem amantissimum amiserit; cum huius augustissimi templi habitus publicum detrimentum ex morte acceptum præclarissimi Doctoris, Equitis, & Comitis indicat; iuste

iuste vniuersa hæc ciuitas signa dat quàmplurima magnæ ani morum perturbationis; iuste omnia sunt acerba, omnia misera, omnia luctuosa, unde hæc ipsa Officia merito Iusta nũcupantur: sed eò iustior haberi debet dolor meus, quòd nullam satis iustam afferre excusationem quiuerim, quominus molestia, atq. ægritudine animi confectus propter iacturã, quæ facta est, amici, uicini, & patroni mei amantissimi onus susciperem uos omnes publice consolandi, qui maxime omnium consolatione indigeo. Verum tamen, qui excusari nõ potui ab hoc munere obeundo, & officio exequendo, culpa profecto liberabor, si minus copiose eum collaudare uisus fuero, qui omnem superat laudis excellentiam, minusq. idonee ob animum valde conturbatum honestissimas viri perillustris actiones vobis ante oculos proposuero, ut in communi omnium luctu eam iucunditatem, & consolationem capiamus, quæ percipi quodammodo solet ex amicorum recordatione, ex eorum, quæ ipsi egerint, commemoratione, ex amabili quadam, quales illi fuerint, expressione. Vnde aũt incipiam, aut quid potissimum in tanta rerum multitudine dicam? Immo uero, cum plurima, & maxima sint, sane egregia, & præclara, quæ dici nunc possunt, quid potissimũ non dicam, ut temporis breuitati mihi ad dicendum dati mea congruere oratio uideatur? Silebo ne immortalia decora, & dignitatis insignia utriusq. , quam Bonifacius Rogerius habuit, patriæ nobilissimæ; quarum quidem altera fuit Regiũ Lepidi vrbs celebris, à M. Lepido instaurata, unde is uetustam originem traxit: altera uero Patauium, cuius clarissimæ ciuitatis iure perillustris Rogeria Domus quàm dignissima uisa est? Ac Regium quidem Lepidi cum multis alijs rebus fuit ornatissimum, tum enituit maxime S. Maximo ciue, & Antistite suo, cuius sanctum corpus Venetias translatum esse dicitur: & S. Prospero, Theologo summo, cuius scripta uisa sunt insignia ad laudem sempiternam: alijsq. celebratissimis uiris; ut Bonfrancisco Arloto, Legum, Philosophiæ, Theologiæ, Doctore eloquentissimo, Consiliario Serenissimorum Ferrariæ Ducum, Borsij, & Herculis I. eorum demq. Romæ Legato ordinario, ac tandem post plurima, & maxima innocentiæ, atq. integritatis egregie data documen

ta Episcopo Regiensi; ut multis alijs clarissimis Iurisconsul tis; Accursio, qui floruit paullo post superiorem Accursium, auctorem glossematum iuris ciuilis; Vido Baisio Boniæ Archidiacono, ibidemq. interprete iuris Pontificij; Vido Sozario, subtilissimo iuris ciuilis explicatore; Philippo Cassolo collega Baldi, ius ciuile professo Patauij, Ticini, & Placentiæ, cum Ticini gymnasium Placentiam translatũ esset; Carolo Ruino, cuius fama propter suos in leges commẽtarios celeberrima est; Iacobo Colũbino, q̃ præclara glossemata scripsit in librũ, vt appellãt feudorũ; alijsq. nõ paucis: vt ẽt Sebastiano Corrado, uiro litterarũ Græcarũ, & Latinarũ peritissimo, ac nostri ordinis clarissimo: cumq. sine dubiò plurimis omni uirtutum genere præstantibus, & rei litterariæ, ac militaris laude florentibus fuerit semper Regium affluentissimum; dici tamen non potest, quantum ornamentum acceperit ex duobus ciuibus suis, grauissimis Iurisconsultis eodem tempore in hoc celeberrimo Gymnasio cum maxima nominis sui prædicatione ius ciuile profitentibus, non solum eo, cuius funus nunc celebramus, uerum etiam eo, qui nunquam satis laudari potest, Vido Pancirolo, I. C. optimo, & maximo, Iurisconsultorum nostri temporis Principe eminentissimo. Patauij vero laudes tot litterarum monumentis, tam multis historiis, tot carminibus, tam multis & aliorum, & meis ipsius orationibus sunt collustratæ, ut nihil magis sit sermone omnium contritum, nihil magis decantatum, nihil magis peruulgatum, quàm singularem esse huius urbis, quasi theatri cuiusdam in omnes terras longe, lateq. resonantis amplitudinẽ; nihilq. illustrius, aut ad famam honestius eius celeberrimis Collegijs, eius florentissimo Gymnasio, ominoq. hoc excellenti, ac plane diuino Genio Patauino, quem omnes gentes, & nationes semper excoluerunt. An uero mihi silentio prætereunda est Rogeriæ Domus nobilitas, & claritas admirabilis? quæ quidem adhuc Regij floret inter illustriores, & Patauij iampridem in maximo honore habita est, usque adeo, ut uel repugnantibus Collegij Iurisconsultorum legibus, atq; institutis propter talis familiæ dignitatem, atque auctoritatem vnus de Rogeriis nothus, & quidem nouo exẽplo,

Patavii laudes

Rogerię domus nobilitas, et claritas.

plo, in ipſum Collegium fuerit cooptatus, quod nemini unquam alii dicitur contigiſſe: eiuſdemq. Domus beneficentiæ, ac liberalitati cum magna Rogerij nominis celebritate accepta referatur publicæ ſcholæ commoditas, ad instituẽdã Patauinã iuuẽtutẽ inſtitutæ, & Collegio Iuriſcõſultorũ cõmendatæ, annuis prouentibus quadrigentorũ fere aureorum ad eam in perpetuum conſeruandã liberaliſsime conſtitutis. In qua nobiliſsima familia floruit Vidus Vbaldus ita charus Sereniſsimis Vrbini Ducibus, ut pro virtutis præmio in illo Ducatu Petroiæ oppidi iuriſdictionem, & Comitatum ſit conſecutus: floruit is, cuius nomen, & virtutes præ ſe ferebat noſter Bonifacius Rogerius, Legum Doctor eximius, Sereniſsimi Ferrariæ Ducis Herculis II. Romæ ordinarius Legatus, eiuſdem à ſecretis, & conſiliarius ſupremus, itidẽq. Sereniſsimi Ferrariæ Ducis Alphonſi II. à quo Cannuſii oppidi celeberrimi, à Comitiſſa Mathilda conditi iuriſdictione, & Comitatu donatus eſt: floruit Lælius, nouiſsimus Cannuſii Comes, in Gallia eiuſdem Alphonſi II. Legatus ordinarius: floruerunt alii, tam multi, & tam præſtantes, vt omnem ſuperare dinumerationem, atque amplificationem videantur, de quibus longa hiſtoria non breuis oratio eſſet conficienda. Inter ceteros autem non eſt prætermittendus Fridericus Bonifacii pater, qui ob inſignem iuris Cæſarei, & Pontificii cognitionem Patauii inter ſummos legum interpretes permultos annos de Rep. litteraria optime meritus eſt, atque adeo à ſummo Imperatore Carolo V. dignus habitus eſt, qui Equeſtris ordinis dignitate ornaretur. Nec omittendus Ludouicus Bonifacii frater, qui militiæ diſciplinam percepit ſub Cornelio Zobolo auunculo ſuo præſtantiſsimo, Præfecto equitibus cataphractis pro Rege Galliæ Henrico II. in omnibus bellis Italiæ: egregiamq. operam nauauit in bello Senenſi, ſæpe in locum Zoboli adhibitus ad exercitum gubernandum: cumq. ab ipſo Alphonſo II. in omnibus eius vrbibus leuis armaturæ Equitatus inſtitutus eſſet, & ageretur de præficiendo Regii aliquo uiro ſtrenuiſſimo talium equitum alæ, ipſe communi totius ciuitatis cõſenſu ad huiuſmodi munus obeundum electus eſt, & à Sereniſsimo Duce, qui eius præſtantiam perſpectam, cognitãq. habe-

habebat,ſtatim confirmatus : cumq. in gratiam ſummi Pō tificis,Gregorii XIIII.Ferrarienſes copiæ miſſæ eſſent, quæ quidem exules,omni immanitate efferatos,nefarios, conſceleratos ad totam perturbandam Italiam collectos inſectaren tur,atque delerent,in ea expeditione fortisſime ſe gesſit,tan tumq. profeciſſe exiſtimatus eſt,ut apud Sereniſſimū Principem ſuum egregie fuerit laudatus. Hoc tanto generis ſplendore ortus Bonifacius Rogerius cum paternarum uirtutum facem ſibi prælucentem haberet, ſibiq. inſiſtendum eſſe intelligeret paternis ueſtigiis ſignatis ad gloriam ſempi ternam,animum appulit ad ſtudium eius præclarisſimæ diſciplinæ,quam ſummus philoſophorum Ariſtoteles potentisſimam,& maxime architectonicam, maximeq. principem appellauit;quippe quæ ceteris omnibus diſciplinis imperet, ceteras regat,& in officio contineat,ceteris modum præſcri bat,ceterarumq. artifices legibus ſuis uel ſibi obtemperantes honeſtisſimis præmiis afficiat, uel plus licentiæ ſumentes,quàm par eſt,etiam de Rebuspublicis expellat, ut expulſos eſſe quandoque tum poetas illos,qui neruos uirtutis eliderent,tum Rhetoras,qui prauos mores fouerent, immo uero etiam ipſos Philoſophos,ipſos Medicos,uetera monumē ta teſtantur. Accedit, quòd eodem Philoſopho teſte,ciuili ſcientiæ illæ facultates, quæ inter ceteras maximo ſunt in honore,uidentur ſubiacere, ut Militaris,ut Oeconomica,ut Rhetorica. Cumq. hæc ipſa reliquis utatur ſcientiis, quæ in agendo verſantur,& præterea deſcribat, quid agendum, & à quibus abſtinendum ſit, huius finis aliarum continet fines,nempe humanum bonum.Itaque ſine dubio præſtan tisſima eſt,præſtantisſimum,& ultimum omnium continēs finem.Præterquàm quòd ipſa bonum communius, & hoc modo maius pertractat. Etenim,inquit Philoſophus,res qui dem amanda eſt, quod & uni, & ſoli bonum eſt: ſed pulchrius,& diuinius,quod genti,& ciuitati. Neque uero eſt, cur dicatur,has ipſas laudes magis Politicæ Philoſophiæ, quàm legum diſciplinæ conuenire,cum ipſa Ciuilis Philoſo phia non niſi per leges imperet,& in ipſis legibus poſitam eſſe ciuitatis,& Reip. ſalutem,idem philoſophus teſtetur. Fremant omnes licet,inquit grauisſimus auctor,M.Tullius:

biblio-

bibliothecas omnium philoſophorum unus videtur duodecim tabularum libellus, ſiquis legum fontes, & capita viderit, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate ſuperare. Merito igitur Iuriſprudentiam poetæ nobiles Ennius, & Horatius, ſapientiam nuncuparunt. Merito eandem Iuriſprudentiam Vlpianus ſapientiſſimus I.C. veram Philoſophiam, non ſimulatam nominauit. Merito Bonifacius Rogerius, cũ animaduertiſſet Iuriſconſultos in omnibus bene inſtitutis ciuitatibus honeſtisſime dominari, in maximis dignitatibus maxime florere, in publicis adminiſtrationibus plurimum poſſe, ita ut eis quodammodo parere Duces, obedire Reges, obtemperare Imperatores, aſſentiri Principes omnes, ueluti Ducibus Ducum, Regibus Regum, Imperatoribus Imperatorum, Principibus Principum uideantur; omnem animi, & corporis contentionem ad tam præſtantem, tamque excellentem diſciplinam contulit perdiſcendam, ac in huiuſmodi ſtudio, breui temporis ſpatio tam admirabilem curſum, atq. progreſſionem fecit ad excellentiam, tantumque profeciſſe exiſtimatus eſt, ut facillimum ei fuerit tum ſubtiliſſimas de utroque iure quæſtiones publice diſputandas proponere, & propoſitas ſumma cum laude diſputare: tum datis alijs ſapientiæ ſuæ documentis, ſane egregijs, & præclaris, anno Chriſti ſexageſimo primo ſupra milleſimum, & quingenteſimum, Doctoris inſignia conſequi, & in Collegium Iuriſconſultorum cooptari: tum proximo ſequenti anno ad Ius ciuile publice interpretandum publico decreto adhiberi. Quod ipſum munus per triginta totos annos quàm digniſſime obiuit multis modis honoratus, & in primis præmio florenorum ſeptingentorum, ad utilitatem ſtudioſorum fructuoſiſſime concurrens cum præclariſſimis Iuriſconſultis, atque inter ceteros, cum Ioanne Cephalo, Iuriſconſultorum ſui temporis, ut ita dicam, capite, & coryphæo, cum Franciſco Mantica Vtinenſi, Doctore celeberrimo, nunc perilluſtri, & religioſiſſimo, ut uocant, Romanæ Rotæ Auditore, & abhinc multos annos cum præcellentiſſimo, ac maxime uenerando ſene Vido Pancirolo, ciue ſuo, per totum terrarum orbem celebratiſſimo, & propter egregios mores ſummopere omnibus colendo. Taceo, quàm

beni-

benignum, quàm humanum, quàm officiosum, quàm diligentem, quàm assiduum se præberet in iuuenibus studiosis non solum publica, sed etiam priuata opera insigniter adiuuandis, ut eius domus etiam intima omnibus discere cupientibus perpetuo pateret, neque illi inde ullo unquam aut suo tēpore excluderentur, aut incōmodo, negotioue prohiberentur: quàm præstantem, & quàm excellentem se ostenderet in eorumdem negotijs, cum opus erat, pertractandis, in discordijs sedandis, in pace componenda, in salute, & commodo procurando apud illustrissimum, & religiosissimum Episcopum, apud illustrissimos Præsides, Prætorem, & Præfectum, apud illustrissimos Gymnasii Patauini Moderatores, immo uero etiam apud Serenissimum Principem, apud Illustrissimum Senatum, omninoq. apud omnes, ubicumque oporteret: quàm facilis, & promptus esset in omni suo studio, labore, officio, diligentia, quidquid denique ingenio, industria, consilio, auctoritate, opibus posset, ad studiosæ iuuentutis utilitatem, & uoluntatem conferendo; ut eo ipso in hac ciuitate, & in hoc Gymnasio benignior, officiosior, diligentior ab urbe condita usque ad hæc tempora communi omnium iudicio inuentus esse nemo uideatur. Multa alia prætereo consulto, quia temporis angustiis premor, ut quàm multi uoluerint à grauissima eius manu Doctoris insignia accipere, qui fuerunt prope innumerabiles: quàm digne publica huius ciuitatis munera obiuerit, & præcipua iudicia exercuerit: quàm honeste non solum Doctoris, sed ēt Equitis, & Comitis personam sustinuerit, & dignitatē præ se tulerit. Ob quæ oīa, & alia, tam multa, atq. innumera, ut non facile uerbis exprimi queant, dici profecto nō potest, quàm charus fuerit multis Principibus, & S.R.E. Cardinalibus, in primisq. Nicolao Sfrondato, nunc Gregorio XIIII. Pontifici Max. qui non solum, cum esset Cremonę Episcopus, eum Patauij non semel inuisit tamquàm sibi amicissimum, uerum etiam in ipso Cardinalatu, atque adeo in ipso Pontificatu se eum ualde diligere demonstrauit: similiterq. Hieronymo Ruuereo, Scipioni Gonzagæ, Franc. Mariæ ex Marchionibus Montis S. Mariæ, amplissimis Cardinalibus; ex quibus Ruuereus, cum esset Archiepiscopus Augu-

stæ Tau-

ſtæ Taurinorum, & mandato Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis aliquem perquireret clariſſimum I. C. qui in Gymnaſio illius ciuitatis in locum ſuccederet celeberrimi Panciroli in Gymnaſium Patauinum acciti, cum ceteris, quibus idem negotium datum fuerat, inter multos, qui proponebantur, Doctores egregios, ſtatuit ad eam ſucceſſionem ipſum Bonifacium Rogerium inuitare, litteriſq. de hoc datis honeſtiſſimum ei præmium propoſuit ſcutatorum ſeptingentorũ. quod præclariſſimum munus quò minus ipſe ſuſciperet, ſe excuſauit, ne Sereniſſimo Venetiarum Principi, atq. illuſtriſſimo Senatui, cui ſe eſſe prorſus deditum, addictum, obſtrictum profitebatur, minus gratus, minuſq. beneficiorum, atque ornamentorum memor videretur. Chariſſimus quoq; fuit plurimis Patritijs, & Senatoribus Venetis, quos longum eſſet enumerare, atque inter ceteros Illuſtriſſimis huius ciuitatis præſidibus, Io. Baptiſtæ Veturio Prætori, & Friderico Sanuto Præfecto, viris ad Reipub. commodum, dignitatemq. tuendam, atque augendam natis, & diuinitus datis, qui eum omni beneuolentia complectebantur, eius honeſtiſſima conſuetudine oblectabantur, eum dignum cenſebant, cui omnes afflanti morum ſuauitates, omnes Principes viri omnia vela panderent, omneſq; faces accenderent amoris ſui. O uirum gratioſiſſimum omnium vocibus, ac litteris celebrandum. O Bonifacium & nomine, & re ipſa Bonifacium, omnibus, quantum poteras, benefacientem, & in humanum genus perquàm beneficum: Rogerium uere Rogerium, omnes quodammodo rogantem, ut Rogerij promptiſſima opera libere vterentur: & ob tantam ad benefaciendum propenſionem omni honore dignum; cũ omnis honor à beneficentia, & benefica uoluntate proficiſcatur, atq. honorentur, vt tradit Philoſophus, duo genera hominum, tum qui benefecerunt, tum qui benefacere poſſunt. Plurimis enim benefecit Bonifacius Rogerius, magis rogans, quàm rogatus, & ſuapte ſponte ad benefaciendum paratus, non ſolum publicis explicationibus ſuis, quæ ſemper ſubtiliſſimæ, ac doctiſſimæ habitæ ſunt; ſed etiam conſilijs, & conſiliorum conſcriptione, quorum duo ſatis

magna uolumina nunc typis imprimuntur , ac propediem in lucem, & aſpectum hominum proferentur : non ſolum iuſtiſſimis ſententijs ſuis, in publicis iudicijs exercendis, ue rum etiam præſtanti opera in gerenda publicæ perſonæ dignitate, dum eſſet, ut appellant, ad vtilia Ciuitatis Deputatus: non ſolum publice & verbis, & rebus, ſed etiam priuatim magna in pauperes liberalitate , quorum plurimos domum ipſius quotidie confluentes, atque confugientes, quo tidiana, & ſatis copioſa eleemoſyna ſuſtentabat . O uirum beneficentiſſimum, omniq. honore quàmdignisſimum; me rito declaratum verum Nobilem cum omnibus poſteris ſuis, & Militem, atque Equitem auratum, ſacrique Lateranenſis Palatij , aulæq; Cæſareæ , & Imperialis Conſiſtorij Comitem à Maximiliano II. maximo Imperatore anno mil leſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, & in eadem digni tate confirmatum , ampliſſimiſq. Priuilegijs auctum à Rudolpho II. ſummo itidem Imperatore , anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio, tradita ei maxima,& ampliſſima facultate eorum omnium efficiendorum , quæ à ſummis Equitibus , & Comitibus præſtari conſueuerunt . Iamuero in hac ipſa tanti viri iactura, mœſtiſſimi Aud.eam profecto capere conſolationem debemus, quòd ipſe ita natus ſit, ita uixerit, ita mortuus ſit,vt ex huius uitæ miſerijs, & calamitatibus ad cœleſtem,& ſempiternam beatitudinem peruolaſſe videatur . Hæc enim, quam uocamus vitam,potius mors eſt. Illa uero, quæ dicitur mors , animis pijs ueram uitam affert, liberans tot turbinibus, tot procellis , tot perturbationibus , quibus tamquàm aduerſiſſimis uentis , & ſæuisſimis fluctibus agitamur. Etenim, ut alia quàmplurima,& maxima huius uitæ mala ſilentio inuoluam,& unum tantummodo dicam , tria bonorum genera in hominibus ſpectantur, animi, corporis, & externa , quibus tria hominum genera maxime infenſa, atq. inimica ſunt, Philoſophi, Medici, Iuriſconſulti; non boni, ſed mali Philoſophi , non boni, ſed mali Medici , non boni , ſed mali Iuriſconſulti , & à bonis moribus alieni, ne quis me bonos, & bonorum exiſtimationem lædere arbitretur; quales eſſe pleroſque Patauij


tauij non inficior, prorſus pios, frugi, & moribus integerrimis præditos.) Ac animos quidem in multas, magnaſque difficultates ſæpenumero trahunt Philoſophi illi, qui ſuam ipſorum Philoſophiam ad præſcriptum Theologiæ minime dirigentes, ſed de animorum immortalitate, de religione, de ipſomet Deo ambigentes prauis opinionibus hominum mentes inficiunt. Corpora uero Medici iuſſis ſuis maxime imperioſis conſtringunt, miſeroſque ægrotos non ſolum miſeris modis angunt, excruciant, torquent, uerum etiam ſæpe ſua ipſorum inſcitia diſſoluunt, deſtruhunt, necant; de quibus nota eſt illa uox Adriani Imperatoris, cum moriens clamauit, Turba Medicorum Principem interfecit. Externa autem bona, dici non poteſt, quantopere non raro diuexentur tumultuoſis illorum Iuriſconſultorum contentionibus, qui lites, altercationes, iurgia fouent; & mendacia, fraudes, ſcelera nutriunt; nihilque reſpiciunt magis, quàm quomodo à miſeris hominibus, qui ſe, ſuaſque fortunas, & bona eorum fidei, ac clientelæ commiſerint, pecuniam extorqueant, ſuamque expleant inſatiabilem accumulandarum opum auiditatem. O miſeriam ingentem omnibus deflendam. O uitam calamitoſam, tot hominum inſidijs, tot laqueis propoſitam. Taceo alia innumerabilia huius vitæ mala, odia, diſcordias, inimicitias, inſectationes, alia ſexcenta, alia mille, immo ad innumerabilitatem progredientia, à quibus abſtractus Bonifacius Rogerius, id eſt, non hoc corpus, quod terrenum terræ debebatur, ſed huius corporis animus, qui cœleſtis cœlum appetebat, ex his terrenis uinculis, & corporis compagibus, quemadmodum nobis perſuaſiſſimum eſſe debet, in cœlum penetrauit. Quamobrem, mœſtiſſimi Audit. nobis dolendi finis eſt faciendus: in diuina uoluntate conquieſcendum: nobiliſſima eius uxor Doralicia Vrſata cum duabus filiabus, Andriana, & Lucia, & filiolo Iacobo, ceterique nobiliſſimi propinqui, & affines, maximo dolore, eodemque iuſtiſſimo confecti, atque inter ceteros nobilisſimi eius leuiri, Annibal, & Franciſcus, Vrſati, qui abſente Ludouico Rogerio ipſius fratre, quod pijsſimum

potuerunt, officium præstiterunt in honorando marito ſororis ſuæ, & hoc funere faciendo, ac Iuſtis perſoluendis, mihique mandando, ut eum, quantum poſſem, exornarem, ſunt amantiſſime conſolandi: omninoque perpetua memoria retinendum, nos eſſe homines, id eſt, innumeris miſerijs ſubiectos, & mortales.

amoreuolissimamente



Habita Patauij, in Templo Di. Antonij. iij Kal. Auguſti. M. D. XCI.



⁎ F I N I S. ⁎



ERRATA	CORRECTA.
pag. 14.b.indicium	iudicium
15.b humauitatis	humanitatis
18.b.doctitissimo	doctissimo
19.a.princeps	principes
20.a.adscribueret	adscriberet
22.a.brachijs	brachij
26.b.clarissimis	clarissimi
illustitissimo	illustrissimo
33.b.iuuentio	inuentio
45.a.ptobatus	probatus
48.a.siliant	sileant
57.a.statuit	statuet
flebiter	flebiliter
b.siugulari	singulari
60.b.sunmo	summo
pro numero 62. notatus est numerus 57.	
Deest numerus 64.	
65.b.ijsdemq.	ijdemq.
77.b eam ad diuinum	eum
78.a.iu	in
90.a.mane	mare
Phauerino	Phauorino
pro numero 94. notatus est numerus 64.	
98. a.alia.	alta
102.b.quadragintesimo	quadringentesimo
104.a.libros quas	libros quos
b.Ecque	Ecquæ
105.a.intetpretationibus	interpretationibus



Pataui, Apud Laurentium Pasquatum.

Typographum Almæ Uniuersitatis Iuristarum.


de dottori di legge. Scholasticus a IS. pertinente a scuola.





Anno à Natiuitate CHRISTI

M. D. LXXXXI.



113

Laus est oratio, bona alicuius enumerans.

Laudandæ sunt personæ ut Petrus, Joannes et cetera.

Res ut iustitia aut temperantia et cet.

Tempora ut ver, æstas. et cet.

Loci ut portus, horti. et cet.

Ratione carentia animalia ut equus, aut bos et cet.

Plantæ ut vitis aut oliva. et cet.

Laudamus vero communiter, et singulatim. ciascuno separatamente uno dopo l'altro & eodem etiam dicimus sigillatim.

communiter ut omnes simul Florentinos.

singulatim ut Florentinum unum aliquem.

Hæc est divisio laudis.

Dispones autem ipsam hoc pacto

1 primo Prooemium à qualitate rei pones.

2 deinde subijcies genus, quod dividitur in { Gente, Patria, Maiores, Patres }

3 Post, educationem explicabis, quæ continetur { institutione. Arte, legibus }

Hinc subdes præcipuum laudis totum

4 caput, res gestas, quas divides in ea quæ sunt.

{ Animi ut quæ fortitudinis sunt, quæ prudentiæ.
Corporis, ut pulchritudinem, velocitatem, robur.
Fortunæ ut principatum, potentiam, divitias, amicos }

5 Addes deinde comparationem qua id quod laudatur, alteri collatum tollatur et maius. Postremo epilogo vel precationi

6 simili(or) sit, concludes.

Mathematicus, μαθηματικὸς a Græco μάθημα, quod est disciplina, dicitur proprie q geometriæ, Musicæ, Aritsmeticæ, Astrologiæq disciplinas nouit. Nam hæ Mathematicæ scientiæ uel disciplinæ dicuntur, quod plane, et p demonstratione aliquam pcipiantur.
Philosophia uero, logica cũ alijs nõ dicuntur disciplinæ, q^a nõ firmissima demonstratione, ut illæ, sed ratione quadã, et studij inuestigatione, pcipiuntur.

loculamenti: diuersi luoghi d_ fani nido p uccelli.
stiua e manico dell'aratro.

corypheus capo, primo.
talent. i. e' ual sei cento scudi. o piu degno d'ogni ordine
tifernũ ni. città di castello.

Peripatetici, Philosophi Atheniẽs a Platonis scola profecti, quorũ Princeps fuit Aristot. ita dicti quod inambulantes disputarent, ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν.
libitinarius rij. seppellitore Beccolino.
libitina nẽ dipresa ne funerali, l'arte di seppellire o di uender cose da seppellire, a morte lib. et ei uengano da mortori
arti liberali
cicero de finib. a Græcis omnes ingenuas disciplinas habemus.
cucurbitula e zucca piccola. uentosa da cauar sangue.
durus oris vir. rigoroso, intrattabile
Poppysma matis. un suono di bocca, che si fa palpando un cauallo
Poppysmus ysmi un batter le palme delle mani l'una stalla
præferre alicui facẽ portare il torchio auanti.
præferro es. ributtare l'altrui parere et ragione

...es quae vita longa negas.

De Animorum immortalitate

scilicet et suos reperit, repetitque recursus.
et gaudent reditu singula quaeque suo.

De Morte

illa manet servos, ditos manet illa Tyrannos
illa manet pueros et manet illa senes.
ergo age, qui legis haec tibi cape iura superstes
terque para tumulo mox moriture paris.

Nihil in humanis rebus firmum, nihil stabile, nihil diuturnum reperiri potest.

A dì po 7bre 1639.

Ricordo per di detto come ho prestato al R.do M.
Gio. Batista [illegible] can.co di s. Lorenzo
i tre tomi del [illegible]
e [illegible] Tano del [illegible] in [illegible]
di [illegible] il [illegible]

114

ultimo A manca

362


Restauro del Libro
Badia
di
Cava